EPISTOLAS
PAULI APOSTOLI
AD
THESSALONICENSES

PERPETUO
ILLUSTRAVIT COMMENTARIO

ET

COPIOSIORE EXPOSITIONUM E PATRIBUS
ECCLESIASTICIS COLLECTARUM INSTRUXIT
DELECTU

LUDOVICUS PELT, P. P. E.

GRYPHISWALDIAE,
IMPENSIS E. MAURITII. MDCCCXXX.

LUGDUNI BATAVORUM, APUD LUCHTMANNS. LONDINI, APUD BLACK YOUNG
ET YOUNG, TREUTTEL ET WUERTZ. PARISIIS, APUD TREUTTEL ET WUERTZ.
PETROPOLI RUSSORUM, APUD GRAEFF.

VIRO

SUMME VENERANDO

AUG. DETL. CHR. TWESTEN

THEOLOGIAE ET PHILOSPHIAE D. ET EARUNDEM PROFESSORI
IN ACADEMIA KILIENSI, ORDINIS DANEBROGICI EQUITI
ETC ETC.

HOC QUALECUNQUE OPUSCULUM

UT GRATUM EO PROFITEATUR ANIMUM

QUA PAR EST REVERENTIA

D E D I C A T

AUCTOR.

Satis mihi sum conscius, quam leve munusculum hic Tibi, V. S. V., offeram et in eo maxime confido, quod sciam Te animum potius, quo illud confertur, spectaturum esse, quam ipsius doni exiguum pretium. Mihi enim potius, quam Tibi munus eo conferri videtur. Sed animus jamdudum me impellebat, ut ex studiorum primitiis publice editis occasionem arriperem gratias meas pro maximis Tuis erga me meritis publice profitendi. Admiror enim in Te, quem unicum fere Theologiae, quam nunc quidem summo studio colendam sumsi, veneror praeceptorem, eam animi li-

bertatem, ut majorem in eo ponas gloriam suo Marte pugnantes habere discipulos, quam sectatores in vestigiis Tuis servili gressu incedentes, in eo vero ipso Te imitari solum habeo verum honorem. Abs Te denique quum primum edoctus sim, quomodo e sacris libris salutaris haurienda sit doctrina, Tuo etiam judicio lubentissime primum hoc subjicio opusculum exegeticum.

Integrum Te servet Deus optimus maximus Tuorum amori, in litterarum commodum et Ecclesiae salutem!

Dabam Gryphiae die XXIV. m. Martii
a. MDCCCXXX.

PRAEFATIO.

En, commentarium Tibi offero, benevole Lector, in epistolarum par, quod multis premitur et haud exiguis difficultatibus, quae tamen e rebus potius in iis tractatis oriuntur, quam e grammatica earum conditione; in verbis enim plerumque nihil inest difficultatis. Quousque vero, quod prae ceteris mihi proposueram, sine grammaticae interpretationis neglectu sensum tamen ubique perspicue exponere, et nexum, quo cum Apostoli systemate cohaereat, innuere, itaque viam aperire ad interiorem harum epistolarum intellectum, quousque, inquam, hunc finem nactus sim, id quidem dijudicare intelligenti et docto lectori permittere fas est. Illud tamen, quod nihil fere efficere potuerim in critica epistolarum ratione constituenda, mihi forte objici poterit. Hanc rem, quo minus attingerem, duplex me impediebat causa; altera in librorum sita erat eorumque ad hanc rem graviorum penuria; altera vero in ipsius textus satis integra conditione. Primo Syria-

cam versionem accuratissime conferre volebam, ut conspiceretur, quatenus ad harum epistolarum crisin quidquam ex ea percipi possit utilitatis; illam tamen criticis curis non jam ipsam satis esse purgatam mecum reputans, idque perficiendi mihi non adesse subsidia, ab eo consilio abstinendum esse duxi. Quibusnam subsidiis in interpretatione usus sim, ex Interpretum apparebit conspectu, Prolegomenis inserto.

Unum restat, de quo rationes quasi reddendae sunt. Quaerat enim fortasse quis, cur Latino sermone hunc commentarium scripserim, quum maxime tam eleganti non utar stilo, ut non melius vernacule opus perficere potuerim. Sic interroganti responderem, latina oratione diversorum interpretum loca, quae haud raro ad verbum afferenda esse videbantur, melius in unum digeri posse corpus, quum maxime plerique eorum Romana usi fuerint lingua; tum vero bibliopola idem suadebat, quoniam propter hujus loci situm et rationes libri hic editi haud raro in Sueciam, Daniam aliasque Europae septentrionalis terras deferuntur. Praeterea ipsi etiam mihi gratior ita factus varias sententias compingendi labor.

Jam vero opusculum meum summo numini commendo, ut inde aliquid saltem prodeat, quod in verbi Divini vertat honorem

PROLEGOMENA.

§. I. De Thessalonica urbe ejusque incolis.

1. Thessalonicensibus binae inscribuntur Pauli epistolae, idque in titulo non minus, atque ipsa salutationis formula, his litteris praemissa, ut de iis, *ad quos data sit,* non dubitare liceat: ii scilicet sunt ecclesiae Christianae, quae in urbe Thessalonica florebat, cives. Nec moramur *Grotii* coactam plane hypothesin, qua non hos, sed Christianos potius quosdam Palaestinenses Hierosolymis profugos, hasce epistolas accepisse statuit, ut earum posterior in priore loco ponenda sit, quae adeo omni caret fundamento ac veri specie, ut post ea, quae *Salmasius*, *Calovius* in Bibliis illustratis et nuperrime *Flattius* in commentario, a quibus satis illa sententia explosa est, monuerunt, non jam opus sit, ut amplius in ea vel exponenda, vel refellenda haereamus.

2. *Thessalonica* [1]) autem urbs, quae antiquissimis temporibus *Emathia* et *Halia*, postea *Therma* dicta fuerat [2]), recentius nomen a Cassandri eandem restaurantis et augentis conjuge, eademque Philippi (Amyntae filii)

---

1) Cf. Cellar. Not. O. A. ed. Schwarz. Lips. 1721. 4. T. I. p. 839. 40. Antiquorum loca collegit Wetsten. ad. h. epist. Breviter de hac urbe exponit *Sickler* Handb. d. alt. Geogr. Cassel. 1824. 8m. p. 412. 13. etiam *Eichhorn* Einl. III, 1. p. 53 — 55. *Hug.* Einl. II, p. 840. 41. (ed. 3. 1826.)

2) Schol ad. Thucyd. I, 61. Etym. M. de hac urbe dicit: *Πόλις Μακεδονίας, ἥτις Ἅλία ἐκαλεῖτο Κασσάνδρου κτίσμα· ἢ ὅτι Φίλιππος ἐκεῖ Θετταλοὺς νικήσας οὕτως ἐκάλεσεν, ἢ ὅτι Φίλιππος, θεασάμενος κόρην εὐπρεπῆ, ἔγημε καὶ τεκοῦσα τῇ εἰκοστῇ ἡμέρᾳ τῆς λοχείας τέθνηκεν. ἀναλαβὼν οὖν ὁ Φιλ. τὸ παιδίον ἔδωκε Νίκῃ τρέφειν καὶ ἐκάλεσε Θεσσαλονίκην.*

regis filia, Θεσσαλονίκη, quod Strabo refert [1]), sive, quae recentiorum, ut Stephani Byzantini, est sententia, a victoria quadam sortita est, quam ipse Philippus de Thessalis reportaverit. Quae urbs, hominibus frequentissima, opibus affluens, ad Axium fluvium, ubi ille in sinum effunditur, ab antiquo urbis nomine Thermaicum dictum, mercatorum commeatui commodissime sita, mature magna creverat opulentia; verisimile saltem est, Xerxis exercitum, Herodoto teste (VII, 127.), stationem ibi egisse, quoniam amplior et divitior jam tum esset ille locus. Quae suspicio opibus etiam confirmatur, quibus postea videmus florentem. Satis enim erat dives, quod Hugius observat, ut Bruti Cassiique exercitui in victoriae praemium ad diripiendum permissa, eorum putaretur stimulare posse animos ad rem strenue gerendam [2]). Quid, quod Livius nos docet (XLV, 29. 30.) secundae regionis, quae erat e quatuor partibus (μερίδες), in quas Paulo Aemilio auctore Macedonia dividebatur, Thessalonicam fuisse caput et quasi metropolin, ubi Romanus commoraretur Praeses et Quaestor [3]). Quare mirum non est, Beroeam cum hac urbe collatam oppidum dici devium. Theodoreti temporibus sub finem quarti et initium quinti saeculi longe frequentissima et locupletissima erat Macedoniae urbs; immo Thessaliae et Achajae, quin etiam Illyriae caput [4]). Postea Venedorum paruit imperio; nunc vero mutato sive mutilato nomine Salonichi dicta, Turcarum subjecta imperio, antiqui splendoris non tantum memoriam, sed multa etiamnum servat vestigia.

3. Plerosque hujus urbis incolas Graecos fuisse atque Romanos, quorum in devictis terris fere ubique haud exiguus esse solebat numerus, inter omnes constat. Quum vero mercatura hic locus floreret copiosa et quaestuosa, permulti etiam ididem consederant Judaei, qui tum temporis in universo orbe Romano, quamquam a multis irrisi et contemptui habiti, tamen eximiis gaudebant juribus

---

1) Strabo VII. excerpt. 10. ed. Lips. 1819. 12. Vol. II. p. 131. ib. exc. 3. p. 129. ubi invenitur forma Θεσσαλονικεία.

2) Appian. Bell. Civ. IV, 118. A Luciano in libro mox laudando dicitur τῶν ἐν Μακεδονίᾳ μεγίστη πόλις. Bip. VI, p. 185.

3) Pro Planc. c. 41.

4) Cf. Niceph. Call. H. E. XII, c. 40. ex quo loco hujus urbis conditionem sub Theodosio II. cognoscimus.

atque privilegiis [1]); quorum religio non ex licitis tantum erat, sed adeo etiam multis probabatur, ut *Seneca* in libro de superstitione *victoribus victos leges dedisse* asserat. Quamobrem mirum non est, quod Paulus in altero itinere, quum Thessalonicam deferretur, tam multos ibi invenerit gentis Israeliticae accolas, ut ex eorum maxime proselytis colligere liceret coetum Christianum numero haud exiguum, et ut ipsi Judaei tantum valuerint, ut Paulo non solum Thessalonicae, sed etiam Beroeae negotium facessere eumque odio persequi valerent. Quid, quod in hac urbe Judaeis non mera *προσευχὴ* erat, sicut in ceteris Macedoniae urbibus sed synagoge (Act. XVII, 1. *ἡ συναγωγή*)?

4. Ut Graecorum mores in universum sub Christi tempora mollissimi et corruptissimi, ita tamen prae ceteris flagitiis infames erant Thessalonicenses. Viri pariter ac feminae avaritiae et libidini indulgere; cuncta voluptatibus immergi [2]). Cujus rei in his etiam epistolis reperiuntur vestigia. 1 Thess. IV, 3 — 5. 11. 2 Thess. III, 6. 11. cf. not. ad hh. ll. Huc tamen non retulerim, quod Act. XVII, 11. Judaei Beroeenses *εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ* vocantur, quod non tam ad eorum mores in universum, quam potius, ut sequentia docent, ad animum evangelio recipiendo paratum referendum est. Quam denique etiam postea Thessalonicenses fuerint ad seditiones movendas parati e Nicephori loco supra allato satis apparet [3]).

§. II. De ecclesiae Thessalonicensis ortu et conditione.

Ecclesiae Thessalonicensis ab ipso Paulo conditae rationes tum e Lucae Actis apostolicis tum e litteris ab Apostolo ad eandem datis cognoscimus; neque diversam animo nostro depingunt imaginem. Ex Act. XVII, 1 — 9. videmus, Paulum, ut solebat, hic etiam primo in Judaeo-

---

1) Plin. H. N. IV, 10. *Neand.* KG. I, 1. p. 87. 127. cf. Melchior *Leideckerus* de republ. Ebr. T. II. l. IX, c. 1. et 4. p. 618. sq.

2) *Luciani* Lucius sive Asinus 50 — 52. T. VI. Bip. p. 191. sqq. citante Hugio p. 341. Omnes ibi gaudent de spectaculo turpissimo; ex eo vero cognoscas hujus urbis mores, quod Luciano visum fuerit, hanc potissimum eligere, ut scena esset obscoenissimae rei.

3) Cf. Soz. VII, 24. Rufin. H. E. II, 18.

rum synagoga tribus deinceps sabbatis evangelii doctrinam tradidisse. Quum vero ex hac gente perpaucos tantum, multos vero metuentes sive proselytos portae, et maxime quidem mulieres, ad Mosaica sacra conversas, signis praelatis in castra Christiana transtulisset, tumultum Judaei excitaverant, quo Paulus cum Sila sive Silvano urbe exire coactus est, nisi Jasonem ceterosque hospites Christianos in summum discrimen adducere vellet [1]. — Mirum sane videtur, quod Christiani non sine omni saltem veri specie, quamquam aucto fortasse crimine, *universi orbis turbatores esse insimulari potuerint*, quippe alium dicentes praeter imperatorem esse regem. Ex quo conjicere licet, felicissimos jam tum fuisse, ut ubique terrarum, ita maxime in Macedonia, rei Christianae profectus; quod eximie confirmatur harum epistolarum locis, ubi de hac regione mentio injicitur, neque minus litteris ad Philippenses datis aliisque de iis testimoniis in epistolis Paulinis obviis 1 Th. I, 9. 10. II, 2. 2 Cor. VIII, 1—4. (cui loco non repugnat VII, 5. ut enim evangelium alicubi laetissime florebat, ita maxime adversariorum stimulabat invidiam et odium).

Ex his autem epistolis facile videmus, carissimum Paulo prae multis fuisse hunc Christianorum coetum, fide, nec non caritate ex eadem nata maxime insignem (1 Th. III, 9. I, 2. 3. aliis locis), cujus amoris ac laudis ipsa interpretatio haud pauca exhibebit exempla. Sin vero ex epistola ad ecclesiam Christianam Philippis florentem scripta videmus (IV, 16.), dum Apostolus Thessalonicae versaretur, bis ei victum ex illa urbe suppeditatum esse, illud huic laudi nihil detrahit, sed id tantum arguere videtur, Apostolum non satis diu inter Thessalonicenses versatum fuisse, ut commeatum ab illis accipere, quod non facere solebat, nisi a conjunctissimis, voluerit. Quod si alii ex hoc ipso, quod Apostolo *bis* pecuniae munera missa sint, quodque, ut ipsae tradunt hae epistolae, dum Thessalonicae commoraretur, artificio vacaverit: ii et idoneo testimonio destituuntur, repugnante Actorum Apostolicorum narratione, et oblivisci videntur conditionis, qua Paulus esse solebat. Omni tum forte carebat penu ad victum necessario, quo ipso forte adigebatur, ut sine mora ad opificium agendum accederet, quod facile fieri poterat,

---

1) *Kuinoel.* Comm. in N. T. lib. hist. T. IV. Lips. 1818. p. 569.

ubi Christianos ejusdem artis inveniebat socios. — Praeterea, ne miremur Paulum tantum profecisse in urbe, cujus tam corrupti essent mores, reputandum primum, ea labe non tamen omnes infectos fuisse, tum vero hoc in antiquissima religionis Christianae historia saepe recurrere, ut in maxima pernicie maxime illa vires exsereret, quibus *regenerare* valet animos hominum: ut enim quaeque vel urbs vel regio flagitiis est inquinatissima, ita, quum in pessima etiam corruptione vilitatis sensu humana natura nunquam plane destituatur, medico quam maxime egens, ad evangelium amplectendum solet esse paratissima.

Felici igitur Apost. gavisus fuerat successu, quem ipsa fama in regiones circumjacentes extulerat. Praeterea patientiae in perferendis persecutionibus et tribulationibus laus omnium oculos in hujus ecclesiae defixerat constantia, quod, excitato multorum studio et curiositate, non parum contulerat ad spargendum evangelii rumorem, quod ita multis innotuit. Nec tamen in hac etiam ecclesia istud deerat male sedulorum homuncionum genus, qui tribulos ubique fere tritico inserere ac permiscere quaererent. Maxime vero tales excitabantur turbae, quales in ecclesiis recens conditis iisque post primum ardorem in discrimen adactis oriri solent: Divina, ut cum Cicerone loquar, mentis incitatio et permotio in errorem fanaticum passim abierant; quod maxime quidem valet de spe destinatae sibi in regno Messiano felicitatis. In quo praecipue duplex illos ceperat error: primum enim regnum exspectaverant cum externo splendore in terra apparens, ut eos, qui vita decessissent, putarent ejusdem non posse fieri participes; tum illud brevi et sine mora venturum sibi finxerant, ut, quotidie illud exspectantes, jam nihil curarent negotia et officia in hac terra sibi peragenda, nec metuerent superstitiosis commentis fidelium turbare tranquillitatem (1 Th. IV, 13 — V, 11. 2 Th. II, 1 — III, 11.). Iidem vero, ut solet accidere desidiosis hominibus, quaevis alia curare malebant, quam suas res; praeterea quamvis pietatatis speciem summo cum studio affectarent, tamen a cupiditatum labe flagitiosisque libidinibus adeo non erant immunes, ut ex more Graeculorum res venereas medias quasi haberent, quae nullam aut saltem levem homini Christiano inurerent maculam; unde ipsi iis immergi non metuebant. — Utrum isti homines divinas sibi revelationes contigisse contenderint, anquiri potest; quamquam ex

2 Th. II, 2. coll. 1 Th. V, 21. 22. cum multa illud concludi possit veri specie. Etiam illud non certum est, an eo impudentiae processerint, ut Apostolo litteras affingerent; sed id saltem negari non poterit, Paulum tale quid ab iis exspectari posse putassse, nisi forte 2 Th. II, 2. pro simili habere velimus deductione ex absurdo, atque legimus Gal. I, 8., ubi Paulus Galatas hortatur, ne alii evangelio fidem habeant, etiamsi angelus de coelo delatus ipsis illud afferat. Sed obstat signum 2 Th. III, 17., quo Paulus, qui epistolas amanuensi praeibat, suas dignosci vult ab istorum fictitiis litteris.

§. III. Exponitur, quando quaque occasione oblata prior scripta sit ad Thess. epistola.

Paulus cum Silvano Philippis ejectus, ubi cum singulari animi contentione docuerat, in eodem altero itinere, hominum ad Christiana sacra convertendorum causa annis LIII—LVI suscepto, Macedoniam peragrans prima vice Thessalonicam delatus est, ibique ecclesiae jecerat fundamenta; quam mature vero illam relinquere coactus fuerit, supra expositum jam est. — Timotheum autem, ut videtur, Apostolus Philippis recta Beroeam miserat, ut ejus ibi praepararet adventum, quae Koppii sententia mihi quoque verisimillima esse videtur. „Partim enim in ea Lucae narratione, qua de Pauli commoratione apud Thessalonicenses exponitur, ille plane non commemoratur XVII, 1 — 10; partim ab Apostolo ipso 1 Th. III, 2. ita commendatur et laudatur, ut prima haec commendatio ejus apud Thessal. videatur.“ Postquam Paulus Thessalonica expulsus Beroeam se contulit, Timotheum iterum cum eo esse scimus; in hoc enim oppido cum Sila illum reliquit, eo, ni fallimur, consilio, ut turbis sedatis Thessalonicam redirent fratresque in ea urbe degentes erigerent, confirmarent ac consolarentur. Apostolus vero, quum Athenas venisset, mutato consilio per redeuntes fratres, qui ipsum comitati fuerant, ad se accitum utrumque exspectabat. Act. XVII, 2. Jam vero de eo, utrum illi ipsis Athenis Paulum convenerint, nec ne, haud eadem est doctorum hominum sententia. Dubitari vix potest, quin illi, modo Beroeae nuntium acceperint, nec jam profecti fuerint Thessalonicam, vel aliunde mandato Apostolico obsequium praestare haud cunctati fuerint. Nihil saltem impedit, quo minus statuamus utrumque, et Silam et Timo-

theum, Athenas delatos, Paulo ecclesiarum Macedonicarum periculosissimam depinxisse conditionem, unde factum sit, ut Paulus, hoc nuntio comperto, nihil antiquius haberet, quam ambos sive alterum eorum (nam de Silvano minus etiam constat) Thessalonicam remittere, ut solus Athenis maneret, quamquam non sine magno incommodo solitudinem ferret. (1 Th. III, 1 — 5.) Quod si acceperimus, Silas an forte a Paulo aliorsum missus sit, certo quidem definiri nequit; attamen quum neque in epistolis nostris, neque in Actorum Apostolicorum libro Silvani ad Thessalonicenses commemoretur iter, verisimile esse videtur, eum in alias Macedoniae urbes ablegatum fuisse, ut in reditu demum conjungerentur. Philippos fortasse vel alium quendam locum adierat. Conjuncti vero ad Apostolum redeunt, quem solum Athenis relictum fuisse ex eo quoque apparet, quod de ingrata queritur solitudine; illum vero Corinthi demum conveniunt quo relictis Athenis sese contulerat et ubi ab anni quinquagesimi quarti fine usque ad initium sexti et quinquagesimi aerae Dionysiacae commorabatur.

Aliorum tamen sententia ab hac rerum serie constituenda ita recedit, ut potius duplicem neget Timothei ad Paulum reditum. Qui ita statuunt, sicut cl. *Hugius* (p. 343. §. 92.), ii Timotheum Athenas ad Apostolum non jam rediisse arbitrantur, sed ex mutato ejus decreto mandatisque ad eum delatis, Beroea primum Thessalonicam profectum, hinc Corinthum ad Paulum delatum esse. Duplex vero iter, quod ab aliis, ut ab Eichhornio (p. 56.) et Deldettio probatur, temporum confirmatur rationibus: quomodo enim ad Apostolum illi non venissent, nisi Corinthi demum, si statim per Thessalonicam Athenas profecti fuissent? Longius autem iter Christianos non deterrere solebat ab iis, quae rei Christianae conducerent. Hanc vero quaestionem (quod interpretis non multum interest) ad liquidum perduci non posse puto. Posterior tamen sententia magis placet propter verba ὡς τάχιστα Act. XVII, 15.

Jam vero restat, ut quaeramus, ubinam haec scripta sit epistola, utrum Corinthi demum, an, ut vetus exhibet subscriptio, Athenis. Etiamsi acceperimus Athenis Paulo per aliquod tempus affuisse Timotheum et Silvanum, tamen haec epistola tum non poterat scripta esse; de Thessalonicensium enim conditione tum temporis illi nil novi

afferre potuissent; praeterea rumores de iis non tam longe lateque sparsi fuissent neque ab *Achaeis* Apostolus eorum audiisset laudem; nec bis terve consilium capere potuisset adeundi Thessalonicenses. Quapropter hanc epistolam non putamus nisi Corinthi demum scriptam esse, et quidem quum non jam diu Apostolus in hac degisset urbe, id vero est sub finem anni LIV. (cf. II, 17 — III, 3.) [1]) Ad hanc sententiam, plerisque interpretibus probatam, omnia ac singula satis quadrant: non ita diu Thessalonicam reliquerat Apostolus, attamen satis praeterierat temporis, ut fidei Thessalonicensium fama in finitimis regionibus ita percrebescere potuerit, ut sponte omnes de illa Paulo narrarent (I, 7. 8.), utque jam diutius separatum se a Thessalonicensibus suis dolere potuerit (II, 17). *Nuper* redierat Timotheus (ἄρτι ἐλθόντος III, 6.) et quidem recta via a Thessalonicensibus ad Paulum reversus (πρὸς ἡμᾶς ἀφ' ὑμῶν). Sin vero Eichhornius [2]) ex eo etiam probare studet hanc epistolam, paulo postquam Corinthum venisset, scriptam esse, quod Paulus non jam summa virium contentione docuisset, quum Timotheus ad illum veniret, locum Act. XVIII, 5. male videtur intellexisse. Ibi enim quum legatur, Paulum tum demum, quum Silas et Timotheus ad illum rediissent, spiritu sancto correptum de Christo gravius testimonium reddidisse et majore cum impetu adversariis obstitisse, id non tam praevium Apostoli consilium, quam effectum quendam indicat, non tam docendi initium, quam potius ardorem atque vim innuit, qua animos percellebat: *Tanta vi omnium commovebat mentes, ut intelligerent eum viribus a spiritu sancto auctis doctrinam tradere.*

Ex altera autem parte nec doctissimo Jo. Davidi *Michaelis* concedimus, tum demum hanc epistolam scriptam esse, quum diutius Paulus Corinthi jam commoratus esset: iteratum ejus Thessalonicam redeundi *consilium* non tantum

---

1) Ita Hugius (II. p. 325.), vir doctissimus et sagacissimus, quem temporum computationem in N. T. optime instituisse perhibemus; a quo *Eichhornius* parum recedit, qui hanc epistolam post medium hunc annum datam esse statuit.

2) III. p. 57. „*Da Paulus bis auf ihre Ankunft die* angestrengtere *Betreibung des Unterrichtes im Christenthume aussetzte, und er sie auch erst seit ihrer Anwesenheit anfing, so läſst sich daraus folgern, er habe sie bald nach seiner Ankunft erwartet, und seine Erwartung sei in Erfüllung gegangen.*"

tum temporis requirebat. Ita quoque nihil est, quod nos cogat, ut de pluribus Pauli in diversas Achajae partes cogitemus itineribus, quum qui Corinthi degebat, is sane inter Achaeos versaretur ab iisque audire posset Thessalonicensium laudes. Praeterea Corinthum, urbem mercatura frequentissimam, undique et maxime quidem ex Achajae partibus multi confluere solebant homines.

§. IV. Epistolae argumentum ac stilus.

1. Tempori, cui hanc epistolam vindicare studuimus, plane convenit argumentum. Apostolus enim, qui Thessalonicae, postquam multis fatorum vicissitudinibus agitatus fuit, singulari quodam animi impetu evangelium tradiderat, divinioris mentis, qua afflatus fuerat, recordatione in hac etiam tenetur epistola. Unde vehementioris cujusdam animi motus in eadem non pauca inveniuntur vestigia [1]. Quod in priore ejus parte (c. I — III.) in Thessalonicensium maxime laudibus, in Apostoli testimonio de sua apud ipsos constantia et alacritate, in vehementia denique conspicitur, qua Judaeos increpat, ut humani generis, ita ecclesiae maxime Christianae osores et perpetuos inimicos. Praeterea in eo quoque tales deprehendimus effectus, quod P. in hisce litteris de sua opera et Thessalonicensium animo ad recipiendam veritatem paratissimo tam prolixe tantoque cum gaudio scribit, ut facile videamus eum scribendo similem animi motum prioris alacritatis recordatione excitare studuisse. Quod de ceteris valet Pauli epistolis, ut argumenti sint maxime exhortatorii, id in hac etiam obtinet: immo dogmata hic non exponuntur, nisi perpaucis tantum locis. Juxta *Camerarium* huic epistolae est „τύπος φιλικὸς καὶ ἐπαινετικὸς et ἑαυτοῦ συστατικός. Sed si ad scopum respicias, proprie est παραινετικός, tum ad constantiam in fide, cui impenduntur tria priora capita, tum ad sanctimoniam in vita in duobus reliquis capitibus."

2. Duabus igitur constat partibus, quarum altera, quae tria complectitur capita, Thessalonicensium laudes, Apostoli consilia, exhortationes et amoris continet protestationes; altera, quae duobus absolvitur capitibus, admonitionibus occupatur, quae futuri Christi reditus ratione habita proponuntur. Sententiarum series in utraque parte

1) Cf. Eichh. III, p. 58. sq.

ex analysi cognosci potest; cuique sectioni praemittendae; hic potius de interno epistolae nexu quaedam praemonenda sunt. Ordo autem, quo in hac epistola singula traduntur, facilior est, quam vulgo esse solet in epistolis Paulinis; cujus rei in eo sine dubio inest causa, quod externis magis, quam internis regitur rationibus. Quod tamen, quum de exhortationibus non valeat, hinc nova non exoritur difficultas; nam ibi rursum de nexu nimis anxie omnino non est inquirendum; talia enim praecepta ad mores pertinentia vel sine omni nexu, vel levi tantum vel externae vel internae cujusdam similitudinis ligamine conjuncta esse solent. Haud raro tamen cogitationum series quaedam animo nescienti fere obversata, causa est, cur ita potissimum componantur. Sic quum IV, 1 — 8. hortatus fuisset Paulus ad sanctitatem et integritatem servandam, et in re venerea, et in negotiis ad mercaturam pertinentibus, ad fratrum transit amorem 9 — 12., in quo divites primo, tum omnes ob oculos sibi ponere videtur. Quum vero hos hortaretur, ne desidia et vana curiositate suis et oneri et opprobrio essent, in mentem venit una ex praecipuis ejusdem mali causis, exspectatio scilicet Messiae mox redituri, qua impediebantur homines isti inquieti, quo minus negotia ad hunc rerum ordinem spectantia, mox transiturum, vel minima cura etiamnum digna haberent. Quae res, quum princeps fuerit hujus epistolae conscribendae causa, diutius in ea immoratur Apostolus IV, 13 — V, 11. Ea autem admonitione ad finem perducta per praeceptum, ut Thessalonicenses se invicem in veritate tenenda confirmarent, facile in mentem veniebat recordatio de praeceptoribus ob id ipsum, ut alios edocerent et exhortarentur, constitutis. Unde horum cura illis commendatur. De singulorum vero praeceptorum nexu hic exponere opus non est, quum eum in ipsa interpretatione satis diligenter perquisitum, quamvis forte non semper inventum, deprehendas. Nostra tantum intererat, ut exemplo ostenderemus, quo modo Apostolus connectere soleat sententias, ubi intimo earundem vinculo, ut ex uno omnes profluant fonte, non continentur. Qui vero omnia, quae de morum doctrina in hac epistola traduntur, clare exposita habere et perspicere cupit, is *Bergeri* adeat practicam Isagogen in N. T. [1]). — Apostoli sapientia, qua

---

1) *Immanuel Berger* Versuch einer moral. Einleitung in das N.

ab altera parte cavebat, ne refrigesceret Thessalonicensium fides, ab altera vero parte a fanaticis eos arcebat erroribus, in hisce duabus epistolis, eorum argumento collato, tam perspicue apparet, ut qui earum sententias, immo singulas etiam voces inspiciat (quod ipsa expositio demonstrabit), non possit eam non mirari, utque nostri aevi doctoribus ecclesiasticis, quibus simili modo haud raro et Scylla et Charybdis vitanda est, exemplo esse possit utilissimo.

§. V. Exponitur, quando quaque occasione oblata scripta sit posterior ad Thessalonicenses epistola.

Apostoli conditio, quum hanc daret epistolam, eadem aut simillima saltem erat ei, quae in priore apparet: Eosdem apud illum deprehendimus socios, Silvanum atque Timotheum; neque in reliquis rationibus externis quidquam mutatum esse videtur, nisi quod Paulus spem non jam exprimit et desiderium mox adeundi Thessalonicenses; unde colligi posse arbitramur, hanc epistolam haud ita diu post priorem a Paulo iis missam esse. Neque vero accurate constitui posse videtur, quando haec epistola, quae Corinthi scripta esse non dubitatur, data sit, quum nesciamus, quamdiu bini illi viri, qui cum Paulo ei nomina inscripserunt, apud Apostolum manserint. Veri tamen specie non caret ea sententia, qua sub extremum tempus, quo ille Corinthi degeret scripta esse statuitur, ita, ut anno ad summum, ad minimum vero sex mensium spatio a superiori separetur. Id vero non arbitror, quod *Bertholdtio* visum est, cuiquam facile probatum iri [1]), hanc epistolam eo jam argui ultimis mensibus, quo Corinthi degeret Apostolus, scriptam esse, quod petat a lectoribus (III, 2.), ut precentur, ἵνα ῥυσθῇ ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων, qui, quum Judaei non fuerint (οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις, ex quo sane non elici poterit argumentum satis validum)

T. III. Lemgo 1798. p. 356 — 376. Singularis vero in ea expositione inest error, tanquam Paulus, primo semper a religionis doctrina initio facto, praecepta ad mores pertinentia Thess. non simul tradiderit, itaque omissa in hac maxime suppleverit epistola.

1) *Einl.* VI. p. 3481. *Eichhornius* p. 68. 69. e contrario istas persequutiones in Actorum libro narratas easdem esse putat, atque eas, ad quas haec alludat epistola.

Corinthi omnino quaeri nequeant, ubi solos Judaeos Paulo audiamus insidiatos esse; inde sequi illum hanc epistolam non conscripsisse, nisi quum hanc urbem jam relicturus esset (Act. XVIII, 1—17.). Solum vero hujus sententiae, quacum similitudo cum litteris prioribus non facile conciliari potest, argumentum concidit, modo tenuerimus, quod et ipse Bertholdtius non neglexit, ubique terrarum Christianos Judaizantes (brevitatis causa hoc liceat uti vocabulo), Paulo molestias creare solitos fuisse. — Etiam ecclesiae Thessalonicensis conditio, de qua Paulus aut per litteras, aut per nuncios ad se redeuntes edoctus fuerat, ejus haud dissimilis esse videtur, quae in priore apparet epistola. Attamen aliquid temporis praeteriisse videtur ex quo tempore haec apud Thessalonicenses lecta fuerat epistola, quum tantas turbas, si vera est sententia nostra de epistola Pauli, quam vulgo suppositiciam habere solent, moverint ejusdem loca quaedam falso intellecta.

Ceterae de tempore, quo haec epistola exarata sit, opiniones dignae vix sunt, quas commemoremus. Monuisse igitur sufficiat, Koppium olim statuisse, eam illo tempore scriptam esse, quo Paulus (a. LX. cf. Act. XX, 1.) e Macedonia in Palaestinam proficisceretur, argumentum vero, quo permotus hanc sententiam amplexus fuerat, quod scilicet Paulus non hic etiam, sicut in priore epistola, spem exprimeret eos revisendi, postea nimis tenue ipse habuit, quam ut sententiam suam defendere studuerit; qua igitur relicta rem alio etiam modo explicari posse dabat.

Quae quum ita se habeant, nos quoque, omissa hac conjectura, ad aliam nos convertimus, minus etiam probabilem, quae a *Whistonio* proposita, a Bensonio argumentis satis validis explosa est [1]). Ille vero hanc epistolam non scriptam esse putat, nisi anno demum sexagesimo septimo, ut ex ultimis esset, quas confecerit Apostolus. Sed ecclesia Thessalonicensium, quum P. has epistolas ad eam daret, recens condita fuisse videtur. Argumentum, quo Whistonius utitur speciosissimo, hoc est, quod plures jam e Thessalonicensibus, ex quo illi ad sacra Christiana transierint, fato functi esse videantur, quo etiamsi non necessario persequutionem Neronianam (quae solam Romam attigisse putatur), tamen longius temporis spatium supponi.

Eorum vero conjecturae, qui hanc epistolam a priori

---

1) Paraphr. ed. Bamberger. p. 67 — 70.

longo temporis spatio separant, sive, ut Grotii fert sententia, hancce priorem arbitrantur, eo plane refelluntur, quod haec posterior sensu omnino careat, nisi ad praecedentem illa referatur, ejusque habeatur quasi supplementum et rerum quarundam in ea expositarum accuratior explanatio [1]).

Utramque autem et priorem et posteriorem epistolam mature post Thessalonicensium conversionem scriptam esse, ex eo quidem certissime concludi potest, quod omnia et singula praecepta, nec non errores, ad quos illa referuntur, accuratissime ecclesiae recens conditae respondeant conditioni. Quod alio loco de erroribus eorum copiosius evicimus. Neque ea minus in iis valent, quae de illorum conversione, nuper facta, deque commotiore animo, quo Paulus inter Thessalonicenses versatus sit, in priore afferuntur epistola, hic tamen non iterum attinguntur.

§. VI. Expenduntur hujus epistolae argumentum et indoles.

Tenendum est in disponendo et judicando hujus epistolii argumento, quo illud nexu cum priore cohaereat, quod eo illustratur et accuratius exponitur. Thessalonicenses enim absque dubio, quum de mortuorum conditione sollicitos consolatus fuisset Apostolus, nec de tempore, quando regnum divinum exspectandum sit, quidquam monuisset, sed tantum innuisset, repentinum necopinum illum diem ingruiturum esse, nimiae indulserant atque cupidiori illius exspectationi. Quid? ipsius etiam expositionis Paulinae unum alterumve locum falso poterant in sententiae ipsorum pervertere confirmationem (1 Th. IV, 11. ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου cf. v. 17. V, 3 — 8.). Utrum fictitia etiam epistola, bono fortasse illa quidem consilio concinnata, eorum auxerit sollicitudinem, id nec negare, nec pro certo affirmare ausim [2]), quamvis confitear id ut credam me non facile induci posse. —

1) *Benson.* l. l. p. 173. 74.

2) Hug. Einl. illud statuit II. p. 344., qui locus dignus est, quem afferamus; „Da P. ihnen in seinem ersten Briefe einige Fehler verwiesen hatte, machte Vielen das eigne Bewufstsein die Ankunft des Herrn weniger erwünscht, sogar fürchterlich. Bald nachher erschien wieder ein Brief unter dem Namen des Apostels, welcher den heran-

Quorum exspectationem ita temperare studet Apostolus, ut nec plane exstingueretur, nec mentis illis excuteret sanam sobrietatem. Quare in his insistens, quae V, 1. 2. dixerat, de hora et die nil posse constitui, in mentem iis revocans Domini praedictionem quandam, secundum quam ante ipsius adventum atrocissimae res essent exspectandae, efficere studet, ne nimis cupide judicis praestolarentur adventum, a quo terror earum rerum, quae praecessurae essent, eos retinere poterat. In his igitur exponendis non sine causa diutius versatur, quam rei per se spectatae postulare videretur gravitas (Cf. 2 Thess. II, 2. sq.).

2. Tribus partibus describi poterit haec epistola, quarum *prima* exhortationes continet cum laudibus et votis conjunctas. Quae omnia capite primo brevius proponuntur seu potius attinguntur, quam in epistola priore. Paulus enim tam plenus est reditu Christi, qui in mente ei haeret, ut, ad principale hoc epistolae festinans argumentum, hic jam praemii et poenarum a judice irrogandarum injiciat mentionem (v. 7 — 10); tum maxime ad constantiam exhortatur in perferendis malis. In *altera* parte, quae secundum complectitur caput, de Messiae exponitur reditu rebusque eum praecessuris, de quibus in excursu interpretationi inserto fuse satis tractavimus. Adduntur praecepta ab eadem expositione pendentia. *Tertia* pars, quae tertio capite absolvitur, et quam epistolae excipit conclusio, in eo maxime occupatur, ut cohortationibus quietis ordinisque publici cohibeat turbatores. Quae voto tanquam sigillo quodam obsignantur. Quae pars, ut brevissima, ita tamen est gravissima et si cum similibus in altera confertur epistola praeceptis et cohortationibus facile est videre, Apostolum, quum intelligeret, lenius ac mitius persuadendo nil perfici posse, ad acriorem se convertere castigationem. Eae vero admonitiones, quibus commendabatur Thessalonicensibus, ut sibi caverent a li-

---

nahenden Moment der Erscheinung des Herrn verkündete; diefs allein war nöthig, um sie vollends trostlos zu machen. Dieser Brief war zwar erdichtet, that aber seine volle Wirkung. Wahrscheinlich war er von einem aus ihrer Mitte geschrieben; denn der Vf. kannte ihren Zustand, wufste ihre Erwartungen, ihre Furcht und Hoffnungen. Er dürfte daher weniger aus bösen Absichten, als vielmehr in der Meinung geschrieben worden sein, bei Einigen die Besserung zu beschleunigen." Cf. Eichh. III. p. 66.

bidinibus, utque ecclesiae ministros debito haberent honore, in hac epistola non repetuntur; ex quo non sine magna veri specie concluditur, singulis fortasse factis, quae illae spectabant, emendatis, praecisa horum praeceptorum causa, ea omisisse Apostolum. — *Tychsenii* sententiam de secundi capitis argumento, tanquam sine rei significatione adversariorum in eo contineatur sententia, a nobis in ipso commentario allata quidem sed rejecta est.

§. VII. De nonnullis, quae duabus hisce epistolis maxime peculiaria sunt.

Inveniuntur in duabus his litteris nonnulla, quae in ceteris ab eodem Apostolo profectis nequidquam quaesieris. In quibus *primum* quidem locum jure obtinet uberior expositio doctrinae de Christi reditu deque Antichristo eundem praecessuro. Jam vero in ipso contextu et in excursu eidem addito, ostendimus, quomodo haec doctrina, in fundamento oraculorum Danielis prophetae innixa, ab ipso Domino passim exposita, nec a ceteris N. T. scriptoribus aliena fuerit; in quo Apocalypsin etiam conferre potuissemus, idque lubenter peregissimus, nisi quaestio de auctore ejus nimis obscura ab hac re nos retinuisset, et quum alia loca id jam satis evincerent, hanc doctrinam de Antichristo alterum Domini reditum praecessuro, in N. T. libris haud raro recurrere, longiorem istam expositionem missam nobis faciendam esse duximus. — Ad Paulinam vero quod attinet hujus potissimum rei expositionem, eam in hac solummodo epistola inveniri ne mireris, observandum est, non facile hujus Apostoli aliquam inveniri epistolam, in qua non tractata sit dogma quoddam in ceteris ejusdem litteris non obvium.

Recedit ab Apostoli consuetudine id quoque, quod *altero* loco observamus, ut in priore saltem epistola hortetur, ne illa cuiquam subtrahatur, sed coram omnibus potius legatur. 1 Th. V, 27. Quod tam solemni injungitur Domini obtestatione, ut forte fortuna hoc monitum adjectum esse non possit putari; in quo quidem difficultatem creat, quod nesciamus, cuinam primo hae epistolae traditae sint, utrum ecclesiae presbyteris, an forte mercatoribus sive aliis quibusdam hominibus auctoritate et rerum familiarium copiis nexu quodam cum exteris locis conjunctis. Illud tamen quam hoc statuere malim, quum vel in recentissime condita ecclesia ministri constitui so-

lerent, qui ejus rebus praeessent. Hisne autem ἀτάκτως περιπατοῦντες interfuerint, an alia quadam de causa ab iis verendum fuerit, ut retentis epistolis coram omnibus eas legerent et ipsi, quid libuerit, ex iis referrent, vix ad liquidum perduci posse videtur. De eo autem minime dubitamus, modo ecclesiae Thessalonicensis satius noverimus rationes, nihil nobis in hoc praecepto obscurum mansurum fuisse.

Plane huic geminum est, quod in posteriore epistola timetur (ut hoc tanquam *tertium* afferamus), aut timeri saltem videtur, quod in ceteris vero Pauli epistolis nullibi recurrit, ne fictitiae litterae ipsi supponantur, iisque terror incutiatur Thessalonicensibus. 2 Th. II, 2. Quocum conjungendum est signum, quod additur III, 14., quo veras cognoscant Apostoli epistolas; quae res dici fere nequit, quam sit insolita. Ab adversariis igitur metuit Apostolus, qui ad divinas revelationes provocasse videntur, unde fortassis admonitiones etiam repetendae sunt de expendendis caute et diligenter exhortationibus praedictionibusve propheticis. 1 Th. V, 21. 22. Quinam vero illi fuerint, quos tam impudentes haberet Paulus, ut putaret, posse ab iis fallaces confingi litteras, dolemus nobis non esse traditum.

§. VIII. Testimonia externa pro harum epistolarum authenthia.

1. Ne centies recocta repetam, neglectis incertis hujus epistolarum paris vestigiis apud Patres Apostolicos obviis [1]), id pro comperto haberi posse puto, quaedam earum effata haud raro ita innui et quasi attingi, ut facile videas, eas ab antiquissimis inde temporibus usu ecclesiastico tritas fuisse. Quod praecipue quidem de *Clemente Romano*, *Ignatio Antiocheno*, *Polycarpo Smyrnaeo* et *Justino Martyre* valet. Prima vero testimonia satis certa pro utraque epistola leguntur apud Irenaeum, qui binos affert locos e priore (V, 23. III, 1. 2. contr. Haeres. V, 6, 1.), unum vero posterioris locum (II, 8. cf. c. Haer.

1) Cf. *Chr. Fr. Schmidtii* Hist. ant. et vindicatio Canonis. Lips. 1755. p. 600—4. et 288, ubi locorum, quae huc referri solent, invenitur delectus. Quorum locorum paucissimos tantum *De Wettius* (Einl. §. 127.) quos afferret dignos habuit, praeeunte *Eichhornio* (III, p. 70. n. f.), qui parciore etiam utitur penu.

III, 7, 2.), et quidem ita, ut disertis verbis ex Apostoli ad Thessalonicenses epistolis illa desumta esse tradat. Quare non opus est, ut in ejusdem auctoris iis diutius immoremur locis, quae obscurius ad harum epistolarum alludunt vel argumentum, vel singula dicta. *Clementis Alexandrini* (Paedag. I. p. 89. ed. Sylb. cf. 1 Th. II, 7.) *Origenis* (c. Cels. III. T. I. p. 458. Ruaei.), *Tertulliani* (de Resurr. carn. c. 24. cf. 1 Th. V, 1. et 2 Th. II, 1.) seriorumque patrum, quorum non desiderantur sat multa testimonia, nec juvat, nec expedit describere loca, quae nihil continent, quod vel explicatione egeat, vel in rem nostram quidquam conferre possit, si simplex exceperis testimonium. Praeterea quaecunque in ipsa expositione e Patribus ecclesiasticis tanquam ejus adtulimus praesidia, ea testimonia simul pro hisce epistolis delata haberi possunt. Externae vero non adsunt causae, cur de harum epistolarum dubitemus genuina indole et Paulina origine; igitur earum nec *integritas*, nec *authentia* suspectae sunt.

2. Quo factum est, ut omni tempore ecclesiastico canoni insertae fuerint, nec a quoquam rejectae sint, nisi ab iis, qui omnes epistolas Paulinas respuerent. Marcion has litteras nec mutilasse, nec adulterasse videtur, quum Epiphanium (Haer. Col. 1682 p. 318. c.) nihil nisi inversus ordo, quo hae epistolae post illam ad Romanos datam primo loco positae erant, offendisset [1]), si discesseris a levi lectionum varietate. Quare ad nostra usque tempora, quibus, quod deinceps fusius exponendum est, posterior ex his epistolis in dubium vocata est, nemo eas impugnavit. Et sane ad rationes externas, interna quadrat harum litterarum indoles, in quibus nemo, puto, Paulinum desiderabit stilum et pectus. Ad historicas vero quod attinet earum rationes eas inter se non minus, atque cum Actis Apostolorum optime convenire, acutissime ut solet, ostendit Palejus [2]) — Is quidem in eo maxime invenit pro prioris epistolae sinceritate argumentum, quod

1) „*Epiphanius sagt: bei* Marcion *sei der zweite Brief an die Thessalonicher so durchaus corrupt, daſs er um deſswillen die Abweichungen nicht einzeln aufzählen möge.*" Schmidt Bibliothek für Kritik u. Exegese, II, 3. p. 385. Me nescire confiteor ad quemnam locum alludat vir clarissimus: quare ex Epiph. l. l., cum pace viri d. d., contrarium statuere liceat.

2) In *Horarum Paulinarum* versione vernacula ab S. V. *Henkio* edita p. 252 sqq.

novi nec proprii contineat in rerum externarum rationibus, *ut genuina haberi nequeat.* Ad prius vero quod attinet in commentario p. 5. et 6. ex aliis etiam epistolis (nec in ulla fere locus deest, huic simillimus) data opera contulimus loca. Posterius vero argumentum, modo has litteras paulo post priores datas esse accipias, nihil in se continet, quod dubitationem moveat. Quid dicerent iidem, qui nunc similitudinem criminantur, si omnia essent dissimillima? Paullulum immutata tamen apparet et Apostoli et Thessalonicensium conditio: ille enim non jam sperat, fore ut adiret Thessalonicam; hi a timore pro mortuis Christianis ad impatientem transierant solemnis regni Messiani inaugurationis exspectationem.

c. Altum de priore epistola silentium, etiamsi illud statuerimus (sed cf. quae ad II, 15. annotata sunt), nihil plane probat. Quis enim, quaeso, in quacunque epistola, ejus, quam proxime scripserit, injicit mentionem?

d. Quomodo Paulus, qui non jam scripserat nisi duas epistolas, eam quae ad Galatas data est et priorem ad Thessalonicenses, *timuisset, sibi litteras posse subornari?* — At vero adversarios satis cognovisse putari potest et in hoc ipso memorabilis inesse videtur inter hanc et priorem epistolam consensus, ut in illa, quum non jam eo processerit timoris, ut supposititias timeret litteras, tamen metueret, ne coram omnibus legeretur itaque quibusdam non innotesceret epistola, sine dubio per adversariorum fraudem.

e. Auctor in calce signum addit, quod desideratur in plerisque ejus epistolis. Qua de re conferas, quae in commentario exposuimus. Modo bene intellexeris Apostoli signum, in nulla fere illud desiderabis ejusdem epistola, aut saltem illud abfuisse probari nullo modo poterit, quod faciendum est adversariis, nisi aëri ictus infligere a nobis insimulari volunt.

f. In posteriore epistola multa occurrunt, quae consilium produnt, suspicionem contra priorem excitandi. Quod quum nobis fortassis ita videri possit, tamen primis lectoribus non ita facile persuaderi poterat, quum praesertim non ipsum prioris epistolae argumentum taxet, sed id potius, quod ex eadem falso intellecta aliquis possit elicere. Immo tantum abest, ut hae sibi contradicant epistolae, ut altera potius sine altera veram

Pauli de his rebus sententiam vix sola nobis aperiret. Quod vero

g. postremum ad doctrinam de Antichristo (II, 2. sqq.) attinet, confidenter negamus eam a Pauli mente esse alienam, idque argumentis facile evinceremus, nisi in Excursu ipsi contextui interposito hanc rem satis jam perfecisse nobis videremur. Confitemur adhuc, ineptum nobis videri quorundam criticorum morem ea, quae inusitatiora sunt et semel tantum occurrunt, statim, etiamsi reliquis ejusdem sententiis non contradicant, nisi audacter rejiciendi, tamen in dubitationem vocandi [1]).

Confitetur tamen et ipse *De Wettius* hanc epistolam Paulinum referre stilum locumque III, 6. sqq. plane eximium esse. Cui nos quidem addere non haesitamus, idoneam de hujus epistolae authentia dubitandi non adesse causam.

§. X. Christi reditus et regnum coelorum in terra non visibilia sunt exspectanda, sed imaginibus figuratis ab illo proposita.

Unum ex praecipuis harum epistotarum capitibus, quodque maxime interpretes et criticos vexavit, in iis positum est, quae de regno coelorum deque Christi quondam in terram reditu proponuntur, quae in divini doctoris sermonibus inniti, in ipso observavimus commentario. Jam vero quaeritur, quonam illae praedictiones accipiendae sint sensu, utrum proprio, an translato et allegorico. Qui prius contendunt, illi quidem monent propriam verborum vim tenendam esse, ubicunque in ipso contextu nulla insit translati sensus significatio. Quod in universum quidem quum verum sit, tamen ita est intelligendum, ut non unum solummodo locum nuncipsum tractandum arripiamus eumque solum inspiciendum esse ducamus. Sunt potius reliqua simul dicta, maxime apud eosdem sive

---

1) Haud equidem scio, quid sibi velint formulae, qualem De W. V. S. V. hic adhibuit: „*Nicht ungegründet sind die Zweifel, welche gegen die Aechtheit des zweiten Briefes erhoben worden sind.*" Quod enim fundamento non caret, id sane verum est; tum multo disertius dici debuisset, hanc epistolam argumentis satis validis falsam esse convinci; sin vero dubitationem tantum proferre volebat, ipsum etiamnum desideratur fundamentum; dicere debuisset: *nicht unerheblich*, vel tale quid. — Qua formularum ambiguitate res facile eo adducitur, ut imperitiores de vero ejus statu fallantur.

cognatos auctores obvia, simul in animo tenenda et in censum vocanda. Quod si fecerimus, ubi videbimus ea, quae sibi contradicant, sive potius contradicere videantur, facile solvi, modo typicum statuatur orationis genus, dubitandum non est, quin in hoc ipso vera insit interpretatio. Ita si poenae aeternae modo igni conferuntur nunquam exstinguendo, modo vermi comparantur nunquam morituro, modo frigori nunquam cessaturo: quis est, quin videat, hic generalem poenarum aeternarum notionem tribus proponi imaginibus, ex quibus nulli competat physica, ut ita dicam, veritas, sed solummodo moralis. Quocum ipso quum Christi reditus arctissime cohaereat, haec poenarum ratio plus etiam esse poterit, quam mera analogia; immo ab harum similitudinum figurata explicatione etiam illius verus sensus pendere videtur.

Ne tamen argumentis extra ipsam rem positis eam conficere velle taxemur, in his diutius non immorandum esse arbitramur. Omissis igitur *cognatis Christi dictis*, ad ea nos convertimus expendenda, quae in hac ipsa causa praecipuum quendam obtinent locum, ita tamen, ut non respectum habeamus, nisi ejus solummodo quaestionis, utrum proprie an figurate illae imagines, ab ipso delineatae, accipiendae sint [1]). Ad hoc vero tuendum his utimur argumentis.

Christi reditus in diversis sermonum ejus locis non uno eodemque modo describitur, quod eo majoris est momenti, quoniam alias, ubi proprie aliquid exponit, summam in sententia de quacunque re in eo videmus constantiam. Etiamsi humano more judicare velimus de dicto Matth. X, 23., quis sibi persuadebit Christum animum induxisse, fore, ut antequam Apostoli peragrati essent omnes Judaeae civitates ipse ad extremum judicium et ad condendum Messianum in terris regnum rediturum esse?

---

1) De ipsa re satis copiose tractavit ill. *Fleckius*, dd. Prof. Lipsiensis in libro: *De Regno divino.* 1829. p. 329 — 428. ut antiquiores omittam, qui non tantum omnes ibi afferuntur; conferenda est brevior hujus rei delineatio a cl. *Hasio* descripta in summi acuminis et insolitae doctrinae libro, cui inscriptum est: *Das Leben Jesu.* Leipzig 1829. §. 119. A cujus sententia quum toto coelo discedam, tamen gaudeo eam tam acrem et ingenio et animi candore insignem nactam esse vindicem. Nihil enim bonae causae bonis adversariis magis solet prodesse. In hac tamen re me parum ab illo recedere lubenter confiteor.

Immo utrumque figurate intelligit (nam de externo Christi cum iis conventu antequam Palaestinae oppida perineaverint, jejuna et inepta est expositio), ut ejus sit sensus: „*Negotium vestrum evangelicae praedicationis non jam peractum erit, quum equidem ad vos rediero, victoriam vobis conciliaturus,*" in quo spiritualem innuere videtur adventum (Matth. XXVIII, 20.). Defenderim tamen, hocce dictum ipso hoc tempore, nec diversa occasione prolatum ideoque solemnem τοῦ ἔρχεσθαι vocem adhibitam fuisse, ut explicatione res non indigeret fusiore, donec illi redeuntes sine dubio ejus dicti, quod tum vix intellexisse putandi sunt (quare uni Matthaeo in mente haerebat, qui huic orationi aderat) explicationem vel a Christo petiissent vel ipsi invenissent. Christus igitur eorum fidem et in leve discrimen adducere et a proximis iisque terra adscriptis ad remotiora et quidem altiora adducere voluisse putandus est. Non enim de re mox eventura eum verbum facere, eo arguitur, quod *regum* injicitur mentio *et crudelissimarum persequutionum* (v. 17 — 22.), quae minime ad proximum pertinerent tempus, aptissima vero erant ad praeparandos eorum animos ad atrocissima quaevis olim perferenda. Quae sententia universo orationis tenore confirmari videtur [1]). Quod multo etiam clarius patet in loco Luc. X. 17 — 24. Nihil distincti, quo in hanc rem possimus uti, inest in imaginibus Matth. XIII, 39 — 43. (ubi tamen angeli et diabolus, quum in propria id occurrat imaginis declaratione, a multis proprio sensu accipiuntur) et v. 49. 50. Rem ita simpliciter non posse ad verba accipi satis proditur ignis aeterni fornacisque ardentis atque stridoris dentium commemoratione. Proprium tamen sensum in hac etiam faciliore expositione adhuc enodandum esse fortasse v. 43. verba produnt, quibus a Christo additur: ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω!

Diserte vero et sine ambagibus res ipsa proponitur: XVI, 27. Dominum cum angelis venturum et quosdam

---

1) Qui *Matthaeum* habent primi evangelii auctorem, quod de Aramaico quidem archetypo non de Graeca compositione hic illic aucta mihi videtur contendi posse, illos parciores esse conduceret in statuendis memoriae erroribus mirisque diversissimarum orationum coagmentationibus. Observatio per se quidem vera, hunc auctorem haud raro diversa conjungere Christi dicta, caute tamen adhibenda, nec nimis late extendenda. Quod, ut hoc afferam, de oratione montana, a recentioribus rursum jam concedi solet. *Hase* l. l. §. 67.

adstantium non esse morituros, donec eum viderint redeuntem ad capessendum ipsius regnum sive potius: „in medio quasi ipsius splendore adventantem," (pro quo apud Marc. VIII, 39. Luc. IX, 26. legitur *ὅταν ἔλθῃ* (*ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*) *ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ μετὰ τῶν ἀγγέλων τῶν ἁγίων*), ut cuique rependat pro ipsius operibus. Ex quo efficitur, aut Christum falsum esse, quod quum per se accipi nequeat, tum in hac praesertim re, ut mox videbimus, maxime Joanneis, sed etiam aliis refellitur locis, aut tropice dictum est, ut de Hierosolymorum eversione deque prima Christianae rei, ut ita dicam, victoria intelligendum sit. Haec ipsa est Messiae gloria (*δόξα* a patre in ipsum collata). *Γεύεσθαι θανάτου* non posse intelligi nisi de morte corporis in terra patienda, vix est, quod moneamus. Nihil igitur morati commentum illud de duplici Christi reditu, altero visibili, altero invisibili, in eo potius acquiescimus, ut contendamus, modo his, modo aliis hunc reditum significari imaginibus. Hic enim reditus non res est certo quodam tempore eveniens, sed ea victoria, qua sensim pedetentimque res Christiana ad summam gloriam et orbis terrarum evehitur imperium. Cujus ne quis objiciat Hierosolymorum eversionem non fuisse documentum satis validum, monemus ea, quae praecesserunt, Christi e mortuis resurrectionem, spiritus sancti effusionem, religionisque Christianae in omnes fere terras, quae tunc notae essent, propagationem splendidissimum sane fuisse reditus Christi initium. Verum enim vero si quis objiciat, ab auditoribus ita hoc Christi dictum vix intelligi potuisse, facile id quidem concedimus, modo *primariam* excipias *sententiam* de regni divini certa victoria quondam eventura deque judicio ad legum a Christo propositarum normam olim habendo. Harum praedictionum plenus sensus non poterat intelligi nisi ex ipso rerum eventu. Quam vero multa exstant Christi effata, quae insoliti quid in se continerent, ut in animis audientium haererent et memoriae sese imprimerent, nec tamen ab ipsis Apostolis ceterisque auditoribus intelligerentur, donec rerum eventu comprobarentur (Joh. II, 21. XXI, 22—24. cf. locos de paracleto, praeterea Matth. XXVIII, 20 .alios.). Quoquo autem modo hanc prophetiam intelligas, eam non tum jam ab auditoribus satis bene percipi potuisse statuas, necesse est. Quod si enim de externo adventu eoque mox exspectando Christum verba facere

putas-

putassent, quantum plebs excitasset tumultum, quanto gaudio discipuli, externi regni spe confirmata, exultavissent! Quod quum non videamus accidisse, aut statuendum est Christum de externo adventu non voluisse quidquam praedicere, idque discipulos non fugisse, aut hos illum non satis intellexisse. Quis vero dubitabit, in hoc dilemmate constitutus, prius multo abesse a veri specie propius? — Sed ne longi simus, observatione quadam de Christi docendi ratione rem absolvamus. Summo jure seminatori Christus semetipsum comparat: prudentis enim agricolae instar non eas tantum in terra condebat fruges, quas sciret mox esse messem laturas, sed haud raro ea quoque interspargebat semina, quae insequenti demum aevo fructus latura esse probe sciret. Quid, quod non deesse videantur ejus praeclare dicta, quae hoc demum aevo philosophia et rerum gestarum cognitione praeter solitum exculto et intimos quasi veritatis recessus investigante, accuratius et penitius perspiciantur, sicut nec in futurum, ut alia melius enodentur, spes est. Quod de quovis etiam humani ingenii opere et quidem eo magis valet, quo propius illud a divino veritatis abest fonte.

Maxime memorabilis est locus Luc. XII, 38. sqq., ubi parabola proponitur, ex qua possis concludere Christum saepius repetitum innuere adventum; quamquam concedam posse ibi diversa tantum significata esse tempora, quibus *exspectandus* sit Dominus. Disertis vero verbis apud eundem Lucam XVII, 20. regnum divinum dicitur non cum externo splendore venturum, ut hic vel illic illud esse statui possit: in quo spiritualis adventus non obscura inest significatio. Quam diversis Christus utatur ad illum describendum imaginibus, videmus e loco XIII, 28 — 30. Reditum vero non intelligendum esse externum ex Joannis maxime apparet evangelio XIV, 3. cf. v. 18. 20. 21. 28. omnino c. XIV — XVI. XXI, 22. 23. (quod caput Joanneum esse, quamvis Evangelio forte a presbyteris Ephesinis additum, equidem nulli dubitamus). Nusquam apud illum παρουσίας vox legitur; nec fere dubium est, Christi adventum ab ipso a spiritus sancti effusione non disjungi [1]). Insignis praeterea est locus Matth. XXIII, 37 — XXV, 46., in quo si proprie intelligendus est, non negare ausim, Christum reditum ipsius tanquam brevi even-

1) *Baumgarten-Crusius* bibl. Theol. p. 442. not.

turum proxime cum Hierosolymorum conjunxisse eversione. De hoc autem loco vide quae in Excursu a nobis prolata sunt (p. 186. 87.). Restat, ut de figurata etiam ejus loci oratione quaedam addamus. Sed confitemur in singulis minus perspicua inesse typorum significationem, si a tota recesseris imagine ibidem delineata. Hac vero potissimum spectata, jam non est, quod dubites, praedictiones ibi propositas proprio sensu non esse accipiendas, maxime si allegorias in Apocalypsi, quarto Esrae libro ct. cum iis contuleris. Quod in quibusdam capitibus demonstrari posse videtur. Quo enim tandem modo Christus visibilem in terra reditum fulmini comparasset ab Oriente ad Occidentem versus terram fulgore collustrantem? XXIV, 27 — 31. (ubi praeterea Christus profecto non quasi per saltum ab Hierosolymorum excidio ad judicium extremum ab eodem separandum transferri potuit, ut nonnullis interpretibus videtur). Quid, personae in hac imagine inest significatio? Quae dubitatio eo majoris esse videtur momenti, quoniam proverbium eidem explicando additum ad omnia potius alia, quam ad ipsius Christi spectare videtur visibilem reditum. Ubicunque cadaver projectum sit, ibi vultures convenire, quid significat, nisi exsequendis in Hierosolyma et incredulos Judaeos poenis ministros non defuturos, in quo ipsius Messiae visibili apparitioni idoneus non est locus? — Nec minus figuratum dicendi genus in eo conspicitur, quod de signo filii hominis additum est, qui per illud annuncietur ex nubibus multa cum gloria rediturus. — Tum ne nimis homines haereant in singula quadam ex iis praedictionibus, quae animis tantum occupandis erant propositae, e vestigio ad parabolas proponendas divinus orator redit; denique XXV, 31. eodem convertitur, a quo XXIV, 32. sermo ejus initium duxerat. Tunc demum ad regis redit judicium, quo boni malique debitas accepturi sint vel laudes, vel poenas.

His autem argumentis, ex Christi verbis desumtis, cum *Baumgarten-Crusio,* V. S. V. praeceptore quondam, grato animo semper colendo, et ingenio et doctrina omni laude mea majore, illud adjicio huic cognatum, quod ex universa doctrinae Christi indole petitum est. Primum enim omnia Christi de hac ipsa re non plane conciliari poterunt dicta, nisi id acceperimus, et maxime quidem allegoricum exspectationum propheticarum, e Danielis praesertim oraculis petitarum usum statuerimus. Tum vero

quomodo persuadere nobis poterimus, eundem, qui tam spirituale annunciaverit regnum, externum hunc splendorem quondam usurpaturum esse? — Idem apparet, ut iterum eundem virum doctissimum sequar faces praeferentem, e tropica explicatione exspectationis de Elia, e mortuis resuscitato, Messiae praecursore futuro in Joannem Baptistam, ut constat, translatae. — De Apocalypsi nihil addo, quum peculiarem ea quaestio desideraret librum, utrum in ea verae historiae insit tropica sive allegorica praedictio, an naturae accommodata, sed poëtica ejus victoriae descriptio, qua religio Christiana post multas contentiones omnem terrarum orbem esset subjectura ipsius ditioni. Quamquam, quum posterius mihi persuasum sit, et hoc afferre non omitto. cf. F. W. *Hagen Sieg des Christenthums über das Judenthum und Heidenthum.* Erlang. 1796. 8. *Ewaldii* Commentarius in Apoc. Joannis. Lips. 1828. p. 4. sqq.

§. XI. Interpretum conspectus.

Ex more inter doctos viros magis magisque invalescente eoque ab omni parte probando nos quoque addendum esse arbitramur brevem harum epistolarum, ut hac utamur appellatione, historiam litterariam, ex qua subsidia, quibus utendum sit, et quibus potissimum usi simus, lectori innotescant. Quidnam igitur lucis ab antiquissimis inde temporibus in eas ab interpretibus collatum sit, quidnam medium, quod dici solet, aevum ad eas explicandas fecerit, quomodo inde a resuscitatis per Lutherum studiis biblicis exponi solitae sint, quae denique recentiora tempora inde a medio saeculo superiore ad ea melius intelligenda contulerint studia, brevi perquirendum est. In quo quum longum sit omnes recensere, qui de epistolis Paulinis bene meriti sunt, ex his eos nominasse sufficiat, qui novam in iis exponendis aperuerunt viam [1]).

1) Lectorem, qui ex reliquis editionibus aliquam novisse cupidus est, ad *Mich. Lilienthalii* remittimus librum: Bibl. Archivarius des N. T. Königsberg u. Leipzig 1745. p. 422—24. et p. 645—53., ubi singulae etiam de singulis versibus afferuntur commentationes. Praeterea non possumus non laudare *Guilelmi Boehmeri*, collegae amici S. R. Isagogen in Ep. ad Coloss. Berol. 1829. 8., ubi in sectione XXVI. eadem diligentia, qua totus hic liber confectus est, pleraque recensentur subsidia ad legendas epistolas Paulinas utilia, addito judicio ex accuratissima plerumque librorum, quos affert, notitia hau-

1. Primo igitur loco patrum, quos vocant ecclesiasticorum recensendi sunt et commentarii et singulorum locorum expositiones, quibus tamen brevem praemittimus antiquarum versionum recensionem. In his autem primum locum jure obtinet praestantissima illa Syrorum *Peschito*, quae proprium sensum (פְּשַׁט) non allegoricum (מִדְרָשׁ) sectatur, tamque praeclara est, ut Jo. Dav. Michaelis Lutheri eam contulerit vernaculae versioni. Ad quam proxime accedit vetus *Latina* [1]), optimae et ipsa notae, quamvis non ita ad nos delata, ut antiquissimam ejus faciem in omnibus locis agnoscere liceat; utraque tamen ad finem secundi initiumve tertii saeculi nos revocant. Haec postea ab Hieronymo emendata variisque saeculorum vicissitudinibus agitata, *Vulgatae* nomine dici solita est. Ex quibus priorem maxime summa contulimus cura quatenus fieri potest, quum accuratior in ea edenda maximopere adhuc desideretur critica sollertia [2]). — De ceteris versionibus, quum nihil dicendum sit, id observasse sufficiat, *Aethiopis* nos usos esse versione latina in Polyglottis expressa; *Arabica* vero, quae tamen criticum maxime desiderat, ibidem obvia, diligenter usi sumus; illa quarto, haec octavo nonove saeculo parata esse videtur. *Copticae* versionis, quae inferioris est Aegypti, nobis non contigit usus; omnes concedunt eam et ipsam critica indigere opera [3]). Quarto aut quinto saeculo accensenda esse videtur et sicut *Armenicae*, quae initio saeculi quinti concinnata est, illius etiam haud spernendus usus. Versionem *Syram Philoxenianam*, quae vocatur, reliquas Arabes, Persicas, Sla-

sto. Quocum conferas sis, quae in Buddei Isagoge Hist. theol. ad univ. Theol. singulasque ejus partes in sectione de Theol. exegetica passim afferuntur. Lips. 1727. p. 1543—1796.

1) Editiones recensentur in De Wettii Isagoge in N. T. *Berlin* 1826. §. 24.

2) Praeterea nec ed. Londin., quae sub auspiciis societatis ad divulganda Biblia conjunctae Londini a. 1816. 4. publici juris facta et ab *Hugio* accurate descripta est (Einl. I. p. 376 sq.), adhibere licuit nisi per paucas horas, quas in itinere in Bibl. reg. Berolin. commorari poteram. Harum tamen epistolarum textum percurrenti nulla in eo oblata est lectionis varietas, quam non in *Gutbierii* editione, variisque lectionibus eidem aut Polyglottis Londinensibus additis notatam reperissem.

3) De ceteris versionibus *Aegypt.*, maximam partem nondum editis cf. Hug. ib. I. p. 414 et 419. ubi ex epist. ad Thess. secunda varia lectio e *Sahidica* exhibetur versione, ut p. 421. de *Basmurica* traditur, in ea exstare locum 1 Thess. I, 1—III, 5.

vicam — Gothica enim (*Hug.* p. 499.) nulla exstant harum epist. fragmenta — nominasse sufficiat.

Jam ad ipsas convertimur Patrum et primum quidem Graecorum, tum Latinorum expositiones. Ex illis post dolendam *Adumbrationum* (Ὑποτυπώσεων) *Clementinarum* jacturam (Euseb. H. E. VI, 14. Phot. Bibl. Cod. 109.), quae tamen utrum in Epistolas etiam ad Thessalonicenses continuerint scholia, nec ne, definiri nequit, primus ex iis, qui illis explicandis operam dicaverunt, superstes est *Joannes Chrysostomus.* Quantum lucis ex ejus curato studio possit in Pauli et verba et sententias inferri, ipso commentario satis probasse nobis videmur. Dolemus tamen Benedictinae editionis (Paris 1734. T. XI.) nobis praeclusum fuisse usum [1]). Post illum tempore et gravitate proximus est Theodoretus, qui ejusdem haud raro sequitur vestigia, non tamen nunquam littore, ut ita dicam relicto, velis in altum datis ea de suis profert, ex quibus bonum integrumque cognoscas judicium [2]). Hunc *Euthalius* excipit, qui sub medium saeculum quintum commentarium composuit, quo omnes complectebatur Pauli epistolas [3]). Jam scholia commemoranda sunt, ab *Joanne Damasceno* e Chrysostomi aliorumque deperditis ex parte commentariis decerpta et cum ipsius collectoris animadversionibus contexta, quae in his maxime epistolis rarius Chrysostomum referunt, saepe aut Damasceni continent, aut deperditorum commentatorum expositiones [4]). Praeterea *Oecumenio,* qui sub saeculi decimi exitum floruisse videtur, commentarium debemus quum praesertim ex eodem Chrysostomo, tum ex aliis etiam interpretibus, ex Origine, Eusebio, Athanasio, Basilio M., utroque Gregorio, Theodoreto concinnatum, quo saepius forte usus fuissem, nisi in locis sive quondam ex eodem decerptis, sive in aliorum commentariis descriptis acquiescendum fuisset, quum nullum nancisci potuerim ejus exemplum [5]). — *Theophyla-*

1) Adhibere licuit Opp. a *Frontone Duraeo* Francofurti edita inde ab a. 1697. fol. Vol. VI. Homilias in hasce continet epistolas.

2) Editione usus sum, quae sola complectitur Epist. Paul. interpretationem, quam ex Sismondiana recudi curavit additaque lectionum varietate auxit *Jo. Aug. Noesselt.* Hal. 1771. 8.

3) Gr. et lat. ed. *Zacagnius.* Rom. 1698. rariore vero hoc libro haud licebat uti.

4) Jo. Damasc. Opp. ed. *Le Quien.* T. II. Par. 1712. fol. pp. 215 — 26.

5) Ἐξηγήσεις παλαιαὶ ed. a *Morellio.* Paris. 1630. 2 Voll. fol.

ctus, qui Bulgariae episcopus obiit circa a. MCVII., Chrysostomi et ipse pedissequus, cujus Homilias haud infelici successu in compendium redegit, quaedam tamen de suis addit eaque bonae frugis [1]). — *Euthymii* denique *Zigabeni* (saec. XII.) commentarios in Epp. Paul. dolemus aut in Biblothecis adhuc delitescere, aut penitus interiisse [2]).

Quos quidem Graecos interpretes, praecipue antiquiores, ea de causa maximi faciendos esse arbitror, quod vitae adhuc usu trita et vigente quadam lingua ipsa usus conscientia prohibet, ne prodeant absurda quaevis interpretamenta. Quid, quod ea, quae illi, qui e libris sermonis cujusdam usum addiscere studet, difficillima esse videntur et obscurissima, per allusiones sive loquendi formulas familiari sermoni quasi proprias, sponte ei patere solent, cui vitae consuetudo magistra exstitit? Minime tamen nego, hos quoque interpretes in errores illis proprios haud raro incidere solere. Quo hi vero facilius evitentur, commentarii ab extraneis sub eadem tempora confecta haud exigui esse solent pretii. E quo tamen genere, quum nulla, quod sciam, exstet sat antiqua *Syrorum* explicatio epistolarum Paulinarum, non habemus nisi Latinos quosdam auctores.

Inter quos, quod tum ad Epistolas Pauli in universum, tum etiam ad eas attinet, quae ad Thessalonicenses datae sunt, primum et temporis, et internae indolis ratione habita, obtinet locum ea expositio, quae inter Ambrosii Opera typis describi solita [3]), *Ambrosiastri* barbarum nomen inter doctos viros sortita, Augustino vero teste a quodam Hilario profecta est [4]), eodem forte, qui post medium saeculum quartum Romae florebat et Diaconus vocari solebat. Asserit auctor ipse se sub Damaso scri-

---

cf. *Winer*. Ep. ad Gal. p. 16. not. 38. *Schröckh*. Kirchengesch. XXIII. p. 261 sq.

1) Non mihi contigit Operum ejus nisi versio Latina ab *Ario Montano* confecta et Basil. 1570 f. edita. Cf. *Schröckh* de hoc etiam interprete ibid. p. 313 sqq. Optima editio. Venet. 1754 — 63.

2) *Fabric*. Bibl. Graec. ed. *Harless*. T. VIII. p. 344. Gesnero auctore *Romae* horum commentariorum asservatur exemplum. Schroeckh. XXVIII. p. 309. *Lücke* Schriften des Johannes. Th. 3. Bonn. 1825. p. 297.

3) Opp. ed. Basil. 1567. fol. Vol. V.

4) Contra duas epp. Pelagii, IV, 7. ed. Bened. T. X. p. 311.

psisse, qui ab anno inde CCCLXVI per duodeviginti annos Romanus erat episcopus [1]).

In operibus Hieronymi (ed. Martin. T. V.) et Augustini (Benedict. T. XI.) succincta inveniuntur in omnes Pauli Epistolas scholia, quae, quod eorum de gratia etiam confirmatur doctrina, Pelagio famoso haereticorum primopilo, sed eidem morum gravitate insigni magna cum specie veri tribui solent [2]). Antiquam versionem latinam, quam ex eo atque Hilario supra dicto, si singula exceperis Tertulliani, Cypriani, Hilarii Pictaviensis atque Augustini locos maxime cognitam habemus, pressius sequitur, Graeci tamen textus nonnunquam, quamvis rarissime rationem habens (1 Cor. XV, 51.), commentatoribus autem Graecis saepe usus.

Hunc *Beda* exciperet *Venerabilis*, si uti possemus ejus in epistolas Pauli commentariis, qui tamen *Mabillonio* teste in Bibliothecis etiamnum latent (ipse ex duobus codicibus eos edendi quod ceperat consilium non exsequutus est) [3]); neque postea a quoquam eos in lucem editos esse comperi. Quae vero in sexto Operum ejus Volumine [4]) continentur expositiones, quae illius prae se ferunt nomen, illae *Floro* cuidam, qui saeculo nono diaconus erat Lugdunensis, deberi videntur. Ex Augustini aliorumque patrum collectis observationibus non sine justo judicio conflatae sunt et Bedae referre videntur interpretandi rationem.

2. Hunc tamen commentarium rectius medio aevo accensueris, quod Catenarum compositionibus subtilibusque et argutis in Patrum locis inter se invicem conciliandis uti argumentis, quam in simplici textus biblici explicatione se continere malebat. Cujus methodi Alcuinus primum ediderat idque luculentum satis exemplum. Nostras vero epistolas quum hic non attigerit, ad *Attonem* nos convertimus, nobilissimum episcopum Vercellensem

---

1) Huic tempori haereticorum confutatio non contradicit. ad Phil. I, 1. p. 364. „*Photinus* (qui inde a Synodo Antiochena 343 habita pro haeretico haberi coeptus est) *Christum Deum negat, Manichaeus hominem.*" ad Col. I, 16. p. 375. *Ultra Nicaenam fidem sapere non jam affectabant homines.* ad 1 Thess. III, 10. p. 389. ct.

2) Argumenta satis bene expenduntur a B. *Schröckhio* K. G. XIV. p. 337 — 43.

3) Schröckh. T. XX. p. 215.

4) ed. Basil. 1563. VIII. Vol. fol.

(obiit post a. 960.) [1]. Omissis autem *Rabani Mauri* (ob. 840.) collectario, quo nomine summo jure epistolarum Paulinarum expositionem a se editam inscripsit, nec non *Remigii* (si modo is est auctor), commentario, qui Haimoni olim tribui solebat [2]), satis habemus *Walafridi Strabonis* (ob. 849.) commemorasse glossam ordinariam, quae tanta florebat auctoritate, ut saepe edita sit utque Doctor angelicus eam passim exponere haud aspernaretur. — Qualis interpretum hujus aevi fuerit natura, praeclare ex *Angelomi*, monachi Burgundici patet praefatione in enarrationes quatuor Voluminum Regum, cujus locum a *Schröckhio* excerptum integrum adscribere haud piget, quo de ceteris illorum temporum interpretibus breviores esse possimus. Is quidem septiplicem statuit ad normam sigillorum Apocalypticorum, cujusque loci sensum: „Primus, ait, *historialis;* secundus *allegoricus;* tertius *utriusque rei modus:* quartus *de incommutabili divinae Trinitatis essentia, quando tropice sacris initiatur oraculis;* quintus *parabolicus,* videlicet quando aliud dicitur et aliud invenitur scriptum; sextus *de genuino Salvatoris adventu,* ne aut primus pro secundo aut secundus pro primo intelligatur; septimus, quo sic divinis praeceptis instruimur, ut *certa vitae agendae forma, alius vero vitae significandae* figura regulariter innotescat.“ Quid insipidius ab eo qui interpretis partes acturus est, proferri poterit?

In summa hac temporum barbarie juvat tamen unum alterumve reperire, qui sententias biblicas haud raro praeclare enodat, qualis commentarius est, qui inter Anselmi Cantuariensis Opera olim referri solebat, rectius vero *Hervaeo* cuidam *Cenomanensi,* qui saeculo duodecimo florebat, tribui posse videtur [3]). Doctores Scholastici, e quibus *Petrum Lombardum* et *Thomam Aquinatem* hic nominasse sufficiat (nam Hugo a Sto. Caro in exegeticis operibus ineptissimus est), quamvis Graeci sermonis parum plerumque periti, tamen, ex quo apparet, quantum seria meditatione pietati conjuncta perfici queat, senten-

---

1) Opera ejus Vercellis edita sunt a comite *Burontio del Signore,* ejus urbis canonico, a. 1768. 2 Vol. fol. A cujus libri usu nos prohibitos fuisse eo magis dolemus, quod de suis eum ingeniose excogitata nonnunquam afferre constat. Schröckh. l. c. p. 302. sqq.

2) Schröckh XXIII. p. 280. 282.

3) Ed. Picardi. Col. 1612. fol. Equidem Operum Exemplo usus sum, quod Col. inde ab a. 1573. 3 Voll. fol. typis descriptum est.

tias Paulinas haud raro acu tetigisse dicendi sunt. Attamen tam prolixe, tantaque licentia iidem plerumque munus suum peragere solent. Quare recreatur animus, ubi ex Libycis his desertis in *Nicolai Lyrani* (obiit 1340) defertur hortum. Qui, quamquam mysticis arboribus, foliis scatentibus, fructibus vero, immo floribus ferendis non aptis, obsitus est, vivae tamen aquae fontibus non caret, nec arbusculis ad eorum marginem laeto vigore crescentibus. Is enim primus est, qui post tot saecula in perpetuis ipsius Postillis [1]) verbalem etiam nonnunquam sensum felici opera exponit, quamvis e Judaeo Christianus factus, hebraice quam graece doctior in litteris Paulinis non tantum perfecit, quantum in reliquis N. T. libris [2]). Dionysii Cartusiani (o. 1471) [3]), quum nancisci non potuerim commentarios ad Laurentiae Vallae, viri de graecis litteris meritissimi, me converto annotationes, quae, saepe recusae, Criticis etiam sacris Londinensibus insertae leguntur (Lond. 1660. fol.), elegantissimae sunt, maximam vero partem in emendanda vulgata versione occupantur.

3. Sic ad *Reformationis* tempora delatis ante omnia gratissimo animo *Lutheri* de interpretatione sacrorum librorum merita agnoscenda sunt, qui maxime quidem in praeclara, neque ab ullo vel superata, vel etiam aequata Bibliorum versione dormientem, ut ita dicam, eorum resuscitavit spiritum. Qua etiam nos, sicut animadversionibus hic illic sparsis diligenter usi sumus, quum singularem harum epistolarum non ediderit expositionem.

Jam vero saeculo decimo sexto et septimo, immo decimi octavi priore etiam parte utriusque ecclesiae, *Lutheranae* et *Reformatae* inter se et a *Pontificiis* separemus interpretes necesse est.

Saeculo igitur decimo sexto e *Lutheranis* commentatoribus, iisque magni doctoris vestigia pressius insequentibus, in primo loco *Bugenhagenium Pomeranum* (ob. 1558), qui in annotationibus ad decem epistolas Paulinas, Basileae editas (1524) has quoque non omisit, collocamus. Quem *M. Flacius* (o. 1575) excipit, cujus Glossa compendiaria saepius edita, ejus viri testatur doctrinam

---

1) *Norimb.* 1482. etiam in *Bibliis maximis* 1660, saepe recusus.

2) Schröckh. XXXIV, p. 125. sqq.

3) Comm. in omnes epp. Pauli. Colon. 1532. fol. cf. Schröckh. l. l. p. 117. sqq.

et diligentiam. Interpretationis ubertate et simplicitate et nescio quo animi candore insignis est *Aegidius Hunnius* (ob. 1603) [1]. *Nicolai Hemmingii* Theologi Havniensis (ob. 1608) commentarius in omnes Apostolorum epistolas [2]) nomine tantum mihi innotuit. — *Melanchthonis* autem, qui ipse his epistolis non contulit operam, praecipue referunt interpretandi genus moderationemque theologicam *Joachimus Camerarius* [3]) (ob. 1574), qui litteralem N. T. sensum ex graecorum scriptorum comparatione haud raro praeclare illustrat; *Victorinus Strigelius* (o. 1569) [4]); *Georgius Major* (ob. 1574) [5]), qui sensum perspicue plerumque exponit, quamvis nimius nonnunquam esse videtur in distinguendis notionibus dogmaticis, moralibus; *Nicolaus* denique *Selneccerus* [6]). — His adjungimus Cyriaci Spangenbergii practicam expositionem [7]).

Inter Reformatos *Huldricus Zwinglius* (ob. 1531) [8]) et *Joannes Calvinus* (ob. 1564) [9]), qui optimis omnium temporum interpretibus annumerandis mira sagacitate profundissimas quasque cogitationes assequi et inter diversas diversorum interpretationes felicissime maxime probabilia eligere solet, simulque ita est elegans, ut non minore cum voluptate, quam utilitate legatur, faces praetulerunt, quos *Henricus Bullingerus* (ob. 1575) [10]), *Gerh. Andr. Hyperius* (o. 1564) [11]), *Hieronymus Zancchius* (o. 1590) [12]) alii plus minusve sequebantur. Ex omnibus vero post Calvinum interpretibus laude maxime dignus est *Theodorus Beza* (ob. 1605), qui in classicis Graecorum scripto-

1) Thesaur. Apostolicus, ed. Feuchtkingii. Witteb. 1706. fol.

2) Francof. a. M. 1571. ed. 2. Lips. 1586. fol.

3) Notatio figurarum ct. Lips. 1572. 4. Vol. II.

4) Hypomnemata in omnes libros N. T. Lips. 1565. 4. Vol. II.

5) Enarratio duar. epp. ad Thess. praelecta a. 1561. Witteberg. 1563. 8.

6) Comm. in omnes epp. P. Lips. 1591. fol.

7) Predigten über 1. und 2. *Thess.* samt einer kurzen Historie oder Chronik der Stadt *Thess.* Strassb. 1564. fol.

8) Opp. exegetica Tigur. 1581. fol, p. 518 — 31. hasce continent epistolas.

9) Opp. Genev. 1617. fol. T. V. p. 3.

10) Comm. in omn. epp. P. Tigur, 1544. fol.

11) Opp. Tig. 1583. T. II.

12) Comm. in Epp. ad Philipp., Coloss. et Thessalonic. Argent. 1595.

ribus satis versatus judicii acumen cum animi pietate conjunctum ad N. T. afferebat interpretationem [1]). Alios, quorum animadversiones maximam partem in criticis Londinensibus inveniuntur, hic omittimus, sicut *Drusium* (1616), *Cameronem* (1625), *Capellum* (1658). Digna tamen adhuc, quam non omittamus, est *Augusti Marlorati* N. T. catholica expositio, praeclare e multis interpretibus conflata [2]). — Hic *Wolfgangum* etiam commemoramus *Musculum* (ob. 1563) a Melanchthonis schola sensim ad Reformatorum castra delatum, qui in nostras epistolas exornavit haud spernendam interpretationen [3]).

Jam vero ad Pontificios conversi auctores, confitentendum est eorum sub initium saeculi decimi sexti haud exiguum fuisse agmen. Quod aperit *Jacobus Faber Stapulensis* (ob. 1537), qui in versione Epistolarum Pauli e Graeco textu (1512) Vulgatam multis locis emendabat, addito doctissimo commentario, qui tamen *Erasmi*, *Stunicae*, aliorum severissimam expertus censuram, a Clemente VIII., donec mendis purgaretur, in indicem librorum prohibitorum relatus est. Via deinde, quam hic aperuerat, multo felicius incedebat ipse Desiderius Erasmus (obiit 1536), subactissimi judicii, felicissimi ingenii vir, a quo nova incipit interpretationis biblicae periodus [4]). — Inter Romano-catholicos vero illa nullos proferebat fructus, quum ab hoc inde tempore vulgata versio magis magisque interpretationis norma haberi coepta, omne liberum praecidebat judicium. Omissis *Vatabli*, *Ariae Montani*, *Contarinii*, *Gagneji*, *Maldonati* meritis, ad *Sasboldi* (ob. 1553) convertimur brevem, sed haud inficetam omnium epistolarum Paulinarum explicationem [5]), atque *Guilelmi Estii* (* ob. 1613) prolixum, nec tamen loquacem, et satis utilem commentarium.

Quum autem parum ab his differant interpretes Pontificii, qui saeculo XVII. N. T. commentariis illustrare

---

1) N. T. Genev. 1556. fol. postea saepius recusum.

2) Genev. 1561. fol. ed. 6. 1605.

3) Comment. ad Phil. Col. Thess. Tim. Basil. 1578. fol.

4) *Richard. Simon* Hist. crit. N. T. II, c. 35. *Schröckh* K. G. XXXIV, p. 154 — 85. Usus sum annotationum eo exemplo, quod in Criticis inest Londinensibus; paraphrases optime edidit J. F. S. Augustin. Berol. 1777. 3 Tom. 8.

5) Lovanii. 1556.

studuerunt, ad hos statim transimus. E quibus prae ceteris eminet *Cornelius a Lapide* (ob. 1637), qui Antverpiae commentarium edidit perspicuum, multifaria doctrina, maxime e patribus ecclesiasticis hausta, insignem, sed eundem prolixitatis vitio summopere laborantem, cui non tantum omnes solent indulgere Pontificii, libertatem copia rependere admitentes [1]); inter eos tamen, qui brevitati student, eminet, quo ille haud raro usus est, *Jacobus Tirenus* [2]). *Nicolaum* denique *Serarium*, grammatici maxime partes agentem nominasse sufficiat. Decimi vero octavi saeculi initio, si Paschasii Quesnellii excipias studia ascetica in N. T. neminem habemus, quem afferamus, nisi *Natalem Alexandrum* (ob. 1724) diligentiorem, quam ingeniosiorem [3]), et Harduinum [4]).

Multo vero magis a reformatae ecclesiae doctoribus et Remonstrantibus sive Arminianis sacrarum litterarum exculta est interpretatio. Post *Joannis* scilicet *Piscatoris* (ob. 1626), qui nimis fere a Bezae pendet ore, Analysin logicam epp. Paulinarum [5]), *Cocceji* et *Gomari* commentarios [6]), laude prae ceteris digni sunt *Ludovicus de Dieu* [7]) et *Hammondus* cum *Jo. Clerico* [8]). *Arecii*, *Vorstii*, *Crocii* commentarios, ut *Jac. Laurentii* Paulum δυσνόητον non omnino tamen praetereundos esse censemus. Quibus Criticos sacros adjungimus Londinenses (1660), quibuscum *Matth. Poli* conferri poterit Synopsis Criticorum [9]). Alios, qui epistolas ad Thessalonicenses non illustraverunt nostra nihil refert hic afferre. Qui singularem his epistolis dedicarunt operam, Sclaterum [10]) et Martinum [11]) mihi nomine tantum notos esse, est, quod

1) Primo 1635, tum saepe editus est *Commentarius ejus in omnes P. epp.*

2) R. Simon. lib II, c. 44.

3) Comm. litt. et moral. in omnes P. epp. et VII. cathol. Rothomag. 1710. fol.

4) Amstelod. 1741. fol.

5) Herborn. 1638.

6) In horum virorum opp. conjunctim editis.

7) In Opp. exeget. 1693. fol.

8) N. T. Vol. II. Amstolod. 1699. fol.

9) Londin. 1669. sqq. Vol. IV. fol.

10) *William Sclater* Exposition with notes upon the first Epistle to the Thess. Lond. 1619. 4.

11) *Jo. Martini* Analysis ep. I. ad Thess. Groning. 1669. 12.

valde doleam; idem valet de *Clementis Stresonis* meditationibus in epistolam secundam ad Thess. [1]) et Hieronymi van Alphen commentario [2]), qui conjuncti integrum efficiunt commentarium. — Prae ceteris vero inter reformatos eminet *Joannis Alphonsi Turretini*, Genevensis, verbi divini ministri, Commentarius theoretico-practicus in Epp. ad Thess. [3]), perspicua simplicitate, infucata pietate, veri amore ab ira studiove alieno insignis.

Inter Arminianos palmam defert, utque sol inter minora sidera lucet *Hugo Grotius* (ob. 1645), cujus ad N. T. animadversiones, Parisiis 1641 primo editae, tum saepe repetitae sunt, ut in Criticis sacris Caloviique bibliis illustratis, qui earundum severum agit censorem. Vix dici potest, quam multae illo Commentario motae sint quaestiones modo gravissimae, modo curiosae magis, quam utiles. Harum epistolarum partis cujusdam duplex brevior et fusior exstat summi hujus viri expositio [4]). — Socinianorum (Crellii, Schlichtingii, aliorum) in litteras Paulinas curae parum iis profuere.

Inter Lutheranos, ut hos denique recenseamus, saeculi decimi sexti interpretes non spernendi sunt *Joannes Tarnovius* (ob. 1629) [5]), quem Buddaeus haud injuria dicit, „optimis et solidissimis, quos ecclesia nostra tulit interpretibus citra controversiam annumerandum,“ *Fridericus Balduinus* (ob. 1627) [6]), *Joannes Quisdorpius* [7]), *Erasmus Schmidius* (ob. 1637) [8]), *Christianus Chemnitius* [9]). *Georgii Calixti* (ob. 1656) expositio litteralis harum epistolarum [10]) non ultra 2 Thess. II, 9. continuata, sed solertissimo et elegantissimo interprete, in om-

---

1) *Meditatien over de tweden Brief aan de Thessalonicensen. Amst.* 1710. 8.

2) *Paulus eerste Brief aan de Gemeente te Thessalonica verklaert d. H. v. A. Utrecht* 1741. 4.

3) Basil. 1739. Opus posthumum, ex praelectionibus ortum, ultima vice a. 1734. habitis.

4) H. G. Ann. in N. T. c. praef. C. L. *de Windheim*. Hal. 1769. 2 Voll. 4.

5) Comment. in Eph., Phil., Col. et Thess. Lips. 1636.

6) Comm. in omn. epp. Paul. Francof. 1644. 4. saepius editus.

7) Comm. in Epp. P. Rost. 1652. 4.

8) Vers. N. T. Norimb. 1658.

9) Comment. in omnes epp. Paul. Jen. 1767. 4.

10) Prod. Brunsvic. 1654. 4. it. Helmstadii 1663.

nibus media via ingrediente sane est digna. - Contulisse etiam juvabit *Sebastiani Schmidtii* (ob. 1697) paraphrasin et versionem [1]). Prae ceteris vero ejusdem saeculi interpretibus utilissimus est *Abrahamus Calovius* (ob. 1686), qui in Bibliis illustratis diligenter collectis aliorum, maxime eorum, qui emendandis sacris de ecclesia Lutherana meriti sunt, observationibus, utilissimum contulit opus, in quo judicium non desideratur [2]). Denique *Justi Christophori Schomeri* brevem quidem, sed non insulsam exegesin [3]) commemorasse satis est.

Post resuscitatum vero in ecclesia Lutherana per *Philipp. Jacob. Spenerum* (ob. 1705), qui ipse nostras epistolas non attigit, verae pietatis studium, quod ex eo inde tempore ad intelligenda biblia necessarium haberi coeptum est, multi ad studium exegeticum pio accedebant animo, unde in hasce etiam ad Thessalonicenses epistolas aliquid commodi redundabat. Cujus rei *Georgius Michael Laurentius* [4]), *Joachimus Langius* [5]), *Joannes Albertus Bengelius* (ob. 1752) [6]) luculenta sunt exempla. Idem studium, sed fanaticis erroribus perversum in Petersenii, haud obscuri Chiliastae deprehenditur Commentario [7]).

Wolfii Curae philologicae ct. in posteriores P. epistolas [8]) quam diligenter confectae sint, quantumque contulerint ad librorum maxime, qui de quovis loco biblico tractant, accuratiorem notitiam, nemo ignorat; nec minus quam apte et feliciter *Christian. Schoettgenius* [9]) et post eum *Joannes Gerhardus Meuschenius* [10]) N. T. usum ex Hebraicis, maxime Talmudicis illustrant scriptoribus. — Nominandus adhuc Joannis Andreae Gleichii in Epp. ad

---

1) Argentor. 1697. ed. 2. 1708. 4.

2) Bibl. ill. N. T. Vol. II. Francof. ad M. 1676. fol. 850 — 926.

3) Rostoch. 1700. 4.

4) *Erklärung der Epp. a. d. Thessalonicher.* Halle. 1714. 4.

5) Qui Epist. Paull. exhibet commentarium in libro: *Apostolisches Licht und Recht in Erklärung aller Apostol. Briefe.* Hal. 1729. fol.

6) Gnomon N. T. Tubing. 1742. 4. tum saepius.

7) *Joh. Wilh. Petersen* der verklärte Christus in den Episteln. Francf. 1722. 4.

8) Hamb. 1734. ed. 2. sed non mutatae 1739.

9) Horae Hebr. Dresd. 1733, 4.

10) N. T. ex Talmude illustr. Lips. 1736.

Thess. commentarius, cujus tamen accuratiorem desidero notitiam [1]).

4. Recentissima inde a medio saeculo superiori tempora non multum fructus in nostrarum Epistolarum contulerunt interpretationem. Primum nonnulli afferendi sunt, qui omnes tractavere epistolas Paulinas. Quorum librorum tituli aut notiores sunt, quam ut accuratius eos describamus, aut in notis ipsi interpretationi subjectis satis accurate descripti sunt. Quos inter primum obtinent locum *Sigismundus Jacobus Baumgartenius* (ob. 1757), *Georgius Bensonius* (1765), *Joannes Davides Michaelis* in vernacula paraphrasi, quorum primus, nimia logica subtilitate saepe molestus, sententiarum explicatione, alter sano judicio, tertius historica explicatione insignis esse solet. *Joannes Benjaminus Koppius* (ob. 1791) jejunam haud raro simplicitatem nimio coëmit pretio, profundioribus scilicet cogitationum rejectis rationibus; in multis tamen praeclare sensum attigit, quamquam philologicae etiam subtilitati non semper, ut decebat, operam dederit [2]). *Heumanni, Boltenii, Zachariae, Jaspisii* [3]), *Lynarii, Krausii* [4]), aliorum versiones et paraphrases non sine fructu conferentur. Novi non multum afferunt *Jo. Georg. Rosenmuelleri*, patris, Scholia in N. T., quorum nuncipsum quartum Volumen, quod hasce etiam continet Epistolas, in nova comparuit auctaque editione. Recentissimus vero in has epistolas commentarius Flattio debetur, cujus praelectiones sane, quae ederentur, dignae erant, quamquam sententiarum Apostolicarum in iis haud raro desideres accuratiorem expositionem et philologicam passim etiam ἀκρίβειαν.

In tanta autem interpretum farragine Iliadem facile post Homerum scribere nobis videri possemus, nisi reputaremus, tantam esse thesauri biblici ubertatem, ut quolibet aevo novas ex eodem haurire liceat divitias. Quis vero neget, omnes fere N. T. libros nova indigere eaque accuratiore et ad nostri temporis necessitates accommodata

---

1) Erklärung der 1. und 2. Ep. a. die Thessalon. Dresd. 1729. 4. non magis novi *Arnold Landrebens* Erkl. über die zwei Briefe P. an die Thessalonicher. Francof. 1707. 4.

2) In N. T. Vol. VI. ed. 2. Cur. *Th. Chr. Tychsen.* Gotting. 1791. 8.

3) Epp. N. T. ed. 2. Lips. 1821.

4) Francf. 1790. Briefe a. d. Philipp. u. Thess. m. Anm.

expositione, quae grammaticis, historicis, criticis, aliisque rationibus, quae in commentario conficiendo in censum venire solent, satisfaciat. A qua re cum procul nos abesse sciamus, speramus tamen, fore ut noster etiam Commentarius aliquid conferat, quod in regni divini converti possit utilitatem.

PARS

PARS PRIOR.

C. I—III.

Praemissa salutatione cum voto conjuncta, Apostolus laetitiam, desiderium, sollicitudinem, timorem e nunciis de ecclesiae Thessalonicensis statu sibi allatis conceptos exprimit. In quo haec fere continentur capita: Primo in universum Christianorum Thessalonicensium praemittitur laus (c. I.), quam excipit Pauli de sua apud illos commoratione evangeliique praedicatione, atque de eorum animis ad accipiendam veritatem paratissimis luculentum sane testimonium (c. II, 1—16.); porro se semper fidei et amoris illorum fuisse memorem refert, unde consilium ipsi ad eosdem mox redeundi; quod quibusnam demum rerum vicissitudinibus irritum factum sit, ipsos denique edocet. (v. 17. — III, 13.)

Salutatio primo versu praemissa parum quidem ab iis differt, quae in limine ceterarum epistolarum a Paulo apostolo scriptarum exstant; socios Corinthi secum versantes ita includit, ut modeste non tam se ipsum suamque auctoritatem venditare, quam fratrum potius consensu eandem confirmare videatur. Quod quam saepe facere solitus sit, is facile intelliget, qui prioris et posterioris ad Corinthios epistolae, earumque, quae ad Philippenses, Colossenses ac Philemonem datae sunt, cum utraque nostra contulerit initium, in quibus tamen nunquam, si primam exceperis ad Corinthios, ubi Sosthenis tantum invenitur nomen, Timotheus apostolo non additur. Neque abhorret ab hac consuetudine litterarum ad Galatas perscriptarum initium, cujus in vestibulo omnes, qui cum Paulo erant

1

fratres, simili modo comparent. Quare Grotii conjectura, ideo haec nomina addita esse, quoniam Silvano et Timotheo Thessalonicae fuerint cognati, ita vana est, ut refutatione vix digna sit; ceterarum nempe epistolarum initia celeberrimi viri, qui nimis festinanter haud raro arripuit conjecturas, excidisse videntur memoria. — Quaerunt autem interpretes, cur Paulus Apostolum hic se non dixerit; in quo quum nihil definire ausim, tamen a re haud ita alienum est, si statuamus, id ei tum non jam moris fuisse, et quia hoc nomen utrique socio non eodem jure competeret, eum illud omisisse, ut ab illis solus ne distingueretur. Ne quis omnium epistolarum primam, quae data est ad Galatas, huic conjecturae opponat, monemus illic ipsum argumentum hunc titulum adduxisse, immo flagitasse.

Nemo miretur Silvanum Timotheo praeponi, qui admodum juvenis, apostoli tunc potius discipulus erat, ministri fere loco eundem adjuvans, quam aequo docendi jure cum eo conjunctus, quum ille, antequam Paulus hunc ad se reciperet, jam fuisset vir magnae inter Christianos aestimationis, ἡγούμενος ἐν τοῖς ἀδελφοῖς καὶ προφήτης (Act. XV, 22. 32.). Quatuor vel quinque etiam annis post a Paulo idem Silvani nomen priori loco poni solitum fuisse, e 2 Cor. I, 19. facile probatur. Multis etiam in Actis Apostolorum locis eadem comparet hujus viri auctoritas; nam Silvanum a Sila non fuisse diversum, a Boehmio, si quid deerat, satis superque probatum est [1]). Quae quidem res adeo probatu non est difficilis, ut e nostro loco cum Actorum Ap. libro comparato solo effici posse videatur; nam Act. XVIII, 5. Silas cum Timotheo Corinthum proficiscitur, hic Silvanum cum eodem Timotheo Corinthi apud Paulum videmus commorantem, eumque eadem via illuc profectum, III, 1. Duplicis vero nominis, alterius ex altero contracti, multa occurrunt in N. T. exempla. Quomodo tandem, quaeso, si diversi essent,

---

1) Epistola ad Hebraeos. Latine vertit atque comm. instruxit perpetuo Chr. Fr. Boehme. Lips. 1825. 8. Praef. p. XI. sq. Idem jam Theodoretus cum aliis antiquis Intpp. animadvertit. — Plane autem singularis est Hieronymi sententia, quam tamen praeter Calovium alii quoque sequuntur antiquiores interpretes: „Sciendum, ait, Silam, collegam Pauli, lingua Ebraea dici apostolum (שְׁלִיחַ, ܫܠܝܚܐ), qui cum eo nonnullas epistolas scribit; et vitiose Silvanus legitur pro Sila, quum Silvan. in Act. Apost. non legamus.“ Sed quemnam Apostolorum in animo habuerit, nullibi apertius indicat.

factum arbitremur, quod vir, tanto honore in epistt. Paull. ornatus, nusquam occurrat in Lucae narratione, συνεργὸς in ejusdem historia apostolica tam saepe nomine dictus, nunquam in Pauli epistolis? — Rem vero actam longius persequi nec juvat, nec expedit.

Neque de Timotheo post tam multa, quae ab iis, qui litteras ad eum datas sibi proposuerunt vel illustrandas, vel ab adversariorum telis tuendas, de eo congesta sunt [1]), superest, quod adjiciamus, quum monuerimus eundem Paulo fuisse quum carissimum, tum praesertim eo utilissimum, quod impedimenta docendi curaret removenda, ut Apostolo, eodem non praesente, vel consilia libere peragere minus licuerit [2]).

Cum his igitur viris ipsi carissimis, quorum forte alter calamo epistolam exceperat, solito more ecclesiae Thessalonicensium fausta a Deo apprecatur [3]). Vox ἐκκλησία, quum proprie non significet nisi coetum sive convocatam hominum multitudinem, quum non ab initio solemnis jam esset coetuum Christianorum appellatio, plerumque adjectis quibusdam accuratius definitur; ita saepe ἐν Θεῷ dicitur scil. οὖσα (II, 14.), quo sensu Anselmus habet: *in Deo consistenti.* Grotius [4]) vero interpretatur: *quae existit, id agente Deo patre.* Prior tamen ratio, quam Calvinus, Beza, alii commendant, sine dubio praestat, quod ex aliis locis concluditur, sicut in 1. et 2. ad Cor. initio,

---

1) Nuperrime vitam Timothei diligenter et apte delineavit G. Böhl, amicus doctissimus, in libro, cui inscriptum est: Ueber die Zeit der Abfassung und den Paul. Character der Briefe an Timoth. und Tit. Berlin, 1829. p. 22 — 46.

2) Id ingeniosissime observatum est ab amicissimo Ad. Curtio, in libello *de Tempore, quo prior P. ad Timoth. ep. exarata sit.* Berol. MDCCCXXVIII., 8. p. 61. not.

3) Timotheum cum Zancchio haud pauci id fecisse contendunt, quare verecunde suum nomen postremo loco posuerit. Vix tamen ab eo, sed potius a Paulo dictante ordo constitutus esse putandus.

4) Syrum cum eo facere merum est summi viri commentum; saltem nec in contextibus, qui mihi ad manum sunt, neque in variis lectionibus apud Gutbierium tale quid invenitur, sed ܕܒܐܠܗܐ ܐܒܐ, quod utroque modo explicari potest, quum Arabs Polyg. alteri faveat interpretationi, dicens: ecclesiam المختصة بالاله, Deo *addictam*, proprie *depositam.*

ubi legitur: ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ κ. τ. λ. Praeterea idem quoque ex nostro loco facile probatur, ubi, ut saepius, additum est καὶ κυρίῳ I. X., quod non intelligere licet: id agente Jesu Christo, quum potius genitivum casum quodammodo circumscribat. Ea vero ecclesiae cum Christo conjunctio non in imagine sive similitudine quadam posita, sed vere adest, sicut racemi cum vite conjuncti sunt, quod tamen latius exponere non hujus est loci [1].

Praeterea doctissimo Winero, V. S. V., cujus de Grammatica N. T. merita satis laudari nequeunt, accedere non possum, in libello nuper edito contendenti [2]: ἐν Θεῷ κ. τ. λ. non cum verbo ἐκκλησία conjungenda esse, sed cum χαίρειν vel simili quadam voce, hic supplenda; cui sententiae praeter rationes ex ipso hujus vocis primario usu desumtas, quas supra exposuimus, etiam ea quae sequuntur: χάρις καὶ εἰρήνη minime favent, quibus idem illud χαίρειν, quod in Graecorum epistolis adhiberi solitum est, circumscribi videtur. Simili modo cum Chrysostomo, assentiente etiam Ambrosiastro, Theophylactus cum sequentibus illud ἐν Θεῷ κ. τ. λ. conjungit: *Sit pax in Deo;* quod b. Kopp. probat. Cum his vero extremis verbis illa non posse conjungi, arguit, quae adjecta est, fontis mentio: ἀπὸ Θεοῦ πατρός. Quare clarissimum virum puto sententiam dubitanter prolatam, quum rem iterum secum reputarit, quae ejus est animi libertas, non amplius defensurum.

Κύριος peculiarem esse Christi appellationem, nemo est, qui ignoret; nec tamen facile Koppio dederim eam in nominis fere proprii transiisse vim: quid, quod ex adverso potius contenderim nomina ipsa Jesus Christus raro ita esse usurpata, ut de *salutis auctore* et *uncto* vel rege, vel sacerdote animis ipsorum non obverteret cogitatio.

Huic igitur Dei ecclesiae gratiam apprecatur divinam, pacis, quam non consequimur nisi per Christum, fontem.

---

1) Mirum est, in omnibus litteris e captivitate Romana datis ecclesiae nomen in inscriptionibus plane non occurrere, quum e ceteris in ea solummodo non inveniatur, quae ad Romanos scripta est, quos proprie ecclesiam non jam constituisse facile quis posset contendere.

2) Grammatische Excurse, cl. 1828. 8. p. 46. Nostrae Flattium quoque videmus, cujus praelectiones nuncipsum nobis afferuntur, accedere sententiae, qui ad Storrii lectorem revocat Opuscul. Vol. I. p. 301.

Quare Anselmus: »bene, ait, primo gratiam dicit, deinde pacem nominat, quia sine gratia Dei ad pacem reconciliationis pervenire non possumus; immo nihil pacificum, nisi per gratiam ejus habere valemus.« Idem rationem adjungit, quae omnibus epistolis Paulinis aeque accommodari possit: »Gratia et pax a Deo sit Vobis, ut, qui humana gratia et saeculari pace privati estis, apud Deum gratiam et pacem habeatis.«

Praeterea, quae desiderantur in nonnullis codicibus verba *ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ κυρίου* I. X., quum plane sint Paulinae, nihilo tamen minus ex altera ad Thessalonicenses epistola, ubi omnino suspecta non sunt, facile huc translata esse possunt; unde haud scio, an cum Syro et Vulgato interprete non e contextu sint ejicienda. Nonnullae saltem assentiuntur patrum interpretationes, quas vero Matthaeius, qui contra Griesbachium hanc tuetur lectionem, omnes censet eam ex Origine quamvis corruptam recepisse.

Ad verba *χάρις καὶ εἰρήνη* vel *ἔςω*, vel *πληθυνθείη* supplendum esse, tritum. 1 Petr. 1, 1.

I. Thessalonicensium laus cum gratiarum actione erga Deum conjuncta. V. 2—10.

2. Animus Pauli gratiis Deo agendis semper intentus, in hominum salutis via incedentium encomio haud raro ab ejusdem salutis incipit auctore (Rom. I, 8. 9. 2 Tim. I, 3. 2 Thess. I, 3. II, 13.); pro ipsis enim Deo gratias agens indicat talia eos perfecisse, quorum causa Deus sit gloria augendus. Quare simul humiliter sapere docet, quum a Deo omnia perficiantur [1]).

Pluralis *εὐχαριςοῦμεν*, Keppio monente, ut per omnem epistolam, non cum Hilario et toto fere antiquorum interpretum agmine, ad Timotheum et Silvanum, ad quos salutatio tantum pertinet, est referendus (cf. III, 1. 2.). Se igitur continuo eadem esse mente testatur Apostolus, sine intermissione illorum memorem, non *actu*, ut recte admonet Zancchius, sed *affectu*; ita languida praeciditur

---

1) Ita fere Theophyl., qui Chrysost. sententiam, ut solet, breviter comprehendit, quae posterior his continetur verbis: *Εἴδες εὐθὺς ἀπὸ ἐγκωμίων τὸ προοίμιον τῆς ἐπιςολῆς. — Τὸ γὰρ εὐχαριςεῖν τῷ Θεῷ ὑπὲρ αὐτῶν μαρτυροῦντός ἐςιν αὐτοῖς πολλὴν προκοπήν, ὅταν μὴ μόνον ἐπαινῶνται αὐτοί, ἀλλὰ καὶ Θεὸς εὐχαριςῆται, ὡς αὐτὸς ἐργασάμενος τὸ πᾶν.*

b. Koppii interpretatio, ἀδιαλείπτως et πάντοτε ex populari loquendi usu pro πολλάκις posita esse.

Ad sententiam illustrandam apposite Hilarius (Ambrosiaster): »Quoniam, ait, omnia bona a Deo sunt, idcirco ei primum gratias referunt (Paul. Silv. et Timoth.) in profectu illorum, qui dignatus est non solum donum suum dare hominibus sub peccato constitutis, sed in filios hos adoptare, simul adjuvans eos ad omnia exitia toleranda, ut digniores fiant.« Illos igitur ipsa laude monet altiora ipsis semper esse petenda. Eph. I, 16. Col. I, 3. quibus adjungas locos modo allatos.

Μνείαν ποιεῖσθαί τινος (i. q. μεμνῆσθαι), qua formula, teste Wetstenio ad Rom. I, 9., Aristoteles haud raro utitur, saepius recurrit in libris N. T. (Phil. 4. Eph. I, 16.) Poterat etiam, quod magis Graecum est, pro μνημονεύειν positum putari: Qui enim in precibus memorantur, iisdem etiam includuntur. Prior tamen ratio, utpote facilior, praeferenda esse videtur. ἐπὶ Rom. I, 10. objectum significat, ut Joa. VI, 2. σημεῖα, ἃ ἐποίει ἐπὶ τῶν ἀσθενῶν.

Huic sententiae a nonnullis ἀδιαλείπτως adjungitur, ut minori signo haec vox distinguatur a sequentibus. In quo tamen Anselmus quum praeierit, pauci tantum eum sequuntur; nexum duriorem et a Pauli stilo alienum non tantum vitantes, sed sensum etiam multo aptiorem invenientes, si sequentibus conjungatur; nam in versibus 4. et 5. continuatae gratiarum actionis inest causa.

3. Praeterea ὑμῶν ad ἔργον κ. τ. λ. referendum, minime vero cum Erasmo et Vatablo ἕνεκα subintelligendum esse, vix est quod moneamus. Quod quum b. Koppius recte viderit, idem tamen, in quo Calovium habet praeeuntem, qui dicit: »Opus fidei est fides ipsa, quam operatur in nobis Sp. sanctus, quia fides est opus Dei« (Joa. VI, 29.), perperam statuit: ἔργον τῆς πίστεως, κόπον τῆς ἀγάπης, ὑπομονὴν τῆς ἐλπίδος accipienda esse pro simplicioribus πίστις, ἀγάπη et ἐλπίς, quae, ut V, 8., 1 Cor. XIII, 13. ita saepissime in N. T. conjungantur. Sed ne tum quidem, si idem concessisset saltem, huic periphrasi singularem quandam inesse vim et emphasin, viro celeberrimo hoc quoque dedissem. Longe enim diversus est locus Rom. II, 15. quem affert ad confirmandum hunc usum, ubi ἔργον νόμου non ipse est νόμος sed id, quod ex lege facere oportet. Plane vero huc non pertinet Eph. IV, 12. — 2 Thess. I, 10. ἔργον πίστεως id

potius designat, quod fides in cordibus hominum operatur. — »Qui ἔργ. πίς. de ipsa fide explicant, recte quidem rationes subducunt, sed phrasin non satis exhauriunt,« monet Kypkius (Obs. sacr. T. II. p. 332.), sed in locis, quos affert vir doctissimus, opponuntur ἔργῳ et λόγῳ; per se ut ille putat, ἔργον, *rei veritatem* nullo modo designare potest. Nusquam ergo, quod sciam, ἔργον ita occurrit, ut sicut πρᾶγμα vel דָּבָר, rem ipsam circumscribendo exprimat: quare ne ita quidem explicari *posse* Flattio concedimus. Facilius nos in aliorum et ipsius hujus d. viri sententiam trahi pateremur, ἔ. τ. π. dici pro πίςις ἐνεργουμένη, quod Gal. V, 6. legitur. Quo quidem sensu Anselmus: »Deum inquit, primum laudat, qui dedit iis gratiam, deinde ipsos, qui fide et operibus eum secuti sunt; — — quomodo fides vestra non est otiosa, sed semper bonum opus gignit.« Quod brevius a Grotio ita effertur: »Opus fidei vocat id, *quod ex fide proficiscitur et fidem perficit,*« ut scilicet κόπος ἀγ. is sit, qui ex amore proficiscitur. Quum idem addit: »Non quodvis opus ostendit fidem, sed quod comitem habet animi alacritatem et constantiam etiam in malis,« propius a vera sententia abesse videtur. Nam acu rem tetigisse censeo Erasmum, qui in Paraphrasi interpretatur: *quantum feceritis in fide tuenda* [1]); — De voce πίςις cf. Interpp. ad Gal. II, 16. Hic tamen vox πίςεως objective potius est accipienda, quam de fide salvifica, deque *complexu* eorum, quae ab homine Christiano creduntur.

Expeditius est alterum κόπος τῆς ἀγάπης, de quo recte Grotius: »Multum est per se dilectio, sed multo magis, si accedant labores.« Similis inest cogitatio loco Hebr. VI, 10. quamquam verba τοῦ κόπου illic e textu esse ejicienda Griesbachio facile concesserim. Haud inepte Chrysostomus hic Jasonem affert, operosae caritatis exemplum, et cum Theodoreto multus est in commen-

1) Chrysost. paulo obscurius, non tamen diversam proponere videtur sententiam: Οὐδὲν ὑμῶν παρέκλινε τὴν ἔνςασιν· (constantiam) τοῦτο γὰρ ἔργον πίςεως· εἰ πιςεύεις, πάντα πάσχε· εἰ δὲ μὴ πάσχεις, οὐ πιςεύεις. Ni fallor idem dicit, quod brevius explicat Theodoretus, explicans: τὸ ἐν κινδύνοις βέβαιον. οὐ γὰρ μόνον ἐν εἰρήνῃ καὶ γαλήνῃ δεικνῦναι προσήκει τὴν πίςιν, ἀλλὰ καὶ ἐν κλύδωνι καὶ ζάλῃ ταύτης ἔχεσθαι δεῖ. cf. Suiceri Thes. s. v. ἔργον p. 1206. ubi aliorum quoque afferuntur explicationes.

dando amore laboribus angustiisque comprobato [1]). — Fides primo loco collocata fuerat, quoniam ex ea tanquam fonte reliquae profluunt virtutes illae theologicae, tam multis locis conjunctae. Unde Hieronymus sententiam recte ita explicat: »illam fidem, quam et justitiae labor et charitatis affectus et passionum tolerantia comprobant.« — Ita igitur fidei caritatique spes adjungitur; non vero simplex ἐλπίς, sed ejusdem ὑπομονή, perseverantia in eadem tenenda, patientia ex animo forti profecta. 2 Thes. I, 4. Simili sensu Koppius dicit, hoc posse accipi pro ἐλπίς ὑπομένουσα; non vero spes, sed ejusdem per res adversas et pericula constantia, et commendatio inde ducta, hic primum obtinet locum. Unde recte Theodoretus: ὑπομένειν προςήκει, inquit, τὸν ταύτην δεξάμενον ἐλπίδα καὶ φέρειν γενναίως τὰ προςπίπτοντα σκυθρωπά. Si in illa spe incertum quid inest, non talis est, qualem decet esse in homine Christiano. Non igitur spes hic laudatur, sed in spe perseverantia. — Quaenam vero est spes domini J. Ch.? non, ut Vaterus observat, qua Christum imitamur, ut 2 Th. III, 5. sed quae in Christo nititur sive posita est, quae solam ab illo exspectat salutem. Genitivum hic habes objecti. Parum differt Grotii sententia, bis hic Genitivum causam denotare: nam et spem vitae aeternae causam esse patientiae (Rom. V, 3.), et Christum causam illius spei. Spem, ut Kopp. observat, maxime innuit de olim redituro ad regnum instaurandum domino J. Ch. v. 10.

Verba ἔμπροσθεν τ. Θ. κ. τ. λ. duriuscule cum Beza et aliis Koppius ad tria illa nomina refert: πίςις, ἀγάπη, ἐλπίς, ut, sicut hebraica formula לִפְנֵי יְהוָֹה, virtutes istae ad religionem referantur, piae nec fucatae esse dicantur. Haud sane equidem video, qua specie Koppio ex adverso dura esse videatur conjunctio cum antecedenti verbo μνημονεύοντες; grammaticae saltem nihil obstant rationes. Nec sensus obest, quum totus hic versus epexegeticam

---

1) Chrys. Ποῖος κόπος τὸ φιλεῖν ἁπλῶς; οὐδείς· τὸ δὲ γνησίως φιλεῖν; καὶ πολύς· ὅταν γὰρ, εἰπέ μοι, μυρία κινῆται τῆς ἀγάπης ἡμᾶς ἀφελκύσαι βουλόμενα, ἡμεῖς δὲ πρὸς πάντα ἀντιτείνωμεν, οὐχὶ κόπος ἔστι; — Theod. φέρειν προσήκει τὰ τοῦ ἀδελφοῦ πλημμελήματα, κἂν φθονῇ, κἂν ὀργίζηται, κἂν ἐπαίρηται, κἂν ἀχαριςίαν νοσῇ· τούτου χάριν τῇ ἀγάπῃ τὸν κόπον συνέζευξε, τῇ δὲ ἐλπίδι συνέταξε τὴν ὑπομονήν. De voce κόπος cf. Winklerii biblisch. exeget. Untersuchung. II. Th. Lemgo 1748. p. 122.

quasi contineat expositionem verborum *εὐχαριστ. περὶ ὑμῶν*. Facile Flattio assentior eundem plane loquendi modum alibi non reperiri, neque Act. X, 4. Phil. IV, 6. hic posse conferri; attamen exemplis hic non opus est, quum nihil obstet, quo minus sententiam saepe recurrentem hac verborum compositione, in qua inusitati nil inest, expressam esse censeamus. Bene Flattius haec verba de *precibus* intelligit, *ad Deum factis*. ܟܕ ܡܬܟܫܦܝܢܢ ܩܕܡ ܐܠܗܐ ܐܒܘܢ Peschito. — Qui vero Koppii sententiam amplectuntur, cum cl. Schottio vertunt: *ita ut Deo, patri nostro, probemini*. — Simili modo Theodoretus haec verba accipit, nisi quod ad spem potissimum ea referre videatur, et addit: *ἐπόπτης τούτων ἐςὶν ὁ τῶν ὅλων Θεός*. — Videmus autem jam tum, quum haec a Paulo scriberetur Epistola, quam, etiamsi non cum Usterio primam omnium esse censeamus, tamen secundam post illam ad Galatas datam agnoscimus, hanc triadem *fidei, spei* et *caritatis* ab Apostolo conjungi esse solitam, et ad typum quasi doctrinae ejus pertinuisse [1].

4. Paulus, ubi causam affert, haud raro, ut eam arctissime cum effectibus ejus conjungat, participio utitur. Itaque a *μνείαν ποιούμενοι* pendet, non vero a *μνημονεύοντες*, nec immediate ab *εὐχαριςοῦμεν*. Ad Paulum igitur est referendum, non ad Thessalonicenses, quo sensu nonnulli cum *ἐγενήθητε* v. 6. illud conjungunt; *Scitis vos esse electos* aut quomodo sitis electi. Quare nec cum Theodoreto, Erasmo et Grotio facimus, anacoluthon hic statuentibus, nec cum Flattio *καὶ* supplendum esse putamus. Namque *μνημονεύοντες* explicat priorem sententiam, *εἰδότες* vero eidem, ut ajunt logici, subjunctum, illi vero aequis conditionibus non additum (nicht Parallelglied). Quae ratio neque insolens est (Col. III, 16. 17.) nec sententiarum nexui repugnat; immo cogitatio ita optime cohaeret. Quamquam igitur haud negemus, anacoluthon, quale etiam in ipso loco ex Ep. ad Colossenses modo allato reperitur, non ita raro occurrere, tamen causa non est, cur proximam constructionem hic relinquamus. Multos autem interpretes id fefellisse videtur, quod vocem *ἐκλογή*, quae in memoriam revocat illud Christi dictum, multos esse vocatos, paucos vero electos, non satis intel-

---

1) Leonh. Usteri Entwicklung des Paul. Lehrbegriffs. 2te Ausgabe. Zürich 1829. 8. p. 144.

ligerent. Non enim hic de actu sive gratia electionis cogitandum est, sed de electorum illa innovatione, qua per spiritum divinum mutatur interna hominum conditio. cf. Eph. I, 4. Col. III, 12., ubi electionis illius describuntur fructus. Quod in loco 2 Thess. II, 13. praeterea etiam, qui huic confertur, digno, vocatur ἁγιασμὸς πνεύματος, ex eodem etiam probatur, minime cum Chrysost., Pelag. et Theophylacto verba ὑπὸ Θεοῦ cum sequentibus esse conjungenda, sed potius cum ἠγαπημένοι, quod hebraico usui plane respondet (יְדִידֵי יְהוָה, 2 Chron. XX, 7.) et multo est concinnius, quare cl. Winero [1]), hic etiam non possumus obsequi contrarium contendenti; tamen exempla a doctissimo viro allata ut lector conferat, impense ei commendamus. — Aliter aliquanto Pelagius locum intelligit, *retinentes*, dicens, *tempus electionis vestrae, qualiter nos praedicaverimus et vos credideritis.* — Minus probanda esse videtur Koppii explicatio, qui τὴν ἐκλογὴν ita interpretatur: *vestram singularem quandam in amplectenda tenendaque religione Jesu constantiam*, eamque sensu putat fere non differre a voce πίςις. Scilicet nimis amplos notionis constituit terminos, conditionem, quae electionem nunquam non sequitur, cum ipsius electionis confundens *effectibus*. Melius Flattius hebraicum confert בָּחַר, quod de electione populi Dei saepe usurpatur, indeque ad novum Dei regnum translatum est. Quae praeterea affert, ea rectius sese habent, nisi quod contendat, posse ἐκλογὴν hic *praestantiam* etiam significare, ut vulgaris ejus vocis servetur usus, qui tamen a N. T. stilo plane est alienus. Multo etiam minus hic sola intelligenda est ad salutem electio, quod praeter Hunnium, Osiandrum, Flacium, Balduinum e Lutheranis, plurimi ex Reformatis, e Pontificiis vero perpauci faciunt, quamquam Thomas Aquinas hanc interpretationem sua confirmaverit auctoritate.

5. Signa adduntur, e quibus cognoscatur illa electio ad religionem Christianam, ita tamen ut simul Apostolus modeste suum ipsius exemplum in medium afferat, quo illos, ad quos scribit, ad eandem excitet constantiam adque fidem etiam in periculis servandam. »Ex hac nota, ait Hunnius, statuimus de electione vestri ad salutem (in quo falsus est sicut reliqui fere ecclesiae nostrae docto-

---

1) l. l. p. 175.

res), quia praedicatio Evangelii fructificavit in vobis, fuitque sita non in sermone solum seu inani praedicatione, sed in virtute Sp. S., qui suam in vobis salvificam vim potenter exseruit, illuminans vos, convertens, regenerans, renovans et in fide consolidans« — Flattius observat ejus electionis causas quum in prioribus esse sitas: nam sine illa triade nunquam fuissent electi; tum vero praesertim in sequentibus: Thessalonicenses enim esse electos, tum ex eo probat, quod ita essent facti Christiani, ut conspici queat, non sine divino numine id factum esse, tum ex eo, quod parati fuissent inter medias tribulationes divinam accipere doctrinam. Ita et ipsa doctrina et Deus eandem confirmans talem eam esse arguit.

Quae quum ita sint, sequentia duplici sensu accipi possunt: aut ita, ut doctrinae Paulinae afferatur vis et indoles, aut sic, ut quae apud Thessalonicenses incesserit mutatio, indicetur. Qua autem cunque ratione omnis sententia accipiatur, de eo saltem non ambigitur, εὐαγγέλιον ἡμῶν Paulinam esse evangelii *praedicationem*, quae propria est vocabuli significatio. II, 4. Rom. XVI, 25. Gal. II, 7. 2 Thess. II, 18. — 2 Tim. II, 8., quae loca jam Grotius huic contulit. Illius vero diversitatis causa in vero sensu phrasis ἐγενήθη εἰς ὑμᾶς sita est, quam cum Turretino alii explicant: *vobis contigit*, alii vero: *apud vos fuit* sive *in vobis operatum est*. Quo posteriori sensu Koppius, post multos alios, εἰς ὑμᾶς dictum esse censet pro ἐν seu παρ' ὑμῖν, quod a N. T. stilo haud abhorrere, inter omnes constat: *Non ore tantum profitebamini hanc meam doctrinam.* Priori vero ratione Theodoretus hunc locum accipit, cujus tamen sententia haud scio an multis probabitur. Paulum dicit non solum doctrinae verba attulisse, sed miraculis etiam eandem confirmasse ut igitur ad solum Apostolum haec sint referenda [1]). Conferri posse videtur in hunc sensum Galat. III, 14. ἵνα εἰς τὰ ἔθνη ἡ εὐλογία γένηται. Hic tamen sententiarum nexus, quum P. aperte a verbi efficacia ad suum transeat exemplum, Koppio adstipulamur dicenti: »Quantam mea apud vos doctrina in animos vestros vim habuerit, non ore tantum, sed facto declaravistis; secuti enim mei

---

1) Theodoret. Ὑμεῖς ἐστὲ τῆς τοῦ εὐαγγελίου δυνάμεως μάρτυρες· οὐ γὰρ λόγον ὑμῖν διδασκαλικὸν προσηνέγκαμεν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν ἀλήθειαν τῶν λόγων διὰ τῶν θαυμάτων ἐδείξαμεν. Melius tamen adjungit: μεταδεδώκαμεν δὲ ὑμῖν καὶ ἧς μετειλήφαμεν χάριτος.

ipsius atque adeo Domini nostri J. Ch. exemplum, atrocissimas calamitates religionis causa lubenter suscepistis.« Neque plane ineptam perhibeo Calovii sententiam, voces εἰς ὑμᾶς emphasin habere; quod non solum sonet evangelium extrinsecus, sed ministri, utpote per quos operetur Deus, *per evangelium* ad auditores et *in corda ipsorum* veluti ingrediantur. Non quidem praetereunda, nec tamen probanda est quorundam codicum lectio, qui pro εἰς exhibent πρὸς, quod ut facilius, ita paulo languidius, glossam sive correctionem prodere videtur. — Itaque Theophyl. non audimus, qui dicit τὴν ἀλήθειαν τῶν λόγων διὰ τῶν θαυμάτων ἐδείξαμεν, in quo facile videmus, quomodo omnia ad solum referat Paulum; nec locum Gal. III, 4. 5. a multis hic excitatum apte huic loco conferri censemus.

E modo expositis sponte patet, ἐν δυνάμει non de vi divina, quae miraculis sese exserit, sed potius de interna evangelii efficacia esse intelligendum, quae est δύναμις τοῦ Θεοῦ. Rom. I, 16. Mero verbo humana hic opponitur. Simili modo 1 Cor. II, 4. πειθοὶ σοφίας λόγοι opponuntur ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως (λόγῳ καὶ ἔργῳ, Rom. XV, 18. 19.). In Vateri tamen expositione: *quae factis cernitur*, desideratur aliquid; non enim intelliguntur nisi ea facta et illa in universum doctrinae Christianae efficacia interna, quae in N. T. nunquam non a Sp. S. dicitur proficisci. Quare haud renuerim, si quis (per ἐνδιαδυοῖν) utrumque conjungere virtutemque velit intelligere, quam Sp. S. in eorum, qui evangelium recipiunt, animis exserit sive, ut Calvini verbis utar, *spiritualem doctrinae energiam.* — ἐν, ב qualitatis, Storr. Obss. p. 451. 5., quem locum, quum liber mihi non ad manum sit, Flattio auctore affero. — Cui additur fructus, ut id scilicet fiat ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ. Πληροφορεῖσθαι, impletum esse sive impleri, metaphorice significat: plenum habere effectum; tum vero persuaderi de aliqua re, unde πληροφορία haud raro *firmissima* est *persuasio*, fiducia, confidentia; minus accurate Bullingerus, *efficacia et vis agens in cordibus fidelium.* Ita Syr. Peschito: ܒܦܝܣܐ ܫܪܝܪܐ, i. e. cum firmissima persuasione [1]).

---

1) Michaëlis sensu parum diverso, sed, ut assolet, ab interno animo ad externa tracto: *Mit vielen volle Gewissheit gebenden Beweisen.* Hesych. βεβαίωσις.

παρὰ πνεύματος v. 6. Rom. IV, 21. Proinde ostendit Apostolus, non ipsos haesitasse dubios, sed in fide consolidatos esse, ut citra omnem dubitationem praeconio fidem habeant. Crocius, cujus haec sunt verba, Lombardi Thomaeque cum reprehensione affert sententias; quorum prior *πληροφορίαν* de plenitudine donorum interpretatur, ne putarent, se Judaeis esse inferiores et minus accepisse, quam illi; posterior addit in plenitudine multa instructionis, quia Apostolus eos instruxerit in omnibus ad fidem necessariis. — Quod utrumque usui vocis, qualis in N. T. solemnis est, refragatur. — Melius Vaterus pleniorem intelligit effectum, in quo tamen, ut loca ab ipso allata Col. II, 2. 2 Tim. IV, 5. arguere videntur, quae quod debent, id non satis probant, aliquantum a vero abesse videtur. — Qui *εἰδότες* v. 4. accipiunt pro *οἴδατε γάρ*, ii quidem fere omnes Apostoli hic describi putant *παῤῥησίαν* (II, 2.) sive, ut Koppius eorum sententiam apte explicat, interpretantur: *Meministis ipsi, quanta cum vi et quam insigni divinoque spiritu — — vos docuerim.* Tum *εὐαγγελ. ἡμῶν* (i. e. *μοῦ*) *ἐγενήθη πρὸς ὑμᾶς* nihil aliud esset, atque *εὐαγγελισάμην ὑμῖν*; cum Grotio autem hic etiam possis invenire conjunctorum disjectionem, scilicet *ἐν πνεύμ. καὶ πληρ.* accipiens pro *ἐν πληροφορίᾳ πνεύματος*. — Pelagius: In plenitudine multa perfectionis, justitiae, conversationis et vitae. — *πολλῇ* hic idem est, quod Col. II, 2. *πᾶς πλοῦτος τῆς πληροφορίας*, quo sensu Ambrosiaster sibi opponit: *non in phantasia, sed in veritate plenitudinis.*

Extrema hujus versus verba, praeeunte Chrysostomo [1]), ita accipimus, ut Apostolum exemplum suum Thessalonicensibus imitandum proponere statuamus. *Meministis, quales fuerimus inter vos, idque vestri causa, ut nimirum vos converteremus et in fide retineremus* (Grotius); *ἑλληνικώτερον* fuisset sane dicere *οἵους οἴδατε ἡμᾶς γεγονότας*. — Comparatio hic ita constituenda est: ut nos

---

1) Chrysost. *Ἐνταῦθα καὶ τῶν αὑτοῦ κατορθωμάτων ἅπτεται, ἀλλ' ἐπισκιασμένως.* Quum viderem, vos recta incedere via, omnia vestrum causa et feci et toleravi: *μετὰ πολλῆς προθυμίας καὶ πολλῆς σφοδρότητος ἕτοιμοί ἐσμεν τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἐκδοῦναι δι' ὑμᾶς, καὶ τούτου δὲ οὐχ ἡμῖν χάρις, ἀλλ' ὑμῖν, ὅτι ἐκλεκτοὶ ἦτε. — — ὑπὲρ γὰρ τῶν τοῦ Θεοῦ ἀγαπητῶν τί οὐκ ἄν τις πάθοι;* Theodoret. *ἔπεισε δὲ ὑμᾶς καὶ τῶν κινδύνων τὸ μέγεθος, οἷς οὐκ εἴξαμεν, ὡς θεῖα τὰ παρ' ἡμῶν προσφερόμενα.*

scimus, qua mente vos gratiam divinitus oblatam acceperitis, ita vos scitis, quo animo eandem vobis obtulerimus. Praecipuo quodam animi ardore Paulus apud Thessalonicenses evangelium videtur annunciasse. — Sine idonea causa Theophylactus miracula hic putat respici, non conversationem Apostoli. Melius ad utrumque cum Ambrosiastro refert Pelagius: *in virtute*, inquit, *sive signorum, sive tolerantia passionum.* Per nos, ait Vatablus, suam potentiam (et quidem ita, ut abunde ejus facta sit fides) vobis ostendit Deus, ut crederetis promptius. Quare quum de solis periculis cogitet Theodoretus, Pauli exemplum nimis arctis circumscribere videtur finibus. Cur non libertatem potius et singularem in docendo alacritatem, cur non periculorum in divino opere obviorum contemptum, reliquam denique vitam virtute et laborum patientia conspicuam hic e longinquo ostendi putemus?

»Δι' ὑμᾶς causam innuit finalem, ut ait Zancchius, cur Deus voluerit Pauli ministerium apud Thess. esse efficax, quoniam scilicet erant electi, quos oportuit per evangelii efficaciam servari.« Sed melius hic de Pauli cogitamus consilio; quare verum quid inest in Pelagii expositione: *ad profectum vestrum etiam a licitis abstinentes* [1]), quod in eo tantum est falsum, ut nihil licitum, quod divinae contrarium sit alicujus vocationi. II, 7. 9. 2 Thess. III, 8. 9. A paucis tantum δι' ὑμᾶς pro inter vos (Hebr. I, 14.) usurpatum esse putatur. Plerique antiqui et multi saltem e recentioribus habent *propter vos* (Syr. ܡܛܠܬܟܘܢ. Ar. من أجلكم). Illam tamen b. Vaterus amplexus sententiam οἷοι ἐγεν. id fere esse putat, quod alias: quantopere vos καύχημα ἡμῶν, repugnante tamen et solemni usu et faciliori cogitationum serie.

Potest majori signo distingui vel post ὑμᾶς, vel ante καθώς. Prior tamen ratio magis placet, quum verbo οἴδατε non bene respondeat ἐγενήθητε, et potius simpliciter ἐγενήθημεν pro illo fuisset ponendum.

6. Quales nos vestri causa inter vos gessimus, tales

---

1) Aperto scribendi errore in Pelagii Commentario, qui in Augustini editione Benedictina continetur, typis expressum est: *illicitis*, pro quo *licitis* reponendum; quod quum ipse jam animadvertissem ex eo exemplo, quod inter Hieronymi Opera ed. Francof. T. IX. invenitur, illam conjecturam confirmatam vidi.

et vos nostrum dominique imitatores facti estis, scilicet, ut ait Ambrosiast., *suscipientes verbum in pressura multa cum gaudio Sp. S.* II, 14. Etenim *cupidi credulitatis probra et injurias a civibus suis passi tolerarunt fiducia futurorum; unde aemuli dicuntur Apostolorum et ipsius Domini.* Eodem recurrit Chrysost. explicatio, qui tamen singulari quodam modo hanc exornat sententiam; eo dicit Thessal. Paulo similes esse factos, quod sero ad Evangelium adducti, ceteros tamen excelluerint. Quod haud scio, an non subtilius, quam verius excogitatum sit. Nimis angusta autem est Pelagii interpretatio dicentis: *in passionibus verbum suscipientes*, sicut et nos docuimus et Dominus praedicavit. Parum differt Chrysostomus, qui ideo dicit Domino Thessalonicenses comparari, *ὅτι καὶ αὐτὸς πολλὰ παθήματα ὑπέμεινε καὶ οὐκ ἤλγει, ἀλλ' ἔχαιρεν*, quae laetitia eo explicatur, quod *τὰ μὲν γενόμενα λυπηρά· τὰ δὲ ἐξ αὐτῶν τικτόμενα οὐκέτι* Phil. II, 5—8.

Ideo potissimum se illis proponit exemplum, quoniam apud eos singulari quadam animi laetitia evangelium videretur docuisse, ut, quanquam externas paterentur injurias (Act. XVII, 5—9.), tamen gaudium percepissent sp. sancti, quod fidem sequitur (*δεξάμενοι-μετὰ χαρᾶς πν. ἁ.*). Simillimus locus est 1 Cor. XI, 1. ubi Paulus dicit: *Μιμηταί μου γένεσθε* (IV. 16.) *καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ.* — Totius loci summam ita Zancch. complectitur: »eandem patientiam, animi magnitudinem, invictam fidem summamque alacritatem ostendistis et recipiendo et retinendo Evangelio, etiam in persecutionibus, quas Paulus et Christus ostenderunt in eo inter tot persecutiones praedicando.«

Λόγος haud raro evangelicam designat praedicationem i. q. *κήρυγμα* Gal. VI, 6. —

χαρὰ πν. ἁγ. est hilaritas illa spiritualis, quam pietas creat, qualis a Sp. S. in homine Christiano etiam rebus adversis gravato excitatur (Rom. XIV, 17.), cujus Act. XV, 41. habemus exemplum; genitivus enim hic auctorem sive

---

1) Mox rebus adversis comprobatos tribus illis juvenibus comparat idem, qui *ἐν πυρὶ ἐδροσίζοντο* (rore consolationis divinae aspergebantur) — — *ὥσπερ δὲ ἐκεῖ οὐ τῆς τοῦ πυρὸς φύσεως τὸ δροσίζειν, ἀλλὰ τοῦ πνεύματος τοῦ διασυρίζοντος· οὕτω καὶ ἐνταῦθα οὐ τῆς φύσεως τῆς θλίψεως τὸ τὴν χαρὰν τίκτειν, ἀλλὰ τοῦ διὰ τὸν Χριστὸν πάσχειν καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ δροσίζοντος κ. τ. λ.* Morali, quae primae huic Homiliae annexa est, parti pulchra inest exhortatio, ne animum unquam despondeamus.

causam innuit efficientem (cf. Baueri Philologia Thuc. Paul. Hal. 1773. 8. pag. 33.) Rom. XV, 13.

7. Ut modo P. suum Dominique exemplum lectoribus proposuerat, ita nunc ipsos rursus aliis exemplo esse posse vereque fuisse asseverat. Apostolus illos laudat, ut ad acrius hujus laudis eos excitet studium eo, quod aliquid se consequutos esse intelligerent, IV, 1. Verisimile est, Thessalonicenses quadam ratione de evangelio latius propagando meritos fuisse, unde eorum fides finitimis Macedoniae Achajaeque regionibus innotuerit. — E regionibus Thessalonicae finitimis eae solummodo afferuntur, in quibus religio Christiana jam tum temporis radices egerat: quamquam, si quis cum Koppio illam etiam Illyricum, Epirum, Thessaliam, hanc Graeciam, proprie sic dictam complecti contendat, equidem, quum istorum temporum loquendi usus haud renuat, facile id quidem concesserim, quanquam certi quid hac de re constituere non ausim. Sub Romanorum quidem imperio totam Graeciam in duas hasce provincias dividi solitam fuisse, inter omnes constat; (cf. Ptol.) unde Chrysostomum secuti, jam Theophylactus et Oecumenius sic intellexerunt. Sed omisso etiam hoc gloriae ipsorum augmento, manet ista laus *illorum exemplo* provincias profecisse (Pelag.), et illas quidem Graecorum sapientia insignium. Quare omnes interpretes antiqui pro rei dignitate hoc praedicant; disertissimus vero hac in re est Aegidius Hunnius, cujus, si placet, locum conferas in Calovii Bibliis illustratis (p. 858.). Laus aliquantum diversa II. 14.

Illorum facti dicuntur τύπος, quod pessime a vetere Latino multisque eum secutis redditur forma; rectius Ambrosiast. habet exemplum (2 Thess. III, 9. Phil. III, 17. ܕܡܘܬܐ Syr. P.) permanendi scilicet constanter in fide inter adversa. Haud male Drusius *normam* interpretatur (nostrum *Vorbild*). Lectio autem τύπους e corrigendi studio orta, paucissimis tantum gaudeat auctoribus. De ipsa voce cf. Wolf. Lucae II. p. 94. sq. Propriam vocis significationem Herodotus exhibet in notissimo illo oraculo I, 67. quod incipit τύπος, ἀντίτυπος κ. τ. λ. a quo derivatur ea, quae apud Plinium invenitur, quum dicit: (H. N. XXXV. 12.) impressa argilla typum facit, unde Moschopulus apographos ἀντίτυπα vocat. Hic vero, ut saepissime in N. T. nil significat, nisi exemplum. — Recte autem Chrysostomus animadvertit, et accomodate ad ipsius

rei

rei naturam, non tam ad credendum ipsos exstitisse prototypos, quam potius jam *credentibus*. *πιστεύοντες* notum est haud raro simpliciter Christianos esse, multis facile probatur exemplis (Schleusneri Lex. N. T. II. p. 555. ed. 1819.), hic tamen cum quadam emphasi illud usurpatum esse putaverim.

8. In eo enim Thessalonicensium continuatur laus, quod insigni fide ipsorum, cujus ubique percrebuerit fama, multi — ut nihil magis fidem excitat quam inconcussa fides — eandem amplexi sint, faces praeferente illorum et constantia et alacritate [1]). Eo major, ut observat Turretinus, Thessalonicensium est gloria, quum eorum recens ad fidem conversorum fama ita se extenderit, ut eorum exemplum ceteris magno esset ad fidem confirmandam incitamento.

In singulis vero hic explicandis primum quaerendum esse videtur, quidnam hujus versus membra per se significent, tum quomodo sibi opponantur. Jam vero in expositione vocum *ἀφ' ὑμῶν* ita differunt interpretes, ut alii non differre dicant a *περὶ ὑμῶν*, alii praepositionem dicant propriam retinere significationem. Qui illud contendunt, a Koppio apte refelluntur, quum sententiam exemplis non possint comprobare. Sed ii etiam, qui *ἀφ' ὑμῶν* vertunt: *a vobis*, diverso accipiunt sensu; ex parte ad Paulum totam sententiam referentes: quum a vobis coepissem evangelii praedicationem. Ita vero his non inesset Thessalonicensium laus, quam nexus fere videtur flagitare; neque verum est evangelium in *Macedonia* primo Thessalonicae a Paulo traditum fuisse, quod potius Philippis factum est, quod jam Theodoretus observat. II, 2. Act. XVI, 12. cf. XVII, 1. Quare rectius alii de Thessalonicensibus cogitant, ut Storrius, qui hunc locum propria quadam dissertatione illustravit (Opusc. Vol. III. p. 317. sq.) quem Flattius excitat: Vobis *efficientibus, per* vos, ope consilioque vestro, ut *ἀπὸ* haud raro causam innuit efficientem sive conditionem, sine qua aliquid non factum fuisset. 2 Cor. II, 3. Apoc. XVIII, 15. Fortassis etiam 1 Cor. XIV, 36. locus huic simillimus, eodem sensu accipiendus est: num a vobis evangelii praedicatio exiit? — *ἐξήχηται* (Sir. XL, 13.) de fama haud raro adhibetur longe lateque sparsa atque divulgata (נִשְׁמַע, ܐܫܬܡܥ

1) Theodoret. *Τούτων ἡ περὶ τὰ θεῖα προθυμία, πολυθρύλλητος γενομένη, πολλοὺς εἰς ζῆλον τῆς εὐσεβείας ἐκίνησεν.*

Pesch.); proprie: foras auditur. Potest igitur diversa esse formulae, quae in altero membro respondet, notio. Hesych. ἐξηχεῖτο· ἐξηκούετο· ἐξελήλυθεν, *dimanavit* de fide in omnibus locis, aut studio Thessalonicensium, quorum multi mercatores per Graeciam omnem aliasque terras negotiabantur (Grot.), cognita, aut eorundem, quod post Chrys. Theodoret. Theophyl. al. plerique malunt interpretes, exemplo propagata. Luc. VII, 17. יָצָא, Esth. I, 17. Priori sensu rem ita constituit Ambrosiast.: „Ipsi de Vobis annunciant, qualem introitum habuerimus ad vos et quomodo conversi estis ad Deum ab idolis ad serviendum Deo vivo et vero et ad exspectandum filium ejus de coelis, quem suscitavit a mortuis, Jesum, qui eripit nos ab ira veniente.“ Posteriorem vero sententiam, praeeunte Chrysostomo [1]), ita fere effert Theophylactus: „Veluti de tuba dictum est, quae quum clare sonat, tum sonitus ejus ad multos pervenit. — Macedoniam et Graeciam vero verbo et doctrina implestis exemplo vestro, quod admiratione dignum est, quoniam per omnem locum adeo brevi tempore tantam iidem ostendistis.“ Non sane video, cur non utrumque conjungamus. — Tantae laudum magnificentiae minime convenit Storrii Flattiique sententia, eo ipso fidem a Thessalonicensibus esse propagatam, quod sibi et Silvano vitam servaverint huic negotio soli consecratam. Act. XVII, 5. in quo tamen loco, ut de eo taceam, quod non ita magnum hoc esset Thess. meritum, dubitari etiam potest, an vere *mortis* periculum uterque subierit. Praeterea tale quid in nostro loco minime indicatur. Eo itaque recurrimus, ut accipiamus Thessalonicensibus in propagando evangelio singularia quaedam, quae nunc vero ignoramus, fuisse merita.

Longe difficillimus vero est sententiae nexus internus, quem plerique cum Grotio, Koppio, Storrio, Flattio, aliquantulum putant esse perturbatum. De formula scilicet *οὐ μόνον — ἀλλὰ καὶ* in duas interpretes abeunt

---

2). Ἐξήχηται, δηλῶν ὅτι ὥσπερ σάλπιγγος λαμπρὸν ἠχούσης ὁ πλησίον ἅπας πληροῦται τόπος, οὕτω τῆς ὑμετέρας ἀνδρείας ἡ φήμη, καθάπερ ἐκείνη σαλπίζουσα, ἱκανὴ τὴν οἰκουμένην ἐμπλῆσαι — —. Paulo post: ὅρα πῶς ὡς περὶ ἐμψύχου διαλεγόμενος τὸ ἐξελήλυθε τέθεικε· τοῦτο δὲ καὶ ἀπὸ τῆς σφοδρότητος γέγονεν. Sed propriis etiam verbis, non imaginibus tantum eandem rem declarat: Οὕτω δήλη πανταχοῦ γέγονε ταῖς ἀκοαῖς· οὐκοῦν οὐ δεησόμεθα τὰ ὑμέτερα διηγούμενοι εἰς ζῆλον αὐτοὺς ἀγαγεῖν τὸν ἴσον. ἃ γὰρ αὐτοὺς ἐχρῆν παρ᾽ ἡμῶν ἀκούειν, ταῦτα αὐτοὶ προλαβόντες λέγουσι.

sententias. Dubitari nequit, justum hic verborum ordinem non posse aliter institui, ac si Achaja et Macedonia reliquis opponi putantur locis. Nihilo tamen minus illi, quos laudavimus vv. dd. potius conjungendum esse arbitrantur *οὐ μόνον* cum *ἐξήχηται* et *ἀλλὰ καί* cum *ἐξελήλυθεν*, quod grammaticis sane rationibus repugnat, cujus autem monstri propugnatores, vix sane idonei, afferuntur loci Rom. IV, 12. Hebr. XI, 13 [1]) Id vero si flagitaret loci sensus, hunc nexum, quodammodo tolerari posse, quum haud negem, tamen hoc loco ea necessitas nequaquam videtur adesse [2]). Contendunt quidem interpretes, Paulum praeter Macedoniam et Achajam, quae hic afferuntur, alias terras tum non jam adiisse, quae hic spectari possint. Quod si demus, cur non finitimas terras, in quibus nondum ipse fuerat, sed e quibus nuntius sibi allatus esse poterat, eum hic in animo habere accipiamus? Nonne praeter Thraciam, Illyricum et Hellada tota patet Asia et Italia? De his quidem cogitandum esse vix veri est simile; illae, dicunt, duabus his, istis temporibus sub Romanorum imperio accensebantur. Quod tamen quum non semper factum esse constet, quid impedit, quo minus hic, ubi multarum terrarum nominibus haud mediocriter augeri videretur fidei illorum laus, arctiori sensu Macedoniam et Achajam intelligamus, proprie sic dictas? Ne vero in dubiis nimis haesitemus, id potius quaeramus, utrum solae sibi opponantur hae terrae, praedicatum vero plane eodem recurrat. Quod nonnulli putant, qui e locis Matth. IX, 26. Rom. X, 18. hanc significationem vocis *ἐξέρχεσθαι* satis confirmant [3]). Melius tamen, ut mihi videtur, duplex hic accipitur oppositum: non in Ach. et Maced. tantum fides vestra ubique laudatur, sed ipsius quoque effectus ubique terrarum conspiciuntur. Ita facilius intelligitur, quo factum sit, ut membra ordine non plane sibi

1) Parum immutaretur loci sensus, si cum utraque versione Syriaca multisque antiquissimis codicibus, imprimis Mosqq. *καὶ* post *ἀλλὰ* ejiciendum esset; pleraque tamen, eaque optima testimonia hanc vocem confirmant, ut eam genuinam esse arbitremur, quum praesertim difficilior sit haec lectio. — Praeterea ante *Ἀχαΐᾳ* multi iique praeclari codices addunt *ἐν τῇ*, quod facile adjici poterat, unde genuinam esse putamus vulgatam lectionem.

2) C. L. Baueri Philol. Thuc. Paul. p. 281.

3) Glassius in Phil. sacr. ed. Dath. T. I. p. 228. observat verba, quae vel fieri vel agere significent, quandoque prorei cognitione poni.

respondeant. *πίστις πρὸς τὸν Θεὸν* nihil esse videtur, nisi vera fides Christiana, ut singula vocabula non angustius premantur; nisi malis eo referre, quod plerique, qui a Thessalonicensibus fidem addidicerunt, multorum Deorum cultores fuisse putandi sunt. In quo tamen subtilius verba exigi videntur. Pelagius: *Fides a vobis ad Deum conversa.*

Extrema hujus versus verba *ὥστε κ. τ. λ.* praeclare Theodoretus [1]) ita exponit: Paulum dicere famam de illorum fide se jam praevenisse, a quo Pelagius haud procul abest, qui Apostoli mentem sic exprimit: *Nobis incipientibus aliquid de vestro exemplo, illi optime scire se dicunt.* Perperam Syr. et Aethiops addunt: *vobis.* Quid enim hoc loco sibi velle existimes, si Paulus diceret, nihil de suis pro evangelio meritis loquatur, necesse esse?

9. *Αὐτοὶ γὰρ* sc. *οἱ ἐν πᾶσι τόποις*, constructio ut Grotius admonet *καὶ τὸ σημαινόμενον.* Act. VIII, 5 illi igitur de nobis renunciant, quod vobis summo honori est, quam felici apud vos gavisus sim successu. Quae ipsa causa est, cur de illorum profectibus jam nihil ipsi dicendum sit. Praeterea *ἔσχομεν* pro *ἔχομεν* Bengelii, Koppii, Griesbachii, Vateri aliorumque criticorum auctoritate, annuentibus universis fere patrum expositionibus versionibusque antiquis, contextu vero id necessario postulante pro vera lectione habere nulli dubitamus, quum codices praesertim antiquissimi iique optimae notae hanc lectionem tueantur et contra receptam defendant. — *Περὶ ἡμῶν* non, ut Koppio placet, pro *ὑπὲρ ἡμῶν* positum est, quod dubito, an ita adhiberi possit. Varia saltem lectio ad Gal. I, 4. hic nihil probat, quum, utrum verum sit, plane alia ratione sit accipiendum. — *αὐτοὶ* vero duplici sensu hic potest accipi, aut oppositum esse statuere possimus: tam non opus erat, ut ego vos praedicarem, ut illi potius ipsi id facerent; vel, quod magis mihi arridet, ut *sponte* id facerent, ut igitur *αὐτοὶ* quasi dictum sit pro *αὐτομαθῶς.*

Theophylactus hic cogitationem extorquet, per se quidem minime ineptam, ab hoc vero loco alienam: „Quum adventus noster innumeris refertus fuerit mortibus, vos ta-

1) Ad v. 9. *προὔλαβεν ἡμᾶς ἡ φήμη καὶ παρ᾽ ἄλλων ἀκούομεν, ἃ λέγειν ἐθέλομεν· δήλη γὰρ ἅπασι γέγονε τῆς ἡμετέρας διδασκαλίας ἡ ἐν ὑμῖν εὐκαρπία.*

men in nobis non offendebamini. Quin etiam in pericula nostra causa incidentes, non aversi estis a nobis, sed sic nobis adhaerebatis, ceu innumeris bonis a nobis aucti essetis." — *Εἴςοδος πρός τινα*, ut ipsa ostendit praepositio, facilem designat apud aliquem in quacunque re aditum, quare cl. Schottius optime transfert: *quam prompto animo me receperitis* (nostrum: *Eingang bei Jemanden finden*) II, 1, ubi tamen nonnulli praesentiam intelligunt.

Etiam hic Christianos videmus, qui, gentiles quondam, a simulacris ad Deum se convertissent, ut servirent Deo (cujus nomen, ut oratio eo plus habeat gravitatis, iterum repetitur) vivo et vero. Deus ita designatur, ut opponatur idolis vita carentibus, quemadmodum Hebraicum אֵל חַי, 2 Reg. XIX, 4. cf. Matth. XVI, 6. Praeterea vide apud Paleium in H. Paul. (p. 265. vers. Henk.) et in Flattii Commentario, quomodo hic locus cum loco Act. XVII, 4. possit conciliari. Praeterea vix dubitamus, Paulum, etiamsi plures Judaeos et proselytos portae ad sacra Christiana perduxerit, nonnullos saltem paganos simul habuisse asseclas.

Ante *δουλεύειν* solent interpretes *ὥστε* supplere, ut pendeat ab *ἐπεστρέψατε*; rectius tamen diceretur infinitivum ita addi posse, ut, quomodo Latini Gerundio utuntur, complementum sit praedicati [1]. *Δουλεύειν Θ.*, עָבַד אֶת־יְהוָה paulo significantius est, quam simpliciter colere Deum, eidem obsequi. Deo qui servit, ita ei paret, ut ne in minimis quidem ab ejus jussis recedat cf. 1 Reg. V, 1. עָבַד אֶת־הַמֶּלֶךְ, ubi non est negligendum sortem regibus subjectorum servitium quodammodo habitam fuisse. Exod. XX, 5. Rom. VII, 6. Gal. IV, 8. — *Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ*, quo servitio, Flattio recte observante, Judaei cum Christianis ab idolorum cultoribus differebant. Versus 10. ea potissimum continet, quae Christianam religionem a Judaica distinguunt, ut in utroque brevis summa gravissimarum doctrinarum Christianarum insit, et theoreticarum, et practicarum. *Θεῷ ἀληθινῷ*, quod per se patet, est transferendum Deo *vero*, non *veraci*; itaque Jesaj. LXV, 16. אֱלֹהֵי אָמֵן, 1 Joh. II, 8. Apoc. III, 7. accurate huc non pertinent; nec minus Philo, qui in Leg. ad Caj. p. 533, 30. habet: *ἱκετεύειν τὸν ἀληθινὸν Θεόν, ἵνα τοῦ*

---

1) Matth. ausf. griech. Gr. T. II. p. 1035. §. 531. ed. Lips. 1827.

ψευδωνύμου τὰς ὀργὰς ἐπίσχῃ. Rectius Diod. Sic. loci a Munthio (p. 391.) hic afferuntur, ubi θηρία ἀληθινὰ opponuntur τοῖς εἰδώλοις. Conferri possunt Joh. I, 9. IV, 29. Θεὸς ἀληθινός, ni fallor, praeter hunc locum pro ἀληθής nusquam invenitur, neque in V., neque in N. T. — Theodoretus breviter utrumque Dei praedicatum explicat: Ζῶντα μὲν αὐτὸν ὠνόμασεν, ὡς ἐκείνων οὐ ζώντων· ἀληθινὸν δέ, ὡς ἐκείνων ψευδῶς θεῶν καλουμένων. Pelagius ideo *simulacrum* a simulando dici observat. — Theophylactus putat, haec apponi, ut paraeneses mox addendae minus sint molestae, si Thessalonicenses fuerint commonefacti, a quibus ad quae transierint, ut et dignam conversione sua vitam agant.

10. Additur: ita, ut jam exspectetis filium Dei e coelis redeuntem, quem qui Deo obsequuntur, laeta spe exspectant venturum [1]), ipsorum scilicet *fidei remuneratorem* (Estius), quum praesertim sciant se ab ira, id vero est, peccatorum poena, liberatum iri. Quare Apostoli consilium non tantum omnino assequitur Pelagius, loci sensum ita declarans: »Qui eripuit nos ab ira ventura, dimittendo peccata: et doctrina sua et exemplo ab ira nos liberavit. Jam ergo in spe libertatem habemus.« Cogitationum autem series paulo obscurior praeclare explicatur cognato loco Phil. III, 20. ubi videmus ex Apostoli mente id proprium esse Christianorum, ut civitas ipsorum sit in coelo unde servatorem suum exspectent, Christum dominum ipsorum, quondam venturum, ad habendum scilicet judicium, quod cum hoc ejusdem adventu nunquam non conjungitur [2]). Qua de re infra copiosius tractandum erit. — Recte monet Kopp. hanc formulam ea niti persuasione, quam inde ab antiquissimis temporibus per prophetas accepissent Hebraei: *quum regnum Messiae instaurabitur, gravissimas simul poenas adversariis hostibusque Messiae inflictum iri.* cf. 2 Thess. I, 7. aliosque in his epistolis haud paucos. — Praeterea non sine gravitate transponitur vox Ἰησοῦν, ut in verbis ὃν ἤγειρεν (Act. IV, 10.) singularis quaedam insit vis: *quem resurrectione suum declaravit filium.* Rom. I, 4.

In his quidem Apostolus jam attingit praecipuum hu-

---

1) Quo jure Flatt. contendat, ἀναμένειν hic significare: *mit Freudigkeit erwarten*, haud equidem scio.

1) Usteri l. l. p. 217 sqq.

jus epistolae scribendae finem, qui positus est in corrigendis erroribus de Christi reditu obortis.

De singulis vero haec habemus, quae addamus: *Ῥυόμενον*, Grot. recte animadvertente, pro *ῥυσόμενον* et *ἐρχομένης*, quod in hac praesertim voce saepe occurrit, pro *ἐλευσομένης*, ut praesens futuri agat vices. Qui usus nec puriore sermone Graeco abhorret. Ita Xenoph. Hell. II, 1, 29. *ἀπαγγέλλουσα* legitur pro *ἀπαγγελοῦσα*. Causa vero, cur hoc ipso loco praesens pro futuro usurpatur, in eo inesse videtur, quod res, ad quam refertur, sit sempiternum quid. *Ὀργὴ ἐρχομένη*, ex metonymia causae pro effectu, poenas significat, quibus in ultimo judicio homines afficientur. Etiam hic usus, cujus Kypkius satis multa colligit exempla, a Graecorum scriptorum elegantia haud alienus est. Ex ipso vero N. T. tantam facile locorum congeremus farraginem, ut, ne lectoribus fastidium creetur, praeter Matth. III, 7. in solis locis nos contineamus ex hac ipsa epistola petitis. II, 16. V, 9. [1]) Ita Basilius M. explicat: *ὀργὴ ἐστὶν ἡ κόλασις ἡ ἀπὸ τοῦ δικαίου κριτοῦ κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἀδικίας ἐπαγομένη*, cui adjungas Schol. ap. Matthaeium ad Psalm. *ὀργήν φησι τὴν τιμωρίαν καὶ κόλασιν.* Grotius haec verba hebraico sermone ita reddidit: גאלני מחרון הבא [2]). Hammondus cum aliis poenas intelligit de Judaeis repetendas, Hierosolymorum excidium, a quo Christiani exempti erant.

Quaerit Calovius, quo jure homines illius aevi domini adventum jam exspectare potuerint, triplicique respondet observatione: 1) Semper judicii diem esse exspectandum, quum, quando veniat, nemini sit notum. 2) Eundem etiam fato functis in coelo imminere. 3) Illorum nomine Apostolum potissimum videri locutum esse, qui vivi reperirentur in terris, quando Christus venerit. Tit. II, 13. Rectius tamen recentiores allato loco Matth. XXIV, 36, probant, neminem de hora et tempore reditus illius certiorem esse factum, ut subito ingruere putandus sit dies irae [3]). — De universo loco Chrysost. sic philosophatur; *Εἶδες ὁμοῦ πάντα καὶ τὴν ἀνάστασιν, καὶ*

---

1) Cf. Schoettgen. Hor. hebr. et Talm. p. 8. Raphel. Obss. ad Polyb. p. 425 et Kypkium in Obss. ss. ad Rom. II, 5. T. II. p. 158. Kuinoel Observ. ad N. T. ex libris Apocryph. V. T. Lips. 1794. p. 143.

2) Gatacker. de stilo N. T. c. XXXIV.

3) Cf. Uster. l. l. p. 192 sq.

τὴν ἀνάληψιν, καὶ τὴν δεύτεραν παρουσίαν, τὴν κρίσιν, τὴν τῶν δικαίων ἀνταπόδοσιν, τὴν τῶν πονηρῶν τιμωρίαν; et paulo post: *δηλῶν, ὅτι τὰ μὲν δεινὰ ἐν χερσί, τὰ δὲ χρηστὰ ἐν μελλήσει, ὅταν ὁ Χριστὸς ἀπὸ τῶν οὐρανῶν ἔλθῃ.*

Syrus extremam hujus v. partem per [illegible] cum partic. annectit, ut igitur in illa causa insit, cur Messiae optarent adventum, nec subjecti haec verba habent amplificationem, ut recte monet Fried. Eberh. Boysenius [1]).

C. II.

b) v. 1 — 16. Obtestatio Pauli de sua apud Thessalonicenses Evangelii praedicatione eorumque obsequio, cui laudi iterum conjungitur grati animi professio; et tractatur quidem v. 1 — 12. de *administratione* officii apostolici, v. 13 — 16. de ejusdem *fructu.*

Non causam hic infert particula *γάρ*, quae, ut sexcenties, praecipue in N. T., transeuntis est confirmantisque rem aliis jam cognitam, nostrum *ja.* Alii tamen v. 8 — 10. parenthesi quasi inclusis, ad v. 7. illud malunt referre. In eo autem est Apostolus, ut copiosius exponat, quae I, 2 — 6. jam innuerat; verum, ut saepe eidem accidit, in eo, quod breviter tantum attingere sibi proposuerat, quasi irretitur et ad rem ipsam persequendam, nisi hoc quoque absoluto, non redit. Ita suum hic exemplum, quod antea tanquam e longinquo monstraverat, iis depingit, ut excitentur ad eundem evangelii amorem similemque in eo propagando constantiam. „Dum memorat Apost., quam fide, quam sincere, quam sancte in Evangelio praedicando se gesserit, quamque alienus fuerit ab omni impuro consilio, a vana gloria, adulatione, avaritia, hoc ipso ostendit, non sine causa eos ipsi credidisse et in fide constantes esse debere," quae sunt Turretini verba. Quare prior ratio, qua illud *γὰρ* transeundo inservire statuimus, praestare videtur.

Vocem *εἴςοδον* hic non diverso sensu accipiendam esse ab eo, qui I, 9. obtinuit, sponte patet. — Praeterea haud ita raro haec invenitur constructionis commutatio

---

1) Kritische Erläuterungen des Grundtextes des N. T. aus der Syr. Uebersetzung. 3 St. p. 4 et 5.

(*ὑπέρβατον* Quinct. VIII, 6, 66.), quae attractionibus annumeranda est [2]), pro *ὅτι ἡ εἴςοδος*. Col. IV, 17. cf. — In explicando autem adjectivo *κενή* haud consentiunt interpretes. Quorum explicationes ad tres potissimum recidi posse videntur: alii enim, collata hebraica voce שָׁוְא, fallaciae in eo inesse putant notionem, ut Col. II, 8. Sic Grotius: *non decepturi ad vos venimus*, Ambrosiastrum in eo secutus, qui: „Exhortatio nostra, inquit, non ex fallacia, neque ex inmunditia, neque in dolo, sed, sicuti probati sumus a Deo, ut crederet nobis evangelium.“ Alii, ut Turretin. adhibent hebr.: רֵיק i. q. *ματαία εἴςοδος*, quae fructu et utilitate caret, quo sensu Aethiops interpretatur; *et non fuit nobis frustra afflictio nostra*; ita vero in hac epistola III, 5. legitur *εἰς κενὸν ἐγένετο* 1 Cor. XV, 58. Phil. II, 16 Gal. II, 2. Quam sententiam ita exornat Erasmus, ut homines istos perstringi autumet, qui a Paulo tam saepe impugnantur, effutientes grandiloquos, sed eosdem vanos sermones. Flattius etiam huic sententiae suum adscribit nomen. — Malim tamen, quum ad vocis *εἴςοδος* significationem supra propositam utrumque non satis quadret, tertium cum Chrysostomo atque Pelagio praeferre; hic enim *non inanis*, ait, *sermo, qui complectur constantia passionis*. Quae explicatio a praecedente parum differt, nisi quod ad Paulum referat illud *κενή*. Chrysostomus [2]) duo hic distinguit: Pauli enim operam non vanam fuisse dicit et in eo, qui docuerit, et in illis, qui doctrinam acceperint. Eodem modo *κενοὶ λόγοι* Eph. V, 6. ii esse videntur, quibus nil plane inest, qui nullius sunt argumenti; *εἴςοδος κενὴ γέγονεν* nihil igitur aliud est, ac profectum nostrum intellexistis neque vi, neque effectu carere. — Vix monitu opus est, minus hic dici, plus intelligi, sive litotetem in voce *κενὴ* inesse. — Arabs باطلا, irritum, otiosum.

---

1) Matth. gr. Gramm. II. p. 1295. §. 630. 2. h. Simillimus est Isocratis locus: de pace p. 178. a. *ῥᾴδιόν ἐστι καταμαθεῖν καὶ τὴν χώραν ἡμῶν, ὅτι δύναται τρέφειν ἄνδρας.* cf. Raphel. Ann. Polyb. ad Act. XVI, 3. p. 571.

2) Dicit: *οὐ γὰρ ἄν, εἰ μὴ τοῦτο ἦν, εἰ ἀπάτη ἦν, τοσούτους κινδύνους ὑπεμείναμεν ἄν, οὐδὲ ἀναπνεῦσαι διδόντας ἡμῖν. — — αὐτὰ ταῦτα οὐχ ἱκανὰ θορυβῆσαι τοὺς μαθητάς, ὅταν τοὺς διδασκάλους ὁρῶσιν ἐν κινδύνοις, ἀλλ᾽ οὐχ ὑμεῖς τοῦτο πεπόνθατε.* Minus bene Schol. cod. A. apud Matth. *οὐ κενή· ἄνευ δηλαδὴ κόπων καὶ μόχθων.*

2. E contrario idem probat: in eo posse conspici, se minime rem inanem tractasse, nec manus laxasse in opere peragendo, quod, juvante Deo, quaecunque in Evangelii gratiam et tolerasset et ausus esset. Sufficit *aerumnarum testimonium* [1]; *qui enim securus est de promissa spe, non cedit, ut coronetur* (Ambrosiast.). — Haec autem et quae sequuntur usque ad v. 12. omnia pertinent ad confirmationem inflammationemque lectorum in recepta religione ejusque profectu, ut Calovius post Flacium bene observat [2]. — Ad rem ipsam quod attinet, quomodo Philippis Apost. malorum perpessione jam tum Evangelii veritatem obsignaverit, legimus Act. XVI, 16 — 24., ubi illum cum Sila propter spiritum Pythonis puella quadam expulsum virgis caesum inque carcerem conjectum videmus. De Philippis, Macedoniae urbe, Apostolique in eo fatis diligentiae laudem merentur, quae satis eleganter amicus doct. in vernacula epistolae ad Philippos expositione congessit atque exposuit; quare ad illum lectores remittimus [3]).

In singulis perlustrandis ante omnia nos offendit *καὶ* ante *προπαθόντες*, quod tam multis defenditur tamque locupletibus manuscriptorum, versionum et expositionum patristicarum testimoniis, ut illud genuinum esse, vix dubitare liceat. Quo vero in textu retento, duplex potest esse ejus vocis sensus: aut, ut Romanorum iteratae respondeat conjunctioni *et*, quo in ipsa re nihil plane mutaretur; aut, quod loci commendatur indole, ut apud Participium positum sit pro *καίπερ*. Cujus usus exempla collata invenies in Matth. Gramm. II, §. 566. p. 1115. Herm. ad Viger. p. 837. N. 525.

Προπαθὼν proprie is est, qui *prior patitur* Thuc. III, 67. tum qui *ante afficitur, praesentit mala*. Xen. Me-

---

1) *Ἱκανὴ καὶ τῶν παθημάτων ἡ μαρτυρία δεῖξαι τοῦ κηρύγματος τὴν ἀλήθειαν· οἱ γὰρ ἐξαπατᾷν ἐπιχειροῦντες μέχρι τῶν κινδύνων τὸ προσωπεῖον περίκεινται. ὅταν δὲ τούτους θεάσωνται, σφᾶς αὐτοὺς ἀπογυμνοῦσι καὶ τὸ ψεῦδος ἐλέγχουσι.* —

2) Praeclare hoc P. consilium Chrys. exponit: *Ὁρᾷς, ὅτι ἀπὸ τῆς ἐνστάσεως αὐτῶν ποιεῖται τεκμήριον τοῦ θεῖον εἶναι τὸ κήρυγμα; οὐ γὰρ ἄν, εἰ μὴ τοῦτο ἦν, εἰ ἀπάτη ἦν, τοσούτοις κινδύνοις ὑπεμείναμεν ἂν οὐδὲ ἀναπνεῦσαι διδόντας ἡμῖν. — — Εἰ μή τι τῶν μελλόντων διήγειρεν ἡμᾶς, εἰ μὴ ἐπεπείσμεθα, ὅτι ἐλπίς ἐστιν ἀγαθή, οὐκ ἂν προθυμότερον πάσχοντες διεκείμεθα.*

3) H. Rheinwald Comm. üb. d. Br. a. d. Phil. Berlin 1827. 8. p. 1 — 9.

mor. II, 2, 5. προπεπονθυῖα οὐδὲν ἀγαθόν; denique pro simplici adhibetur παθών. Ita in Platonis de Republ. II, οὐδὲν δὲ κακὸν προπεπονθώς. Hic tamen primum magis placet: quum *antea* passi essemus — tamen Evangelium apud vos inter pericula libere eloqui non veriti sumus. — Ea est prima verbi παῤῥησιάζεσθαι significatio Eph. VI, 20. Quare sensui plane accommodatum est, quod subjungitur λαλῆσαι, quamvis insolentior sit haec verborum conjunctio pro μετὰ παῤῥησίας ἐλαλοῦμεν. — Cujus confidentiae principem addit causam dicens: ἐν τῷ Θεῷ, quod H. Stephanus bene circumscribit: *Dei opera et gratia freti.* Qua occasione oblata non sibi temperare potest Chrysostomus, quo minus mirabundus quasi exclamet: ὅρα, πῶς πάλιν τὸ πᾶν ἀνατίθησι τῷ Θεῷ! ἐν τῷ Θεῷ ἡμ. *Dei auxilio freti*, non ut Flatt. interpretatur: adjuvante Deo, quod ab eo confirmatur loco 1 Cor. IX, 1. ubi, ut mihi saltem videtur, ἔργον ἐν κυρίῳ est opus Domino consecratum; unde non recte ille locus huc adhibetur. — Haud scio, an in eo quoque singularis lateat aliqua vis, quod Paulus eundem ipsis, idolorum quondam cultoribus, Deum esse ostendat, ac ipsi; non certe fortuito accidit, ut P. afferat se juvante Deo Dei praedicasse Evangelium, quamquam ἐν πολλῷ ἀγῶνι, id vero est aut, si Pelagium sequamur, non negligenter, nec transitorie, sed in sollicitudine non parva, sed multa, ut ἀγωνίζεσθαι invenitur Luc, XIII, 24. Col. I, 29. IV, 12., aut ex plerorumque sententia, cui et nos cum Kopp. et Flatt. tesseram damus: in magnis periculis et aerumnis (I, 5. 6. Phil. I, 30.), quae Philippis scilicet Apostolo obeunda fuerant. — ἀγὼν non diversum a θλίψις v. 6., quem usum Wolf. in curis loco confirmat ex Arriano desumto: De Exped. Alex. III, 15, 1. ὅτι ἐν ἀγῶνι ξυνέχεται τὸ κατὰ σφᾶς καὶ βοηθεῖν δεῖ. Deldettius optime: *unter grofser Anfechtung* [1]). De persecutionibus Thessalonicae Apostolo perferendis Lucae conferas Act. Ap. XVII, v. 5. sq.

3. 4. Vix putarim Ap. haec adversariis opponere sive fraudis, sive erroris fanatici eum insimulantibus; suae potius constantiae atque integritatis mentione facta fidem

---

1) Flatt.: *Es kann darin zugleich der Nebengedanke liegen: mit der freudigen Zuversicht, dafs meine Thätigkeit nicht fruchtlos sein werde.*

eorum confirmare studet, simul leniter perstringens secus sentientium perversitatem et levitatem. Igitur non male Hilarius (Ambros.): „Hoc, inquit, propter pseudapostolos dicit, qui dolo ac fallacia praedicabant non missi ut circumvenirent gentes ad serviendum legi factorum. Iste autem electum se et missum praedicare multis probat argumentis: quia et in pressuris fortis inventus est, et in conversatione irreprehensibilis, ut nihil esset in hoc, quod minus Deo videretur dignum, prosequentibus signis. Quidam enim quaestus causa Christum praedicabant favori hominum servientes: quia et in arguendo remissiores erant, quippe quum nec auctoritas deesset; nec in tribulatione infirmi, quia non ex corde, sed in fallacia erat sermo eorum."

Παράκλησις, quod adjectum *ἐκ πλάνης* docet, hic non tam est consolatio sive exhortatio, quam potius, ut recte Chrys. cum Theodoreto [1]) explicat, *ἡ διδαχή*, doctrina sive potius: *docendi ratio*. Grot. nostra ad vos *monita*. Act. XIII, 15. ita verbum *παρακαλεῖν* XV, 31. Ubicunque tamen adhortandi et consolandi significatio non omnino deest. — *Πλάνη* et *δόλος* ita differre arbitratur Kopp., ut illud potius vanum mentis errorem (*Schwärmerei*), hoc vero malam designet intentionem sive fraudem. Et recte quidem, quamquam Erasmus prius *imposturam* latine reddit, quod Grotius loco e Proverbiorum libro XIV, 8. nequidquam defendere studet, ubi מִרְמָה mentis potius aberrationem significat; cui tamen sententiae plerique tum antiquorum, tum recentiorum interpretum se addixere, recedentibus tamen ab iis Pelagio, qui habet: *non de errore*, Flattio, qui reddit; *Schwärmerische Selbsttäuschung*, aliis. — Tertiam, quae his adjicitur, *ἀκαθαρσίαν* quamlibet animi morumque pravitatem et improbitatem, quemlibet affectum impurum nonnunquam notare, huc non transferendum esse, recte animadvertit Koppius IV, 8. Matth. XXIII, 27. In vers. Alex. pro נִדָּה et טֻמְאָה 2 Chron. XXIX, 5. Ez. XXIX, 24. — A Calovio, nec male, ad affectum et studium decipiendi illa vox refertur; tamen nimis angustis ita circumscribi videtur finibus. — Latius de omni impuritate animi haud raro a Graecis scriptoribus usurpatur, cujus usus Raphel. ad h. l. affert exemplum, in Epicteti dicto (IV, c. 11.

1) *Παράκλησιν τὴν διδασκαλίαν ἐκάλεσεν.*

p. 507.) obvium: *Ψυχῆς ἀκαθαρσία δόγματα πονηρά.* Antiquorum interpretum plerique, qui spurcas hic intelligunt voluptates, quae usitatissima est vocabuli significatio, plane sententiarum nexu eos non adjuvante, non sunt audiendi; neque Hammondus commodiorem interpretationem in medium tulit, Gnosticos, ut assolet, hic etiam textui inculcans. — *Εἶναι ἐκ πλάνης κ. τ. λ.* est hebraizans verborum structura pro *πλανώμενον ε.* — *ἐκ* et *ἐν* ita differunt, ut illud fontem, e quo profluxerit Ap. doctrina, hoc modum indicet, quo provenerit: *e puro animo, itaque sine dolo.* Simili modo Kopp.: „Attende, quaeso, inquit, ad particulas *ἐκ* et *ἐν* apte delectas, ut illa quidem *consilium*, hac ipsa *agendi ratio* declaretur.“ — *ἐστί*, non *ἦν* hic supplendum esse, Bengel. et Flatt. monent. — Si quis vero quaerat, cur extremo loco *οὔτε*, non *οὐδὲ* ad negationem designandum adhibitum sit, causa haud difficilis inventu est: duo tantum hic negantur, ut extrema membra arctissime conjungenda sint [1]).

4. Sed ut a Deo nobis ex sapienti et benigno ejus consilio evangelium ejusque propagatio commissa est, ita loquimur, non hominum captantes gratiam, sed ipsum Deum, animum nostrum explorantem, nobis conciliaturi. — *δεδοκιμάσμεθα* explicat Flattius: digni, *δόκιμοι* habiti sumus. 1 Cor. XVI, 3. i. q. 1 Tim. I, 12. *πιστόν ἡγήσατο*, et nemo sane negabit *δοκιμάζειν* saepe de auro argentove, quasi in cote probando sive igne explorando adhiberi 1 Petr. I, 7. 2 Macc. IV, 3. pro hebraico בָּחַן. Jer. IX, 7. LXX. Rectius tamen sententia constitui posse videtur, si prius cum Grotio eam resolverimus in activamque formam verbum converterimus: *Καθὼς ὁ Θεὸς ἐδοκίμασε πιστεύειν ἐμοὶ τὸ εὐαγγέλιον.* Ita, collato loco Rom. I, 28., eidem interp. facile dabimus *δοκ.* cum infinitivo voluntatem rei efficiendae significare, quo sensu concise Theodoretus sententiam explicat: *ἐπειδὴ ἔδοξεν αὐτῷ καὶ ἐδοκίμασε πιστεῦσαι ἡμῖν κ. τ. λ.*, quod praeferimus. — *πιστευθῆναι* [2]) Gal. II, 7. 1 Tim. I, 11. *ὥστε*

---

1) Winer. Gramm. I. §. 148. 3. p. 176. ed. 2. Lips. 1825.

2) Matth. gr. Gr. II. §. 531. Non video, quo jure Koppius duriusculam dicat hanc constructionem, quum inter omnes constet, quod Pineda jam vidit, Graecos verba, quae accusativo rei et dativo personae junguntur, ita in genus passivum convertere, ut nominativus tamen personae in subjectum abeat. *πιστεύομαί τι* neminem sane vel

vel *εἰς τὸ* hic non supplendum esse, ut cum aliis Vatero videtur, ex eo concludi potest, quod *δοκιμάζειν* verbum est, ut Grammatici loquuntur, imperfectum, et suapte natura complementum desiderat [1]).

Paulus igitur asserit, se ita non locutum esse, *ut hominibus placeret*, quod saepe in epistolis protestari solet. 1 Cor. IV, 3. *ἀρέσκειν* haud raro inchoativi, quae propria ejus forma est, retinet significationem, ut placendi innuat *studium*. Gal. I, 10. (cf. Buttmanni gr. Gr. 1817. §. 99. not. 5.)

Deus saepe appellatur *ὁ δοκιμάζων τὰς καρδίας*, sive, quod idem est, *καρδιογνώστης* (Act. I, 24). sive *ἐρευνῶν τ. καρδ.* Rom. VIII, 27. Ipsum vero *δοκιμάζω* Ps. VII, 10. Jerem. XVII, 10. *δοκιμάζων νεφρούς.* Zach. XIII, 9. ct. Quare sine haesitatione Kopp. concedimus hocce praedicatum, ideoque vocem *ἡμῶν*, non ad solum Paulum esse referendum, sed ad omnium potius hominum animos, quorum perscrutator atque explorator Deus est; a quo vix unus alterve interpretum dissentit. Beza tamen: „quem ut animi *mei* scrutatorem, inquit, non dubito testem ac judicem appellare." — Totam sententiam ita complectitur Pelagius: „Integri, quasi a Deo probati et ab ipso in officium destinati, qui cordis occulta rimatur."

5 — 7. Puritatem consiliorum suorum ut evincat, tria ista, quae hominum animos cummaxime commovere solent, in memoriam revocat: potentum nimium respectum, habendi et vanae gloriolae cupiditatem. Non igitur verbum Dei tradidimus, ait Paulus, quemadmodum qui hominibus placent, *tanquam aegris desiderata omnia concedentes et mortem eorum negligentes* (Pelag.) ut aliis

---

mediocriter graece doctum offendet. Quae res cum tironibus haud ignota esse soleat, exemplo eam non confirmarem, nisi heroum errores maxime noxii. Quare Matth. cf. l. l. §. 490. p. 922. ubi ex Isocr. ad Demon. p. 8. c. locus affertur nostro similis. *Μίσει τοὺς κολακεύοντας, ὥσπερ τοὺς ἐξαπατῶντας· ἀμφότεροι γὰρ πιστευθέντες* (quum iis fides habetur) *τοὺς πιστεύσαντας ἀδικοῦσιν.*

1) Hunc locum Chrysost. ita exponit, ut dicat Deum illum non electurum fuisse; nisi ab omni rerum humanarum respectu liberum illum esse intellexisset. Tum pergit: *Ἡμᾶς ἐδοκίμασε καὶ ἐπίστευσε τὸ εὐαγγέλιον. — — οὔκουν οὕτω λαλοῦμεν ὥσπερ εἰκὸς τοὺς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δοκιμασθέντας καὶ πιστευθέντας ἀξίους εἶναι τοῦ εὐαγγελίου.* Quod humano more dictum est: *ἡμεῖς μὲν ἀπὸ τοῦ δοκιμάσαι πράττομεν, αὐτὸς δὲ χωρὶς δοκιμῆς.*

grati appareamus; sed vero amore ducti Deo in omnibus obsequium praestitimus.

Γίνεσθαι ἐν λόγῳ κολακείας triplicem admittit interpretationem; *primam*, quae autem hic veri ne speciem quidem habet; in suspicionem adulationis incurrere, ejusdem insimulari hominum sermonibus, quam, quod mireris, Heinsius, Hammondus, Clericus, Michaelis, alii amplexi sunt; *alteram*, qua ἐν λόγῳ εἶναι nihil esset, nisi *loqui*, sicut Xenoph. Cyrop. IV, 3, 5. *οἱ μὲν ἐν τούτοις τοῖς λόγοις ἦσαν*, illi talia locuti sunt, ut assentationem a se alienam esse testaretur Apost. Ita Syr. ܒܡܠܠܐ ܕܫܘܥܠܐ, in sermone adulationis. Chrysost. *οὐκ ἐκολακεύσαμεν*. *Adulari*, accommodate ad hujus loci sensum dicit Zancchius, est hominem ficte et immodice laudare ob nostrum duntaxat commodum estque servile vitium. 2 Cor. VI, 7. *ἐν λόγῳ ἀληθείας*, vera docendo. *Tertia* superest explicatio, ex qua *ἐν λόγῳ κολ.* more hebraico pro simplici *κολακεία* ponitur (דְּבַר חֲלַקּוֹת) cf. Sir. XXIII, 17. *λόγος ἁμαρτίας* pro simplici *ἁμαρτία* 2 Macc. III, 6. *θυσιῶν λόγος* pro *θυσίαι*. (Jerem. XXXII, 35. דָּבָר). — Tum *γίνεσθαι ἐν* respondet Latino: versari in aliqua re sive incurrere in eam. 1 Tim. II, 14. Phil. II, 7. Sensus: nunquam in assentationem i. e. in ejusdem *crimen* incurri. Quae interpretatio, non plane neglecto tamen augmento, quod circumscriptione accedit, praeferenda esse videtur, quum *ἐν λόγῳ εἶναι* tamen non nihil differre videatur ab: *ἐν λ. γίνεσθαι.* [1]) — Theophylactus Ap. haec diserte dicere putat, quoniam Thessal. antea laudaverit, quae observatio vereor, ne sit argutior, quam verior. cf. potius 2 Cor. II, 17.

Οὔτε ἐν προφάσει πλεονεξίας H. Steph., quem Beza sequitur, ita explicat: *neque avaritiae causa quidquam praetexuimus*, a quo Reichardius parum abest, qui, ut Flatt. ejus affert verba: neque avaritiae, inquit, munus nostrum praetexuimus. Etenim *πρόφασις* primo significat praetextum, sive, ut explicat Phavorinus, est *κυρίως ὁ προτεινόμενος εὐπρόσωπος λόγος ἐπὶ κατηγορίᾳ τινὸς καὶ ἀπὸ τουτου*, quae altera est significatio, *ἁπλῶς καὶ αἰτία*, in quo consentit Hesychius, occasio, causa, finis. conf.

---

1) A Flattio falso affertur loc. Matth. V, 32, quo probetur *ἐν λόγῳ* merae circumscriptioni inservire; illic enim melius *causam* significare putatur.

Schaef. ad Demosth. Appar. crit. IV, p. 46 et 88. Uterque vero hujus vocis usus non primarius est, sed e communi potius propriae significationis fonte profluit. Est enim *πρόφασις*, ut ex ipsa colligitur etymologia, proprie id quod aliquis *prae se fert* rei explicandae causa, tum vero ratio verbis enunciata, unde et veram, et simulatam causam significat. Ita apud Thuc. I, 23. VI, 6. *ἀληθεστάτη πρόφασις* et *ἀληθὴς πρόφ.* apud Andoc. in Alcib. p. 151. ed. Bekk., et morbus, qui e causa incognita prodit hominemque corripit, venire dicitur *ἀπ' οὐδεμίας προφάσεως*, nec dissimile exemplum ex Isaeo afferri potest, ubi (de Cleon. haer. §. 9.) legitur: *οὐδεμίας προφάσεως γενομένης*, quum nulla adesset ratio sufficiens (*kein Beweggrund, der sich hören liefse*). — Male igitur Koppius hic quoque (ut I, 3.) vocem *πλεονεξία* tantum circumscribi putat. Vulg. tamen melius *in occasione avaritiae*. Vaterus: non dissimulans avaritiam. Optime tamen simulque simplicissime horum verborum sensus referri videtur, si simpliciter redduntur: *nunquam ostendi avaritiam*. Quod cum priori membro satis bene convenit. — cf. de huj. vocis usu Grot. ad Matth. XII, 40. Fagius ab hac explicatione longius recedit, occasionem intelligens ad explendam avaritiam; Grotius: *neque usi sumus*, inquit, *praetextibus ad velandam avaritiam*, ut fere avari solent. (Pineda.) Perperam contraque vocis usus Hammondus accusationem intelligit. — Ab utroque igitur crimine per Deum se immunem esse obtestatur, ex quo apparet, ut observat Wolf. non hominum judicia vel rumores, sed P. mentem consciam hic respici. Eleganter Chrysostomus, quem Theodoretus sequitur, observat, verborum homines, mentis Deum provocari testem [1]). Notandum est P. hic, ut in multis quoque aliis locis, jurisjurandi formulis uti, quarum id peculiare est, ut solemni protestatione Deus adhibeatur testis. Unde non vituperandus est nisi earum abusus.

6. Participio, ex more Paulo solemni, tertium membrum duobus prioribus subnectit, a quo aliud participium *δυνάμενοι* pendet; neque causa adest, cur hoc ab illo separa-

1) Theodoret.: *Τῆς μὲν κολακείας αὐτοὺς ἐκάλεσε μάρτυρας. δῆλα γὰρ τοῖς ἀκούουσιν τῶν κολάκων τὰ ῥήματα τῆς δὲ πλεονεξίας οὐκ ἔτι αὐτούς, ἀλλὰ τὸν τῶν ὅλων ἐπόπτην.* Ita quoque Schol. apud Matth. *ἄδηλα γὰρ ἀνθρώποις τὰ ἐν διανοίᾳ ἑκάστου μελετώμενα.*

parantes cum Flattio, aliis, suppleto verbo auxiliari ἦμεν, novam hic incipere statuamus periodum. Quare hunc potius arbitramur esse nexum: „Non insectati sumus vanam gloriam apud quemquam hominum, neque apud vos, neque apud alios, quamquam liceret tanquam Christi Apostolo ἐν βάρει εἶναι.“ In exponenda hac formula intpp. in binas maxime partes discedere videmus. Plerique antesignanos, Chrysostomum [1]) sequuntur cum Theophyl. et Hilario Diacono, qui habet: *quum possemus honor iesse*; ita 2 Cor. IV, 17. legitur: βάρος δόξης. Apud reliquos intpp, lat. invenitur modo *oneri*, modo *honori*, quae scribendi errore facillime confundi posse, quis est quin videat? Haec igitur altera est explicatio, quam praeeuntibus Theodoreto ac Pelagio, ex recentioribus Turret. et nuperrime Flatt. amplexi sunt, usu, qualis semper fere obtinet, haud renuente. ἐν βάρει i. e. βαρεῖς εἶναι de molestia facienda intelligi posse, e v. 9. 2 Thess. III, 8. ubi ἐπιβαρῆσαι eodem sensu legitur, et e 2 Cor. XI, 9. ἐν παντὶ ἀβαρῆ ὑμῖν ἐμαυτὸν ἐτήρησα (cf. 1 Cor. IX, 6. et IV, 12.) recte colligitur; ex iisdem vero locis docemur P. saepe et apud ipsos quoque Thessalonicenses memorare solitum, quomodo labore suo victum sibi paraverit, ne alimentum quidem, quod jure sibi competeret (Matth. X, 10. 1 Cor. IX, 11. 13.), ab illis accipiens. — Hebraicum כָּבוֹד, quod huic respondet, utroque sensu usurpatur, multo tamen saepius honorem significans. Quum autem concesserim, ex altera explicatione sensum, qui tolerari possit, prodire: „quum potuissem molestias vobis creare, modeste tamen id recusavi,“ tamen, quo nexu ita hoc cum universa cogitationum serie contineatur, vix equidem video, ni contortum artificium simplici veritati praeferamus. Attamen, si, quod Kopp. contendit, linguae rationes aliam interpretationem non admitterent, in ea sane acquiescendum esse censerem; sed quum exempla inspexeris ab interpretibus [2]) collecta, nihil erit quod, in sermone prae-

---

1) *Καίτοι γε εἰ καὶ ἐζητήσαμεν οὐδὲ οὕτως ἦν ἔγκλημα. εἰκὸς γὰρ τοὺς παρὰ Θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους ἀποσταλέντας, ὡσανεὶ ἀπό τοῦ οὐρανοῦ νῦν ἥκοντας πρέσβεις, πολλῆς ἀπολαύσει τιμῆς.* Ita Dicaearchus de Thebanis apud Wetst. *διὰ τὸ βάρος ἢ τὴν ὑπερηφανείαν τῶν κατοικούντων*, ubi tamen *βάρος* fastum potius reliquis molestias creantem significare videtur. Etiam Syrus, ut oppositum non minus, quam constans vocis ܝܩܝܪ̈ܐ usus docet, alio modo *graves* non intelligit.

2) Wessel. ad Diod. Sic. IV. c. 61. T. I. p. 306. Munthe Obss. e Diod. Sic. p. 391 — 93.

sertim hebraizante, in priore desideres explicatione. — Ὡς Χ. ἀπόστ., ut alii apostoli faciunt, ait Grotius, cui adjiciendum est: et sicuti Apostolis licet.

7. Dicit igitur Apostolus: Quamvis magna mihi inter vos competeret auctoritas, eadem tamen uti nolebam, sed potius patris instar [1]) mitem comemque me praebere malui. Non procul a vero sensu abest Ambrosiast., qui, „Apostolus, inquit, gloriam non ad praesens, sed in futuro requirens, humilem se faciebat, ut praedicatio evangelii exaltaretur." — „Eccum placidum, ait Zegerus, et vanae gloriae expertem!" [2]) Clem. Alexandr. in Paedag. (V. p. 66. b. ed. Sylburg. Lugd. 1616.) vocem *ἤπιος* explicat per *ἀπαλόφρων*, simul plura de eadem disserens.

Apostolus, ut hactenus negative ministerium suum descripsit, ita nunc iis, a quibus se abstinuerit, id adjicit, in quo semper incubuerit, affectum suum indefessumque studium exponens. Et primo quidem matri se comparat, quae filiolos fovet ac nutrit, quod belle ita exornat Pelagius: „Humilians se in omnibus, parvulo se coaequans, ut illos ad majora sua imitatione perducat. Nam et balbutit interdum lingua et manducare fingit et cum iis lente ambulare consuescit." Etenim cum Theodoreto et Koppio eandem intelligimus et nutricem et matrem [3]), neque Chrysost., Theophyl. et recentiorum plerisque obsequimur, qui Gen. XXIV, 59. מֵנִקְתָּהּ a Symmacho *τροφὸν* reddi in memoriam revocant, et animadvertunt, nutrices haud raro ab infantibus plus etiam diligi, quam ipsas matres, easque apud antiquos multo magis in honore fuisse, quam apud nos. Quod, ut recte vidit Flatt., adjecta verba *τὰ ἑαυτῆς τέκνα* satis probarent, nisi etiam omnis loci

---

1) Hom. Odyss. *Πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν.* Herodot. III, 89. *Λέγουσι Πέρσαι, ὅτι Κῦρος ἦν πατὴρ ὡς ἤπιος.* Syr. ܡܟܝܟܐ, humilis. — Ambros. et Augustinus (Opp. T. V. p. 123. b.) sensu parum diverso legunt *νήπιοι*, litera *ν* ex praecedenti *ἐγενήθημεν* sine dubio ex scribendi errore bis repetita; quae tamen lectio a Theophylacto notata, in Vulg. Copt. Aeth. et apud Oecumenium invenitur.

2) *Τουτέστιν· οὐδὲ φορτικόν, οὐδὲ ἐπαχθές, οὐδὲ βαρύ, οὐδὲ κόμπον ἔχον ἀπεδειξάμεθα.* Chrysost.

3) Theodoret. hac imagine dicit et *ἠπιότητα* et *κηδεμονίαν* designari. *μητρὶ γὰρ οἰκείων ἐπιμελουμένῃ ἀπείκασεν ἑαυτόν.* — — *ὡς ἐὰν τροφὸς γὰρ θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα, ταύτῃ καὶ ἡμεῖς παραπλησίως ἱμειρόμεθα καὶ ποθοῦμεν πρὸς τῇ πνευματικῇ διδασκαλίᾳ καὶ τὰς ἡμετέρας ὑμῖν δοῦναι ψυχάς· οὕτως ἡμῖν ἐγενήθητε περιπόθητοι.*

indoles idem suaderet. — *θάλπειν* plane respondet Romano *fovere* (Eph. V, 29.) Kypkiusque ad h. l. observat „metaphoram esse à volucribus petitam, alas super pullos explicantibus, eoque calorem iis impertientibus. (Alex. Job. XXXIX, 14.) cf. Matth. XXIII, 37.“ Tum vero in universum significat: curare, diligere, cujus usus exemplum e Josepho (de B. J. IV, c. 3. §. 14. p. 344.) a Krebsio ad h. l. affertur: *θαλπόμενοι ἐλπίδι*, qui spe aluntur et sustentantur.

Extrema haec hujus versus verba non cunctanter cum Theodoreto multisque aliis insequenti conjungimus versui; quod nisi fecerimus, imago claudicare videtur, quum *οὕτως* non possit apte referri, nisi ad praecedens *ὡς*, a quo cum Flattio novam incipimus sententiam: *Sicut mater eademque nutrix filios suos fovet, ita nos quoque vestrûm desiderio tenemur, et non solum Dei vobis Evangelium tradere cupimus, sed etiam ipsam vitam vestri causa impendere parati sumus, quoniam ita nobis facti estis dilecti.*

8. Maximam hic difficultatem creat vox *ὁμειρόμενοι*, quae in solo loco Job. III, 21. cum eadem, quae hic obtinet, recurrit lectionum varietate. Hoc vero loco omnes libri manuscripti, et aetate, et integritate praestantiores in difficiliore illa lectione quasi conspirant, quamquam illa vox praeterea nusquam occurrat. Chrysostomus, qui ad hunc locum habet *ἱμειρόμενοι*, tamen in Hom. XLIV ad Acta Apost., sicut plura ad h. l. Scholia, priorem sustinet lectionem, quam ita explicat Theophyl., ut vocem ab *ὁμοῦ* et *εἴρω* derivatam esse censeat: *obligati vobis et agglutinati* [1]), ut plane respondeat Latinae voci *connectere*. Hesych., Phavor., Euthal., Gloss. N. T., probantibus Mill., Wetst., Kopp., Griesb., Matth., Schott., Vatero, aliisque recentioribus criticis, uno quasi ore in hac lectione consentiunt. Quibus meam sententiam opponere non audeo, quum praesertim vix intelligi queat, quomodo satis usitato, quamvis poëtico, vocabulo rarissimum, immo plane inauditum potuerit substitui. Minime tamen *placet* vox hujus loci contextui multo minus apta, quam si *ἱμειρόμενοι* legeremus, quod tenerrimo amoris affectui exprimendo sane est aptissimum. Quare haud procul me ab-

1) *Προςδεδεμένοι, ἐχόμενοι, παρὰ τὸ ὁμοῦ καὶ τὸ εἴρω.* Schol. ap. Matth. cod. A. explicat *ὁμ.* per *ἀγαπῶντες καὶ ἀντεχόμενοι.*

esse fateor a suspicione, quam critici judicii legibus subduci haud me latet, in litteris scilicet a Paulo ipso profectis hoc se insinuasse mendum, postea etiam in sex septemve Jobi Mss. inlatum esse. Vocis saltem ὁμείρεσθαι praeter patrum locos ex hoc deductos nullibi invenire potuimus vel levissimum vestigium. — Sin vero ἱμειρόμενοι genuinum esset, multo concitatior sane affectuque plenior esset Apostoli oratio, qui tenerrimo amoris desiderio se illos amplecti diceret [1]). Hanc lectionem jam a permultis antiquorum potiorem esse habitam, Scholia vetera non tantum omnia probatissimaeque docent versiones, e quibus Syrum nominasse sufficiet, qui habet: ܡܚܒܒܝܢ ܘܡܬܪܓܪܓܝܢ, *dileximus et cupidi eramus.*

„Tantum igitur, quae sunt Ambrosiast. verba, affectum se habere circa illos ostendit, quem, quia verus est, non verbis magis, quam rebus vult probatum videri. Potest enim in verbis latere fallacia, ut his exhortationibus provocati, omnem sensum suum in dilectione haberent Apostoli. — Εὐδοκεῖν infinitivo conjunctum non *delectari*, sed *alicui rei vel faciendae, vel sustinendae paratum esse* sive *libenter aliquid facere* significat. Ita non solum in N. T., sed etiam apud Polybium aliosque auctores Graecos occurrit. Rom. XV, 26. Luc. XII, 32. Gal. I, 15. 1 Cor. I, 21. 2 Cor. V, 8.

In exponendis extremis h. versus verbis Koppio nolim palmam deferre, qui τὰς ψυχὰς ἑαυτῶν (i. q. ἡμῶν αὐτῶν) ex Hebraismo profectum esse existimat, ut, sicut בְּנַפְשׁוֹתֵינוּ nihil involvat, nisi pronomen *nosmetipsos*. Etenim, quum confitear ad hanc interpretationem melius quadrare τὸ μεταδοῦναι, observatum tamen velim, levi zeugmate sive συλλήψει periodi membra posse conjungi, ut ex μεταδοῦναι facile desumas impendendi notionem. Causa, cur hoc praeferamus, in promptu est; nam minus accurata et languidior priori interpretatione efficitur hujus loci sententia. Sic omnes fere et antiquiores et recentiores interpretes, quorum agmini Theophylactus etiam accedit, qui hoc sine dubio sensu dicit: tradere evangelium honoratius quidem, animam vero largiri difficilius et ferventis amoris est indicium. Impendere vero animam

---

1) Chrysost. hic legendus est, qui in fine secundae Homiliae amicitiae pulcherrimam exhibet descriptionem et commendationem.

non tantum de morte aliorum causa perferenda usurpatur, sed etiam significat: totam illis consecrare vitam. — Non placet Drusii interpretatio, qui collato loco Jesaj. LVIII, 10. contendit, μεταδοῦναι ψυχὴν vehementem tantum amorem circumscribere, ut Terentius dicit in Andria: *priusquam — animum meum isti dedi.*

9. Jam Ap. Thessalonicenses commonet suorum apud illos laborum, quibus quum evangelium promovere, tum victum suum quaerere nunquam desierit cf. loca ad v. 6. allata. Ad testes vero oculares verba faciens dicit: *μνημονεύετε τὸν κόπον ἡμῶν καὶ τὸν μόχθον.* Utraque vox durum et improbum laborem designans, vix a se invicem differt: illa tamen agendi, haec ferendi magis includit significationem. Quare non male Polus: »*κόπος*, inquit, est labor cum summa cura et sollicitudine conjunctus, cui *μόχθος* defatigationem addit [1].« Hae notiones sunt mere Graecae, neque Hebraici usus comparatio ullius esse potest in hac re momenti. In Anthologia vero non: *πονοῦντες*, sed *μοχθοῦντες ἢ τρυφῶντες* sibi opponuntur, quum hoc ad sensum magis spectet, quam ad laborem, quem perfecimus. I, 90, 4. et ib. 47, 3.

Οὐ σοφὸν ἐκ τέχνης ἀσκῶν πόνον, ἀλλὰ πενιχρὰν
Ἐργάτιν ἐκ μόχθων ῥυόμενος βιοτάν.

In his exemplis, a Wetstenio desumtis, eandem videmus obtinere diversitatem.

Veri specie non caret sententia, a Chrys. [2]) Theophyl. aliisque interpretibus hic prolata, Christianos Thessalonicenses, quamquam in universum haec urbs ditissima esset, egenos fuisse, quod aliis quoque epistolarum nostrarum locis confirmatur: ubique ut quis erat pauperrimus, ita solebat ad suscipiendam religionem Christianam paratissimus esse.

Praeterea si Apost. die noctuque laborasse se dicit, illud non ita premendum est, quasi diebus evangelium praedicaverit, noctes vero tentoriis fabricandis (Act. XVIII, 3.) impenderit; sed *νυκτὸς καὶ ἡμέρας* fere idem est, quam *ἀδιαλείπτως* 2 Thess. III, 8. ubi etiam *ἐπιβαρῆσαι*

---

1) Contraria Grotii sententia ipsa etymologia falsa esse arguitur; *κόπος* enim a *κόπτειν* proprie feriendi actus, tum vero quivis labor est gravissimus; *μόχθος* a *μόγος*, quod molestiam sive moerorem haud raro significat. Ita *μογέω* Aeschyl. Agam. 1635.

2) *Δείκνυσιν ἐνταῦθα ἐν πενίᾳ ὄντας τοὺς ἄνδρας.* Schol. ap. Matth. e Chrys. decerptum

eodem modo usurpatur. Nox priori loco ponitur ex notissimo antiquorum more, diem ab occasu solis incipientium. — Eadem molestias creandi significatio in loco 2 Cor. XII, 16. inest verbo *καταβαρέω*; nec rarus est hic usus. Ita 2 Cor. XI, 9. *ἀβαρῆ ὑμῖν ἐμαυτὸν ἐτήρησα.* — *μὴ* pro *οὐ* positum est, quoniam consilium hic innuitur, quod in cogitatis Ap. solis inesset. 2 Thess. I, 8. [1]) — Observandum praeterea *ἐργάζεσθαι* nunquam fere, nisi de artificio adhiberi, quod manuum perficitur laboribus IV, 11. Act. XVIII, 3. 1 Cor. IV, 12. Pendet *ἐργάζ.* ab *ἐκηρύξαμεν.* — — Simul dicit, se his laboribus subsecivis praepeditum semper tamen evangelii doctrinam illis tradidisse [2]). — *εἰς ὑμᾶς* i. q. *ὑμῖν*, לָכֶם cf. I, 5. In qua constructione verbi *κηρύσσειν* non minus inest Hebraismus, quam in hoc illius verbi usu peculiaris N. T. sive sermonis, ut ita dicam, Christiani mos. Religio enim Christiana, quum laeto nuncio comparari solita esset, nihil facilius fieri poterat, quam ut is, qui hocce evangelium annunciaret, praeconis diceretur nomine. 1 Tim. II, 7. 2 Tim. I, 11. Unde *εὐαγγελίζειν* est: tradere doctrinam Christianam.

Paulum, quae Paleji est sententia (Hor. Paul. Henk. p. 263. sq.), diutius tribus hebdomadibus Thessalonicae commoratum esse, neque ex Actorum libro hisve epistolis potest probari, neque ex rerum ibi gestarum serie verisimile est. Nulla enim nos impedit causa, quominus breviori hoc tempore P. manuum laboribus victum quaeritasse accipiamus.

10. Illos igitur, qui ipsius et vitam et facta conspexerint, et Deum, qui animi penetralia perspiciat (*τὰ μὲν θεατὰ ὑμῖν, τὰ δὲ γνωστὰ τῷ Θεῷ* Schol. ap. Matth.) obtestatur, *ὡς ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπτως* se gesserit. In quo, ni fallimur, consilium P. inest, ut Thessal. in memoriam revocet, quomodo, quum apud ipsos fuerit, de ejus conversatione judicassent. Inepta saltem est Ambrosiastri observatio, Paulum hoc dicere, quo laetitiam

---

1) Winer. Gr. §. 48. p. 172.

2) Cf. Theophyl. et Chrysost. ad h. l., qui dicunt: *μνημονεύετε γάρ· οὐκ εἶπε τὰς εὐεργεσίας τὰς παρ᾽ ἐμοῦ, ἀλλὰ τὸν κόπον ἡμῶν κ. τ. λ.* Addit prior: „neque horum duntaxat, quin et defatigationes et lassitudines recordemini, quibus non interdiu solum, sed e noctu insudando affectus sum. O quanta inerat Paulo, ne quemquam offenderet sollicitudo!“

illorum suscitet [1]). Melius Theodoretus animadvertit, quam accurate hic rectum epistolae modum observarit, dicendo non in universum, sed solo ad credentes respectu habito irreprehensibilem illum sese exhibuisse [2]).

De discrimine trium illorum adverbiorum *ὁσίως κ. τ. λ.*, quamquam recte Koppius animadvertat, in eo constituendo minime esse argutandum, tamen, quum aliquid saltem, quod vir doct. ubique fere neglexit, in iis insit diversitatis, dignus est, qui de ea audiatur Flacius, ita hunc locum exponens: „(Apost.) tres partes vitae Christianae facit, ut sit sancta, quod fides ac timor Dei praestat; ut sit justa, quod fit, dum non solum nemini obsumus, sed etiam omnibus, quoad fieri potest, prosumus; ut sit denique inculpata, quod ad reliquos mores pertinet, castitatem, sobrietatem et moderationem in omnibus.“ Eustathius simili modo discrimen explicat, quod voces *ὁσιότης* inter et *δικαιοσύνη* intercedat: *ἡ μὲν ἐπὶ τῆς πρὸς τοὺς ὁμοειδεῖς ἰσότητος θεωρεῖται· ἡ δὲ ἐπὶ τῆς προσηκούσης τιμῆς τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν θείων.* Quod Polybii confirmatur loco: *παραβῆναι καὶ τὰ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους δίκαια καὶ τὰ πρὸς τοὺς Θεοὺς ὅσια.* Tam accurate vero has voces non semper differre Koppio facile concedimus, qui nostrum confert: *gewissenhaft, rechtschaffen und untadelig.* — Syrus sine idonea causa *τοῖς πιστ.* cum sola voce *ἀμέμπτ.* videtur conjungere. — Adverbia denique nonnunquam cum verbis substantivis *εἶναι* et *γίνεσθαι* ita componi, docet Matthiae (in Gr. gr. II, §. 309. c.), cujus usus Vaterus affert exemplum e Thucyd. II, 14. repetitum: *χαλεπῶς αὐτοῖς ἡ ἀνάστασις ἐγεγόνει.*

11. 12. Redit P. ad amorem, quo eos amplectatur, iterum profitendum. *ἐνταῦθα τὸ τῆς ἀγάπης δείκνυσι φίλτρον*, (Schol. ap. Matth.) id ostendit, quod in ipso caritatem erga illos excitaverit; sed in eadem re alia utitur imagine. Nam *parvulos* quidem *nutrix fovet*, *proficientes vero jam pater instituit* (Pelag.). *Apte* autem,

1) Minus etiam Chrysost. verum assecutus esse videtur, qui dicit: *ἔδει αὐτοὺς πάλιν ἐπαινεῖν· διὰ τοῦτο ταῦτα προτίθησιν, ἃ ἦν ἱκανὰ αὐτοὺς πεῖσαι.*

2) *Ὁ διορισμὸς τὴν ἐπιστολικὴν ἡμῖν ἀκρίβειαν ἔδειξεν, οὐ γὰρ εἶπεν, ἄμεμπτοι πᾶσιν ὤφθημεν, ἀλλ' ὑμῖν τοῖς πιστεύουσι.* Idem praeclare adjicit: *τοῦ δὲ Θεοῦ τὴν μαρτυρίαν προστέθεικεν· ἐπειδὴ τοῖς ἀνθρώποις δῆλα τὰ δρώμενα μόνα, τῷ δὲ Θεῷ καὶ τὰ τοὺς ἀνθρώπους λανθανόμενα.* cf. Theophyl. interpret. non multum ab eo discrepans.

Theodoreto monente, tria proponit, *deprecatur, consolatur, obtestatur* [1]), quae tamen non tam accurate distinguenda sunt.

Εἷς ἕκαστος accurate respondet Latinorum pronomini *unusquisque*, ut nemo excludatur. Quare suo jure Chrysost. exclamat: *Πάπαι, ἐν τοσούτῳ πλήθῳ οὐδένα παρίησι, οὐδὲ μικρόν, οὐδὲ μέγαν, οὔτε πένητα, οὔτε πλούσιον!* — De v. *παρακαλεῖν* cf. v. 3. *ὑμᾶς* more Hebraeo *παρέλκει*. — *παραμυθεῖσθαι* proprie alloqui, tum vero exhortari et consolari. Hom. Il. XI, 417. Ita 1 Cor. XIV, 3. *παράκλησις* et *παραμυθία* conjunguntur (Münthe Obss. e Diod. Sic. p. 393. Alberti Obss. phil. p. 385.); nec multum inter se differunt, sicut tertium quoque, quod his adjicitur *μαρτυρεῖσθαι* non ita diversum, tamen aliquanto gravius est, quum Hebraeo respondeat הֵעִיד cf. Deut. XXXII, 46. Eph. IV, 17. — Cumulatis verbis fere synonymis orationis augetur vis; tali vero animi contentione non indignum quid proferri, sequenti docemur versu; si enim ad Dei regnum vocati sumus, omnia sane sunt perferenda [2]). *Quod non nisi ejus similes possidebunt*, ut ait Pelagius, *justitiae scilicet et sanctitatis exemplo.* Sic demum ita vivimus (הִתְהַלַּכְתִּי Levit. XXVI, 3.) ut Deo, vocante nos ad regni sui gloriam, digni fiamus. Col. I, 10. — Vita in V. et N. T. saepissime via est, qua tendimus vel ad salutem, vel ad interitum. Ita *ὁδός* Jac. I, 8. V, 20. Rom. III, 6. *πορεύεσθαι* saepe apud Lucam (I, 6. ct.); nostrum *περιπατῆσαι*, ut alios N. T. auctores omittam, apud ipsum Paulum sexcenties recurrit. Rom. VI, 4 VIII, 1. 4. XIII, 13. XIV, 15. 1 Cor. III, 2. 2 Cor. IV, 2. X, 2. XII, 18. Gal. V, 16. Eph. II, 2. 10. IV, 1. 17. V, 2. 8. 15. Phil. III, 17. 18. Col. II, 6. III, 7. IV, 5. 2 Thess. III, 6. 11. in nostra denique epistola IV, 1. 12. ex quo facile perspicitur, hanc imaginem ex tritissimis esse. Eam a profanis, quos vocare solent, scriptoribus minime alienam esse, ut exemplis comprobemus, minime opus esse videtur. — *Καλεῖν*, ut a Graecis saepissime

---

1) *Ἄγαν ἁρμοδίως τὰ τρία τέθεικε, τὸ παρακαλοῦντες, καὶ παραμυθούμενοι καὶ μαρτυρούμενοι. οὐ γὰρ μόνον ψυχαγωγίαν δεῖ τοῖς ἀθυμοῦσι προσφέρειν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ῥᾳστώνῃ συζῶντας δεδίττεσθαι τῇ μνήμῃ τῶν ἠπειλημένων κακῶν.*

2) *Εἰ γὰρ εἰς βασιλείαν ἐκάλεσε, πάντα δεῖ φέρειν.* Chrysost. Clem. Alex. Paed. III, c. 11. p. 188. explicat. *περιπατ. ἀ. τ. Θ.* ctt. *Θεὸν ἀγαπῶντες καὶ τὸν πλησίον.*

de invitatione (ad coenam, 2 Sam. XIII, 23.) adhibetur, ita egregio quodam sensu ad illam vocationem refertur, quae a Deo alicui contingit, ut invitetur particeps esse regni divini. V, 24. 2 Thess. II, 24. — 1 Cor. VII, 15. Col. III, 15. Eph. IV, 1. 4. aliisque locis, e quibus 1 Petr. V, 10. Matth. XX, 16. tantum afferimus et eos, qui plura desiderant, ad Pottii Exc. II. ad Epp. Petri remittimus et ad Tittmanni Opusc. theoll. p. 285 sq. — Hic vocatio accuratius definitur: εἰς τὴν βασιλείαν scilicet καὶ δόξαν, quod binis modis conjungi potest: aut ita, ut δόξα explicandae quasi inserviat notioni regni divini, aut ita potius, ut utrumque unum tantum exprimat objectum positumque sit pro βασιλεία τῆς δόξης sive ἔνδοξος, (Kuinoel. Obss. e lib. Apocr. V. T. p. 143.) regnum illud Christi, in quo felicitas aeterna, quae persaepe gloriae nomine venit, in nos confertur. Utram ex his conjungendi rationibus praeferas, plane nil immutatur; in priori utramque latere recte dixeris. — De regno Dei cf. Koppii Excurs. ad hunc locum, librumque nuperrime editum a cl. Fleckio [1]), quum hujus loci non possit esse haec amplius exponere.

Superest, ut quaeramus, quinam verborum nexus duos hosce contineat versus; in quo triplex potissimum obtinet sententia: 1) Alii enim vel ab ἐγενήθημεν cum Wolfio pendere dicunt, quod durissimum est, vel ἦμεν supplent, ut Beza, Grot., Flatt., alii, quod languidum esse videtur [2]). 2) Alii ἠγαπήσαμεν subintelligunt, quod grammaticas rationes non permittere, facile quisque videbit. 3) Quare eorum maxime probo sententiam, qui ἀνακόλουθον statuentes, ut participia in verba finita convertenda sint, οὐχ ἀφήκαμεν vel tale quid Pauli menti obversatum esse statuunt. Quod si acceperimus, diligentius locum perpendentibus apparebit, quomodo factum sit, ut P. non eundem tenuerit et deduxerit orationis filum. Scilicet dif-

1) De Regno Divino liber exegeticus historicus, quatuor evangelistarum doctrinam complectens auctore Ferdinando Florente Fleck, Prof. Lips. 1829. 8., ubi p. 429 — 48. de genere bonorum disputatur et beatitudinis, quo perfruentur regni divini sodales. cf. Storr. Opp. acad. I. p. 253 — 300. Flatt. in comm. theoll. a Velth. Kuin. et Rup. ed. Vol. II. p. 421 — 72. *Keil* in Opp. acad. ed. Goldhorn. Lips. 1821. Sect. I. p. 22 — 83. XXXI.

2) Etiam Gloss. ed. Dath. T. I. p. 349. subintelligit verbum substantivum.

ficile erat verbum invenire huic loco plane aptum; quare commodissimum qnaerenti, quum scribae verba praeiret, facile accidere poterat, ut de coepto ordine dejiceretur [1]).

13. Redit Apost. ad persequendam eam cogitationum seriem, quam v. 2. annexuerat: se gratias agere Deo dicit, quod verbum ejus, ipsis annunciatum, recepissent, itaque quod antea exposuerat, ad finem perducit. Ex quo facile efficitur, ut *διὰ τοῦτο* praecedentibus conjungendum sit: *Quoniam tam felici successu apud vos Evangelium praedicavimus, gratum Deo testamur animum;* ut quae sequuntur, e prioribus quasi prodire videantur.

Λόγος ἀκοῆς, i. e. *λόγος ἠκουσμένος*, superflui quid in se continere videretur, si de verbo tantum acciperemus a Paulo ad istos delato; attamen quod Theophyl ex antiquis interpretibus non fugit [2]), qui explicat: *verbum, quod audiendo creditur*, id quoque inest, ut idem acceptum sit ab audientibus. Rom. III, 16. Joh. XVI, 38. Respondet hebr. דְּבַר שְׁמַע Habac. III, 2. (effatum Jehovae, prophetae auribus susceptum) Jer. X, 21. Suic. Thes. Eccl. I. p. 158. — Aliud est *ἀκοὴ πίστεως* Gal. III, 2. Praeterea *λόγον τοῦ Θεοῦ*, quamvis dure separata sint a se invicem, conjungenda esse, sponte patet; nec dubitant

---

1) Digna sunt, quae hic adscribantur Flattii verba de hac sectione a versu inde 1, quam gravissimam esse ad illustrandam Apost. historiam quisque concedet: „*Es enthält,* inquit ille, *einen nicht unwichtigen Beitrag zur Apologie des Apost., zum Beweise der Göttlichkeit seines Berufs und seiner Lehre. — Ueberdies erscheint P. in diesem Abschnitt als ein nachahmungswürdiges Muster, zunächst für Lehrer des Evangeliums. Sein Sinn soll ihrer aller Sinn werden. Rein und heilig war sein Zweck, darauf gerichtet, das von Gott ihm übertragene Geschäft zu vollbringen, auf eine mit Gottes Willen übereinstimmende Art das Evangelium zu verkündigen; ganz uneigennützig waren seine Absichten, die Thessalonicher zu Menschen zu bilden, welche einst die hohe, von Gott ihnen angewiesene Bestimmung erreichen könnten, zu würdigen Verehrern Gottes und Christi. Dafür arbeitete er mit einem unermüdeten Eifer, mit der zartesten Liebe gegen diejenigen, an denen er arbeitete, mit standhaftem Muthe bei allen Schwierigkeiten und Leiden, mit der edelsten Selbstverleugnung; und empfahl durch sein Leben die göttliche Lehre, die er verkündigte.*"

2) *λόγ. ἀκ. τ. Θ. τὸ κήρυγμά φησιν, ὡς διὰ τοῦ ἀκουσθῆναι πιστευόμενον.* Oecum. *λόγον ἀκουσθέντα εἰς ὑμᾶς, τὸν τοῦ κηρύγματος δηλονότι· ἢ λόγον ἀκοῆς φησὶ τὸν διὰ τῆς ἀκοῆς παραληφθέντα.* Schol. ap. Matth. *ἐξ ἀκοῆς πιστευόμενον. οὐ γὰρ πάντες τοῦ κηρυττομένου γεγόνασιν αὐτόπται.* Sed melior sine dubio est prior interpretatio.

interpretes. Tolerabilior tamen est hic nexus, quoniam λόγος Θεοῦ minime (cum Grotio) interpretandum est: oratio *de* Deo, sed quae *a* Deo processit. — παραλαμβάνειν et δέχεσθαι ita differunt, ut illud nihil sit, nisi acceptum ferre, hoc cum probatione accipere IV, 1; Flattius conf. hebr. לִקַּח, syr. ܩܒܠ, quibus discendi inest notio. Post ἐδέξασθε αὐτόν, ante λόγον vero quasi ὡς supplendum esse, res ipsa docet.

Quaeritur autem in verbis ὅς ἐνεργεῖται, ad quemnam illa referenda sint. Storr., quem Flatt. sequitur, et Koppius illud ὅς ad Θεοῦ respicere putant, qui etiam in locis Phil. II, 13. 1 Cor. XII, 6. est ὁ ἐνεργῶν. K. etiam cum Theodoreto de charismatibus cogitat, quae Thessalonicenses acceperint V, 19. 20. At vero hoc loco doctrinae potius quandam vim describi, sequens γὰρ flagitare videtur. Quare Ambrosiast., Theoph., Erasm., aliis, ἐνεργεῖται ad λόγον referentibus accedens, hunc puto constitui debere loci nexum: in vobis credentibus ita vim suam exseruit, ut facti sitis ecclesiarum, quae in Judaea florent, imitatores. Activa autem hic, non passiva (Oecum.) obtinet verbi significatio, ut Gal. V, 6. πίστις ἐν ἀγάπῃ ἐνεργουμένη Eph. III, 21. δύναμις ἐνεργουμένη [1]). — Quod additum legitur ἐν ὑμῖν τοῖς πιστ. non tam significat, quod Kopp. contendit, *ex quo* religionem Christ. *suscepistis*, quam potius: *quum susceperitis.*

14. Sincero animo illos evangelium Christi amplexos fuisse, eo confirmat, quod imitatores ecclesiarum Palaestinensium facti sint. Non quidem universe utrique inter se comparantur, sed qua similia perpessi, simili constantia restiterint. Quod Theodoretum [2]) haud fugisse videtur; Ambrosiastrum autem veram Ap. sententiam assecutum esse perquam dubito, quum his verbis locum explicaverit: »Thessalonicenses a civibus suis eadem passos esse dicit, imitatos patientiam sanctorum et Domini nostri J. Ch.« — Μιμηταὶ hic non tam ii sunt, qui sponte imitantur, quam potius quibus simile quid contingit. Quamquam Stephani, Jacobi majoris, aliorum exempla ab omnibus

---

1) Wolff. in Cur. ad Rom. VII, 5. Alberti ad Gloss. Gr. N. T. p. 139. 40. Aethiops: *auxilium fert*, quod tamen et verbi usui et nexui parum respondet. Syr. Pesch. bene ܡܬܥܕܪܢܐ, quod operatur.

2) Ἱκανὸν εἰς παραψυχὴν τὸ παράδειγμα· ἡ γὰρ τοῦ πάθους ὁμοιότης ἀρκοῦσαν προσφέρει ψυχαγωγίαν.

admiratione habita fuisse, ut generosam aemulationem excitare possent, haud negamus. Christianos in Judaea et ab ipsis Judaeis et a magistratibus illorum artibus concitatis, multa perpessos esse, Act. XIII, 1—4. XI, 19. aliisque locis probatur. — Thessalonicenses igitur idem dicit passos esse a suis popularibus, quod illi a Judaeis. Quum Christianos hic alloquatur Apost., qui quondam Ethnici fuerant, non dubitamus *συμφυλετὰς* hic non alios esse, ac magistratus ipsorum et ipsos ethnicos. Quod si quis historicis rationibus repugnare contendat, quoniam turbas Thessalonicae contra Christianos motas a Judaeis potius (Luca auctore Act. XVII, 5—8.) profectas esse constet: is ne obliviscatur, Judaeis non licuisse, nisi plebem et urbis magistratus, eosque Ethnicos, ad eos persequendos incitare. — *συμφυλεταί*, Hesych. *ὁμαέθνοι* (מִבְּנֵי עַמְּכֶם) vocabulum esse bene Graecum Isocratis docet locus in Panathenaicis, ubi *συμφυλεταὶ καὶ δημοταὶ* conjunguntur. — *Αὐτοί*, Christiani Palaestinenses, ut sit constructio *κατὰ τὸ σημαινόμενον*· pessime Erasm., Schmidius aliique Paulum intelligunt.

15. 16. His versibus Paulus acriter Judaeorum notat contumaciam et impietatem, qui a Deo semper peculiari quodam favore electi, ut ex illis solis vera religio generisque humani salus prodire potuerit, tamen Christum, ejusdem auctorem, ut suos quoque prophetas interfecerint, ipsum vero fuerint persecuti [1]). Dominum interfecerunt, sed, ut monet Chrys., eum fortasse non satis sibi cognitum; ea de causa P. adjicit, etiam ipsorum prophetas ab illis esse interemtos [2]); ex quo demonstratur, eos jam antiquitus ejusdem fuisse pervicaciae cf. Matth. V, 12. XXI, 34. XXIII, 31. 37. Luc. VI, 23. XIII, 34. Act. VII, 34. Significatur haereditaria quasi improbitas (Beza).

Suspectum est *ἰδίους* ante *προφήτας*, quod in pluri-

---

1) Chrys. quem sequitur Theophyl. ita: — — *εἰς τὸν δεσπότην τὰ αὐτὰ ἐτόλμων. ὁρᾷς, πῶς αὐτὸ εἰσήγαγε μεγάλην ἔχον παραμυθίαν; καὶ συνεχῶς ταῦτα στρέφει·* (in hac re versatur assidue) *καὶ ἐν πάσαις σχεδὸν εὕροι τις ἂν αὐτὸ ταῖς ἐπιστολαῖς, ἀκριβῶς ἐξετάζων, πῶς ἐν τοῖς πειρασμοῖς ἀεὶ τὸν Χριστὸν παραφέρει διαφόρως* (eximium adducat exemplum).

2) *Τῶν καὶ τὸν κύριον ἀποκτεινάντων. ἀλλ᾿ ἠγνόησαν αὐτὸν ἴσως; μάλιστα μὲν οὖν ᾔδεσαν. τί δαί; οὐχὶ καὶ τοὺς ἰδίους προφήτας ἀπέκτειναν καὶ ἐλιθοβόλησαν, ὧν καὶ τὰ τεύχη* (libros) *περιφέρουσι; καὶ μὴν ταῦτα οὐκ ἀληθείας ἕνεκεν διεπράξαντο.*

bus desideratur codicibus, ut Alex. (A), Vaticano (B) et nonnullis Graecolatinis (D. E. F. G.), Colbertino (17), aliis, antiquis lectionibus insignibus. Tertullianus autem et auctor dialogi cum Marcionitis hanc vocem a Marcione adjectam esse contendunt. Etiamsi Marcion, quod non probari potest, aliquid de suis passim addidisse putandus esset, tamen hic nihil habemus, nisi variam lectionem, quam tamen poterat praetulisse, ut confirmaret sententiam suam de prophetis V. T. ad Christianos nihil quicquam pertinentibus.

Pergit in iisdem adversariis describendis: *ἡμᾶς ἐκδιωξάντων*, quod ita exponit Kopp.: *me ipsum persequentes meique similes doctores.* 2 Cor. XI, 24 sq. *ἐκδιώκειν* paulo animosius est, quam simplex *διώκειν*, ut *ἐκζητεῖν*, quod Eustath. explicat per *λίαν ζητεῖν*. — *Quid mirum*, ait Pelag., *si nos mali persequuntur, qui nec ipsi Domino pepercerunt?* — *Θεῷ μὴ ἀρεσκόντων* hic propter cogitationum seriem non explicarim cum Flatt., aliis per *μὴ ζητούντων ἀρέσκειν*, quum potius significet illos jam *non, ut olim, a Deo electos, sed eidem invisos esse. Deo non placent*, litotes est. Immo vero maxime displicent, sunt *θεοστυγεῖς*, quales a Josepho dicuntur in lib. VI. de Bello J. — Adjicitur: *καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίων.* Plerique interpretes loca hic cumulant, quibus probent, quam infesti fuerint Judaei omnibus alienigenis [1]); hic tamen nexus requirit, ut cum Theodoreto de impedita per illos Evangelii praedicatione cogitemus [2]). »Non solum Judaeos impediunt, sed etiam gentibus *invident* ad suorum cumulum peccatorum,« ut Pelagii utar

---

1) Diod. Sic. XXXIV. p. 524. *μόνους γὰρ ἁπάντων ἐθνῶν ἀκοινωνήτους εἶναι τῆς πρὸς ἄλλο ἔθνος ἐπιμιξίας καὶ πολεμίους ὑπολαμβάνειν πάντας.* Joseph. c. Apion. II, 14. Philostr. Apoll. V, 33. Tacit. Hist. V, 5. — Paulo aptius hic Juvenalis confertur, qui Sat. XIV, 103. 4. ait

— — — Judaei,
Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti
Quaesitum ad fontem solos deducere verpos.

2) *Τῇ οἰκουμένῃ, φησίν, προςενεγκεῖν προςετάχθημεν τὸ σωτήριον κήρυγμα. οὗτοι δὲ ἡμῖν ἀντιπράττουσιν· οὐκοῦν πάντων ἀνθρώπων εἰσὶ δυσμενεῖς.* Eodem aut parum diverso sensu Chrys. *Τὸν Χριστὸν ἐφόνευσαν, τοὺς προφήτας, τὸν Θεὸν ὑβρίζουσι, κοινοὶ τῆς οἰκουμένης εἰσὶν ἐχθροί, ἡμᾶς ἐλαύνουσι τοὺς ἐπὶ σωτηρίᾳ παραγενομένους.* Optime idem adjicit: *Βασκανίας ἐστὶ τὸ τῶν πάντων ἐμποδίζειν τὴν σωτηρίαν*, quae verba etiam a Schol. apud Matth. repetuntur,

verbis. Ita saltem insequenti versu haec verba exponi videntur.

16. Impediunt nos, quo minus gentibus aperiamus salutatem Evangelii doctrinam. Quod sequitur εἰς τὸ non tam consilium, quam potius sequelam inducit: quo fit, ut illi peccatorum quasi expleant modium, in quo, quamquam divina gratia non exhauriatur, ita tamen obduratur et calle quasi obducitur eorum animus, ut vix ac ne vix quidem reditus pateat ad salutem. (Genes. XV, 26.) Matth. XXIII, 32. ἀναπληροῦν ἁμαρτίας i. e. μέτρον ἁμαρτιῶν [1]).

Verumenimvero (δὲ) *jam adest ira divina ad finem usque duratura!* Ὀργὴ sc. Θεοῦ I, 10. Articulus adjicitur, ut Theophyl. observat, ut haec ira ipsis praedestinata atque a vadibus sacris praenunciata esse intelligatur. — φθάνειν proprio antevertendi sensu Pelag. accipit, qui: Sive quia *prae*dico, inquit, qua poena captivi sunt; sive quia ablatus est non credentibus intellectus. Quare miror hunc interpretem vocem ἔφθασε reddidisse *pervenit*, non ut Ambrosiast. *praevenit*. — Idem verbum saepe deprehendere aliquem Matth. XII, 28. tum vero alique pervenire significat. Phil. III, 16. Hesych. καταλαμβάνειν; praecipue vero subito ingruere sive occupare. Quo sensu hic illud accipi non dubitamus. — Rom. IX, 31. 2 Cor. X, 14. aoristus h. v. eodem sensu praesentis loco occurrit; maxime in prophetico dicendi genere. Coh. VIII, 14. De ipsa re, praeter 2 Thess. II, 2 — 12. maxime locus Phil. III, 16. conferendus est; recte Vaterus, „jam adest, inquit, ἀπώλεια, quae alias istis annunciatur, quum salus jam transiisse dicatur ad gentiles Rom. XI, 11." — εἰς τέλος varie explicatur. Vatablus: *in aeternum*; melius vero Grot. confert Hebr. עַד־כָּלָה, Dan. IX, 27. ut respondeat formulae ἕως τῆς συντελείας, ut apud Matth. XXIV, 14. τέλος v. 3. explicatur per συντέλεια τοῦ αἰῶνος [2]), *ad internecionem*. Ita igitur constitui potest hujus loci sensus: Non illis, sicut antehac, ex captivitate reditus est, sed ad finem usque persistit in eos Dei ira. Non plane rem attigisse videtur Schleusnerus, qui trans-

---

1) Schol. ap. Matth. Οὕτω καὶ γὰρ πῶς φιλοτιμοῦνται, ὥστε μηδέποτε τοῦ ἁμαρτάνειν ἀποστῆναι.

2) Schöttg. Hor. Hebr. p. 824. Flatt. confert 2 Chron. XII, 12. Jos. VIII, 24. X, 20. et Testam. XII patriarchar. in Fabric. Cod. Pseudepigr. V. T. Vol. II. p. 562. 564. Test. Levi. §. V. VI. cf. Benson. paraphr. ad h. l.

fert: „evenient ipsis aliquando poenae gravissimae.“ Multo melius Kopp. pro eo dicit: „poenae gravissimae, nec nisi cum ipso hominum interitu cessaturae.“ Intelligi potest, praeter ipsam cordis indurationem, et exitium, quo populus Judaeorum a Romanis delendus erat, aeterna quoque peccatorum poena [1]).

Commode consilium, cur tamdiu in Judaeis depingendis eorumque sorte describenda haeserit Apost., Ambrosiaster ita exponit: *Scilicet ut et quanta gloria digni sint, qui pro nomine Domini patiuntur et quae ultio infestis et infidis praeparata sit, dignoscatur.*

c) II, 17 — III, 13. De Timothei ad illos missione, cujus 1) causam exponit v. 17 — 20. In quo Apostolus testatur suum Thessalonicensium desiderium, ut illos, utpote gloriam suam, saepius adire voluerit. Quo tamen consilio frustratum Timotheum saltem ipsis misisse, qui de eorum inquireret fide eamque confirmaret. 2) De ipsa exponit. Tim. missione III, 1 — 5. 3) De ejusdem effectibus v. 6 — 10 laetitiam exprimens de bonis nunciis ab illis sibi allatis. Denique a Deo ut solet, bona quaevis, praecipue vero profectum in Evangelio iis apprecatur v. 11 — 13.

Versus 17 — 20 ideo inculcasse Apostolum, ut Thessalonicensibus excusetur de promisso non perfecto, observat Calvinus: „Patrem se antehac vocavit: atqui patris non est filios in tantis angustiis deserere.“ Praeterea non dubitamus ei in mentem venisse ea, quae infecta relinquere coactus fuerat; errorumque Thessalonicae grassantium recordationem cupiditatem eos visendi, quam caritas tantopere fovebat, resuscitasse. Hoc sensu eum plenum esse omnia ac singula docent verba, quibus quantus insit affectus vix dici potest. Ita statim a principio non dicit: *ἡμεῖς χωρισθέντες ἀφ᾽ ὑμῶν*, sed multo intensius et significantius *ἀπορφανισθέντες*, quod languide sane

1) Miror Matthaeium Scholium ad h. l. e Chrysostomo exceptum haud intellexisse. Etenim explicans verba *εἰς τέλος* dicit illud: *οὐκέτι, φησὶ Π., ταῦτα ἔσται, οἷα τὸ πρότερον· οὐκέτι ἐπάνοδος, οὐκέτι πέρας· ἀλλ᾽ ἔγγυς ἐφέστηκεν ἡ ὀργή.* non amplius patet reditus, quum tamen nondum adsit finis; sed proxime imminet ira populi peccata exactura Orig. Select. in Psalm. ed. Ruaei II. p. 541. d. dicit: *Ἡ οὐκ ἔφθασεν ἐπ᾽ αὐτοὺς διὰ προφήτας ἡ προαναφωνηθεῖσα ὀργὴ παθόντας ὑπὸ Ῥωμαίων πάντα δεινὰ καὶ ἀνήκεστα;* — ad Hierosolymorum igitur excidium haec refert.

a Koppio explicatur per ἀπαχθέντες. Chrysost. et Theodoretus cum Theophylacto parvulo Paulum comparari putant, parentes immatura morte sibi abreptos lugenti [1]), quum jam antea matri patrique se assimilaverit. Sed multo melius Bengelius et Flatt. de parente cogitant liberis absentibus orbato. Ita Pesch. Syr. ܐܬܝܬܡܢ ܡܢܟܘܢ. Simili modo Gorgias: τῶν φιλῶν ὀρφανισθεῖσα, et Josephus: καὶ αὐτοὶ πατέρες δ᾽ ἦσαν ὀρφανοί. Quare bene Oecumenius ad h. l. p. 713: ὀρφανοὶ καταλειφθέντες ἀφ᾽ ὑμῶν.

Id vero non sufficit Apostolo, ut orbatum se vocet; adjicit: πρὸς καιρὸν ὥρας i. q. πρὸς ὀλίγον, ut habet Theodoretus, temporis momento. — Πρὸς καιρὸν aut πρὸς ὥραν per se jam breve temporis spatium designant. 1 Cor. VII, 5. Luc. VIII, 13; — 2 Cor. VII, 8. Gal. II, 5. Phil. 15. Zancchius Paulum alludere putat ad subitum illum, nec opinatum suum discessum, quod tam cito ipsis insalutatis discedere cogeretur. Act. XVII, 10; dubito tamen, an recte. — Sensus igitur est: quum vix momento a vobis, fratres (etiam in hacce appellatione vide animi tenerrimum affectum!), separatus fuerim, neque animo, sed solo corpore, vehementer desiderabam faciem vestram conspicere. Ecce veri amoris signum, etiam brevi absentia ita affici, ut doleas, simulque eorum, quos reliqueris, semper esse memorem!

Περισσοτέρως, Paulo usitatissimum (Phil. I, 14. 2 Cor. I, 12. II, 4. VII, 13. 15. XI, 23. XII, 15. Gal. I, 14.) proprie duplici ortum est comparativo. Nam περισσὸς sive περιττὸς jam abundans sive permagnum aliquid significat. Sed Paulus vocabula per se augentia magis etiam augere solet: ita ὑπερεκπερισσοῦ, ὑπερνικᾷν, ὑπερπλεονάζειν et plura ejusmodi. — Ἐσπουδάσαμεν ἐν πολλῇ ἐπιθυμίᾳ i. e. ἐκτενῶς ἐπεθυμήσαμεν, ut bene vocem reddit Koppius; minus probanda Syr. Pesch. interpretatio ܒܪܚܡܐ ܣܓܝܐܐ, in dilectione magna. — Plus tamen inest, quam solum desiderium; etiam voluntas, quae id, quod cupit, perficere studet, simul significatur.

Simile est initium 2 ep. ad Timoth. ubi I, 4. ἰδεῖν eodem

---

1) Etiam in eo Chrys. verum non videtur assecutus esse, quod dicit: ἐκ τούτων καὶ τὴν ἀθυμίαν αὐτοῦ δείκνυσιν, ἐν ᾗ διὰ τὸν χωρισμόν. Theophyl. ἐπορφ. ὅπερ ἐστὶ παίδων πατέρας ἐπιζητούντων.

eodem modo adhibetur. 1 Cor. XVI, 7 3 Joh. 14. (coll. 2 Joh. 12.)

18. Quum P. hucusque numero plurali usus esset, hic tamen in mentem ei incurrere videtur ambigui quid inesse, si in alia, quam generali sententia, eundem adhiberet. Ex quo sequitur hocce interpretamentum huc inculcatum, ubique per omnem epistolam memoria esse tenendum. In quo ne obliviscamur Paulum alii cuidam scribenti epistolam verbis praeivisse; quare displicet id, quod Chrysost. adjicit; *εἰ καὶ μὴ οἱ ἄλλοι*, etiamsi alii non veniant [1]. — Neve inane fuisse consilium, sed reapse de eo exsequendo ipsum cogitasse, ex eo videre licet, quod semel bisve illuc venire sibi proposuerit. *ἅπαξ καὶ δίς*. Phil. IV, 16., quod respondet פַּעַם וּשְׁתַּיִם Nehem. XIII, 20. incertum indicat, sed eundem non ita magnum, numerum, eadem tamen loquendi ratio a Graeco usu haud aliena est. Tamen quod Flattio magis placet, hic secundum verba intelligi posset. *Καὶ* Hebraeorum more adversativa est particula: sed, verum, quod Grotius recte observat.

Suum autem consilium a Satana intercisum esse queritur. Omne malum et externum, et internum, prae ceteris vero quaecunque tentatio ad communem hostem solet referri. III, 5. 2 Thess. II, 8. 9. 2 Cor. II, 11. XI, 14. Luc. XXII, 31. Act. XX, 3. 7. 8. Ex profundiore de rerum ordine intelligentia quaecunque boni in terra remorantur successus, omnia quae *vere* mala dixeris, a rege quodam infernorum eoque omnium malorum principio ac fonte procedere dicuntur, ut duo sint regna sibi repugnantia, regnum Dei sive Christi coeleste et regnum Satanae [2]. Col. I, 13. *ἐξουσία τοῦ σκότους*. — Aliis vero locis P. eodem jure dicit, se a Deo spirituve sancto esse impeditum, quo interna significatur ratio, quum externa causa in perverso, eoque peccatis humanis perturbato rerum ordine insit [3]. Hic sine dubio *impediebatur tribulationi-*

---

1) Idem: *κἀκεῖνοι μὲν γὰρ ἤθελον μόνον*, inquit, *ἐγὼ δὲ καὶ ἐπεχείρησα.*

2) In hac re tractanda Usterius non tam prolixus est, quam rei gravitas locorumque Paulinorum id requirere videbatur difficultas. cf. tamen *Bretschneider*. Handb. der Dogmat. I. p. 694. *Hahn*. Lehrb. des christl. Glaubens p. 296. libros affert, qui hanc quaestionem illustrant. Baumgarten-Crusius bibl. Theol. p. 298 sq.

3) Chrysost. allatis locis Rom. XV, 22. et Act. XVI, 7. asserit,

bus persequentium (Pelag.), sicut etiam Ambrosiast. interpretatur: „Cui rei, inquit, impedimento fuisse asserit Satanam, qui etiam Apostolis obviam manus tendebat, ne veritatis ratio hominibus panderetur. Accendebant enim perfidorum mentes, ut eos verberibus et vinculis detinerent, ne loquerentur verbum Dei." — Grotius vero justo angustiores fines constituere videtur, quum injecta ei necessitate disputandi saepius cum Stoicis et Epicuraeis, qui Athenis erant, eum impeditum fuisse contendat. Quod unde compertum habeat, nos non edocet.

Haud equidem scio, an recte Kopp. vocem ἐγκόπτειν a ludis solemnibus ductam esse censeat, quum scilicet currentem aliquis in via obturbet. Laudanda vero est H. Stephani interpretatio, qui vertit: *interturbavit propositum nostrum.* Gal. V, 7. Rom. XV, 22. 2 Cor. XI, 12. Latet sane in hac voce plus, quam impediendi notio. — Σατανᾶς, שָׂטָן, ἀντικείμενος, (Lex. Cyr. ms.) adversarius iste regni divini, Tartari rex.

19. 20. P. amorem suum, ex fide auctum, aperit, dicendo animas a se lucratas spem suam esse, laetitiam, gloriosam coronam, quod in omnes valebat a se conversos, ut adjecto καὶ declaratur, nunc vero ad Thessalonicenses maxime applicatur. Chrys. monet assentationis speciem non adjecta vocula *et* huic loco inesse facile potuisse putari. — „Manifestum est, ait Ambrosiast., quia (i. e. quod) perfectio discipulorum gaudium et corona magistri est." Phil. II, 16 [1]) — *Τίς γὰρ* — — *ἢ οὐχὶ καὶ ὑμεῖς;* Quis est, unde sperem praemium in me collatum iri, nisi inter alios vos etiam? — ἔμπροσθεν cum ἐλπὶς sqq. conjungendum esse, vix est, quod moneamus. Haec omnia autem ad vitae aeternae spem, gaudium et praemia referenda sunt. Ita Christus ipse vocatur ἐλπὶς ἡμῶν, spei nostrae fons. 1 Tim. I, 1. Col. I, 27. Paulinae menti minus convenire videtur Pelagii levior explicatio: *Non immerito vos desideramus, per quos laetitiae gaudium speramus et gloriae coronam,* quod quum non abhorrere a Pauli sententia, tum eam tamen non exhaurire videtur. *Χαρὰ* saepissime felicitatem innuit aeter-

---

hic πειρασμούς describi τινας ἀπροσδοκήτους καὶ σφοδρούς· γενομένης γὰρ αὐτῷ ἐπιβουλῆς ἀπὸ τῶν Ἰουδαίων κατέχετο ἐν τῇ Ἑλλάδι τρεῖς μῆνας.

1) Schöttg. H. H. et Talm. p. 824.

nam. *Στέφανος καυχήσεως*, עֲטֶרֶת תִּפְאָרֶת [1]), Ezech. XVI, 12. Prov. XVI, 31. LXX. Ut Christianorum vita haud raro militiae comparatur, ita salus aeterna corona est victori destinata. 2 Tim. IV, 8. Apoc. II, 10. Haec autem gloria illi sunt ipsi Paulo, coram J. Ch. i. e. in judicio ab eo habendo, sive, ut ait Gomarus, die ultimo coram Christo agonotheta et numerario. Quod insequentia satis illustrant: *ἐν τῇ παρουσίᾳ* cf. III, 13. et praecipue 2 Thess. II, 1. ubi de extremo Christi ad judicium reditu uberius tractatur. — *γὰρ* transeuntis est cum affirmatione.

Omnes fere Intpp. maxime vero ecclesiae patres, Apost. tenerrimum amorem laudibus hic exornant. Ita Theodoretus putat Paulum Thessalonicenses vocare spem suam et gloriam, sicut mater filiolos dicere soleat spem et gaudium. Quod Theophylactus suum faciens, addit gloriae commendationem in eo sitam, quod tam amplam, tamque probatam et placidam Deo obtulerit ecclesiam [2]). Macrob. in somn. Scip. I, 1. simili modo habet: *Eustathi fili, vitae mihi pariter dulcedo et gloria.* — In versu 20 Flatt. supplet *ἤδη νῦν*, ut praecedenti opponatur, cujus tamen rei in loco nostro nullum exstat vestigium.

C. III.

Jam ad singula, quae fecerit, exponenda transit Apostolus, praecipue vero rationes persequitur, quibus permotus Timotheum miserit. Quare novi capitis initium hoc ipso loco constitutum esse, nemo probaverit.

1. *Στέγοντες* (v. 4.) i. e. tolerantes (Ambros.) sive sustinentes (Pelag. cum Vulg.); *στέγω* enim propriam tegendi, tum etiam recondendi habet vim; porro de eo usurpatur, qui aliquid fert; sensu denique metaphorico de eo adhibetur, qui desiderium doloremve perferre valet. Quare

---

1) Cod. Alex. habet *ἀγαλλιάσεως*, cui Tertull. de resurr. carnis fortasse adstipulatur, qui transfert: *exsultationis.* Receptam tamen lectionem recte sese habere non dubitamus.

2) Etiam Chrys. *Οὐκ ἂν ποτε μήτηρ, οὐδὲ πατὴρ, εἴγε ὁμοῦ συνῆλθον, καὶ τὸν ἑαυτῶν ἀνεμίξαντο πόθον, ἢ ἠδυνήθησαν δεῖξαι ἰσόῤῥοπον ὄντα τῷ Παύλῳ τὸν ἑαυτῶν πόθον*, illi non potuissent ostendere aequum desiderii quasi pondus. Paulo post: *Τίς οὐκ ἂν ἐπὶ τοσαύτῃ πολυπαιδίᾳ καὶ εὐπαιδίᾳ ἀγαλλιοῖτο;* — cf. Schöttg. h. Hebr. p. 824.

hic supplendum est τοῦτο sive τὸν πόθον ὑμῶν. Erasmus bene circumscribit: imperare non potui desiderio videndi vos. Respondet Hebr. הִתְאַפֵּק, Gen. XLV, 1. 1 Cor. IX, 12. XIII, 6. Hesych. στέγει· βαστάζει, ὑπομένει.

Idcirco Apost. placuerat (II, 8. ipso verbo εὐδοκήσαμεν *prompta animi inclinatio* significatur, ut observat Calvinus) Timotheum, quem summo jure dicit solam consolationem (ὃν μόνον εἶχε παραμυθίαν. Chrysost.) Athenis ad Thessalonicenses mittere. *Maluimus* (εἱλόμεθα, Chrys.) *soli remanere, quam nescire, quid ageretis.* (Pelag.) Silam cum Timotheo profectum esse in Prolegomenis exposuimus cf. Act. XVII, 15. In hac autem re non est negligendum, Apostolum e comitum omnium absentia haud parum accepisse incommodi, quum praeter amicorum abitum eos quoque doleret sibi ereptos, qui externa potissimum curasse videntur, ut ipse curis externis plane immunis eo liberius praedicare posset evangelium [1]. — Verba hic tempore plusquamperfecto accipienda, res ipsa docet.

2) Magna hic obtinet lectionum varietas; quae vulgo recipitur, haec est: καὶ διάκονον τοῦ Θεοῦ καὶ συνεργὸν ἡμῶν; in nonnullis vero libris desunt verba καὶ διάκονον τ. Θ., in aliis καὶ συνεργὸν ἡμῶν. Utrumvis autem retineas commodus prodit sensus. Διάκονος τ. Θ. doctoris Christiani est appellatio in ipsa muneris ejus natura sita. Ita Tychicus Eph. VI, 21. Col. IV, 7. διάκονος ἐν κυρίῳ dicitur. cf. 1 Cor. III, 5. — Quanti autem Ap. Timotheum fecerit, quis est, quin sciat? 1 Cor. IV, 17. Quare idem συνεργὸς ab eo vocatur Rom. XVI, 21. Adjicitur hic ἀδελφὸς in signum intimae amicitiae. — Difficilior est interpretatio, si legimus συνεργὸν τοῦ Θεοῦ, quod tamen cum Ambros. explicare possis „participem operis Dei in evangelio J. Ch.," ut τὸ σὺν magis ad Paulum ceterosque evangelii ministros spectet. — Quare ex internis argumentis quum certi quid definiri posse non videatur, neque manuscriptorum auctoritas lectioni cuidam praecipue faveat, tutissimum arbitramur vulgatam retinere lectionem, quam multi saltem tuentur optimae notae codices, quaeque patrum et versionum defenditur quamquam non un-

---

1) Quae res bene observata est ab amicissimo A. Curtio in libello de Tempore, quo prior Pauli ad Tim. Ep. exarata sit. Berol. 1828. 8. p. 60. 61.

animi consensu. Quare quum omnes fere libri a Matthaeio collati eam defendant, Theodoretum, Vulg., Ambrosiast. a Pelagio, Chrysostomo, Oecumenio, Theophylacto, aliis, satis convinci putamus.

Addit elogia Ap., monente Chrysost., non tam, ut illum collaudet, sed ut istos potius honoribus prosequatur, quum hominem sibi tam necessarium operamque suam in evangelio praedicando impigre ipsi conferentem, eorum gratia a suscepti operis continuatione revocaverit [1]). Calvinus vero dicit, has laudes illum adscripsisse, quo melius ostenderet, quam bene illis consultum voluerit. Praeterea auctoritatem ita doctrinae a Timotheo tradendae conciliare studet.

Tum adjungitur ejus missionis causa, quae alia non est, nisi illorum in fide confirmatio et ad constantiam exhortatio [2]). *στηρίζειν* et *παρακαλεῖν*, ut hic, Act. XV, 32. quoque conjunguntur. — *περί*, quod attinet ad, 1 Cor. VII, 1. VIII, 1.; nonnulli codd. hic, ut Gal. I, 4., legunt *ὑπέρ*, quod tamen tanquam difficilioris illius lectionis haud inepta explicatio marginalis, omnino rejiciendum est. — De certa quadam doctrinae parte, ut de reditu Christi ad judicium, nullum hic reperitur vestigium. Tam late Theophyl. etiam hunc locum accipit: „Quum concuterentur, inquit, ob tentationes afflictionesque praeceptoris sui, indigebant fulcimento et exhortatione sive consolatione, ut jam non exciderent a fide. Non enim modicam discipulis perturbationem praeceptoris tribulationes efficiunt, perinde ac militi, si quando imperator vulneretur“ [3]). *Πίστις* hic, ut saepe, firmam de veritate Christiana persuasionem et sentiendi agendique includit modum ex eadem procedentem. Unde v. 3. adjicitur: *Tim. misimus, ut vos confirmaret, ne quis vestrûm in hisce afflictionibus se con-*

---

1) Chrys. *τοῦτο οὐ τὸν Τιμ. ἐξαίρων φησίν, ἀλλ' αὐτοὺς τιμῶν, ὅτι τὸν συνεργὸν καὶ διάκονον τοῦ εὐαγγελίου αὐτοῖς ἔπεμψεν.* Schol. ap. Matth. ejus verba descripsit, quae etiam a Theophylacto in compendium rediguntur.

2) Theodoret. *Ἀπεστείλαμεν αὐτόν, οὐχ ἵνα ἑτέραν ὑμῖν προσενέγκῃ διδασκαλίαν, ἀλλ' ἵνα ἐπὶ τῆς προτέρας ὑμᾶς ἐρείσῃ καὶ παρακαλέσῃ φέρειν γενναίως τὰς τῶν ἐναντίων ἐπιβουλάς, καὶ μὴ κλονεῖσθαι, μηδὲ τῆς προτέρας ἐξίστασθαι γνώμης.* —

3) Chrys. *Διδασκάλων οἱ πειρασμοὶ θορυβοῦσι τοὺς μαθητὰς — — ὥσπερ οὐδὲ οὕτως ἐπὶ τῶν οἰκείων θορυβεῖτο πειρασμῶν στρατιώτης, ὡς ὅταν τὸν στρατηγὸν ἴδῃ βεβλημένον.*

turbari pateretur. Τῷ causam innuit, ut Hebr. ל infinitivo praepositum i. q. εἰς τό v. 5. [1]) Multo usitatius est τοῦ, cui hic quoque non plane deest codicum auctoritas, quibus forte ii etiam accensendi sunt, qui legunt τό, quod ineptum est facileque ex illo prodire poterat, quum in antiquissimis codd. saepe ō pro diphthongo οῦ scribi solitum constet. Inusitatior tamen ratio retinenda est.

Σαίνω auctior forma sive iterativum est a σέω, σείω, quod apud Homerum saepe legitur: ex iterativi forma proprie esset σεαίνω, quod tamen nunquam non contrahebatur. Adhibetur hoc verbum de quavis re celeri motu huc illuc translata; unde Eustathio teste (in Odyss. p. 590, 34.) saepissime de canibus adhibetur cauda mota blandientibus (Odyss. π, 6.), tum vero pro simplici κολακεύειν. Quae autem significatio hic neque ipsa adhibenda; neque ex ea commovendi sive concutiendi generalior illa extorquenda; sed ad proprium potius hujus vocis usum recurrendum est. Ita Chrys. per θορυβεῖσθαι, Theod. per κλονεῖσθαι explicat. Alberti Glossar. p. 147. σαίνεσθαι· κινεῖσθαι, ταράττεσθαι. Simili modo Hesych. σαλεύεσθαι cf. II, 2. Haud raro ita occurrit apud Sophoclem, Euripidem, alios [2]). Alii vero, ut Lutherus: *damit ihr nicht weich werdet;* hoc sensu Schol. ap. Matth. explicat per ἐκλύεσθαι, τῆς προτέρας ἐξίστασθαι γνώμης. Grotius hunc vocabuli usum pro Cilicismo habet, rationibus tamen non additis. Quare alteram interpretationem et exemplis satis comprobatam, et a loci nexu non alienam cum Kopp. Flatt. al. praetulerim. — θλίψεις aerumnas hic esse a Thessalonicensibus toleratas vix est dubium; nonnulli tamen Pauli etiam comitumque ejus includi arbitrantur certamina.

Pelagius molli putat Apostolum alloquio uti, quum non dicat: ne vos in universum, sed ne singuli e vobis conturbentur. Sed hae sunt argutiae; melius animadvertisset, hoc amoris esse signum, ut ne singulos quidem excludat.

---

1) Vide sis usum Graecum, ex quo hic abusus N. T. peculiaris fluxisse videtur, exemplis collustratum ap. Matth. gr. Gr. §. 541. p. 1062. II. ex quibus pauca tantum huc trahi posse, non est, cur miremur. cf. Winer. Gr. II. p. 115.

2) Soph. Antig. 1214. Eurip. Rhes. 55. Jon. 669. οὐ γάρ με σαίνει θέσφατα, μή τιν᾽ ἔχῃ δόλον. — Syr. [illegible], *ei succiditur* i. e. animum despondet.

Quae sequuntur, non cum Griesbachio, Vatero, al., parentheseos signo includenda, nec ad solum Paulum transferenda esse videntur; sed potius ad communem Christianorum sortem, ad quam destinati sunt. *Εἰς τοῦτο κείμεθα* Luc. II, 34. Phil. I, 17. 2 Maccab. IV, 11. 31. Schol. ap. Matth. *κεκληρώμεθα, ἀπογεγράμμεθα.* — A quo parum abest Calovii et Koppii sententia pluralem ad P. et Thessalonic. simul referendum esse. — Sed ad quidnam destinati esse hic dicantur Christiani, dubitari potest: utrum ad fidei constantiam, an ad tolerandas persecutiones. Cum Theodoreto, Theophyl. pluribusque interpretibus ut posterius amplectamur, insequens suadet versiculus omnisque sententiarum nexus. — De malis in hac terra ab homine Christiano tolerandis cf. Joh. XVI, 33., cui loco Theodoretus ipsius Domini addit voces Matth. X, 16. V, 10. Huc etiam referendi sunt loci Rom. VIII, 17. 30. 1 Cor. I, 9. Act. XIV, 22. 2 Tim. III, 12. Quam multa illis temporibus Christianis perpetienda essent, quis est, qui nesciat? attamen eorum dictorum veritatem etiamnum non plane sublatam esse, nemo sane cordatus negabit. Recte igitur Calvinus hanc nostram conditionem vocat, quam Deus nobis imposuit, qua lege Christiani sumus [1]).

4. Id quidem vobis praedicebamus, ne „ipsa vos novitas deterreret [2]), sed magis prophetia nostra confirmaret, sicut et Dominus passurum se ante praedixit," quae Pelagii sunt verba; quod ipso eventu comprobatum est. *Οἴδατε* enim non cum Koppio de praedictione, sed cum Theod., Michael. aliisque de eventu intelligendum est [3]). *πρὸς* Joh. I, 1.

5. Narratio, interpositis quibusdam paululum interrupta, continuatur; hic igitur versus e quatuor prioribus, quos in compendium redactos quasi refert, ita supplendus est: Quum absentiam vestram non amplius ferre valuissem, Timotheum ad vos miseram, veritus scilicet, ne vos tentaret seductor ille, itaque irritus fieret labor no-

---

1) Usteri l. l. p. 196. 2) non tamen probari potest, hic de illis calamitatibus agi, quae adventum Domini praecedere dicuntur.

2) Chrysost. cum aegrotis comparat illos, qui a medico edocti, quidnam eventurum sit, non conturbantur, ubi venerit; *ἐὰν δὲ ἀπροσδόκητος ἐκβῇ, ὡς κἀκείνου ἀπορηθέντος καὶ τοῦ νοσήματος μείζονος τῆς τέχνης γενομένου, ἀλγεῖ καὶ θορυβεῖται, οὕτω καὶ ἐνταῦθα.* Hanc rem fusius exponit in Hom. III. fine.

3) Theodoret. *Προῤῥηθεῖσι τὰ παρ' ἡμῶν πράγματα μεμαρτύρηκε.*

ster [1]. *Εἰς τὸ γνῶναι* sc. *αὐτόν*, non *μέ*. — *Κἀγώ* a plurali, quem supra adhibuerat, omnino non differt, quum ita Pauli ferre soleat consuetudo, ut se solum modo singulari, modo plurali designet. —

Cum H. Steph. ante *μήπως*, ex omissione omnibus fere linguis solemni, Kopp. supplet *φοβούμενοι*. Rom. XI, 21. — *πειράζειν* proprie est experimento probare, eo adducere, ut intelligatur, quatenus alicujus vires sufficiant; hic vero, ut saepe, ex usu ab illo translato ad malum, seducendi significat studium. 1 Cor. VII, 5. Jac. I, 13. 14. Apoc. II, 10. III, 10. Quemadmodum in primo loco hoc verbum de Satana usurpatur, ita idem Matth. IV, 3. 1 Petr. V, 8. dicitur *ὁ πειράζων*, qui II, 18. proprio nomine appellatus fuerat. Syr. ܡܢܣܝܢܐ cf. Hebr. נִסָּה [2]. — Ambrosiast. monet, Apostolos istud quorundam causa dicere, qui possint seduci astutia Satanae, quia in omni plebe est pars firma et infirma.

P. vero Timotheum miserat, ut, *si aliquem scrupulum patiantur* (Pelag.), eos confirmaret, neque irritus fieret gravissimus ipsius labor. Non dicit *ἔργον*, sed *κόπος*, neque veretur, ne illi intereant, sed ne ipsius labor pereat, ut haud mirum videretur, si quid adversum accidisset. — *Εἰς κενὸν γίνεσθαι*, i. q. *κενὸν γίν.*, irritum fieri. Phil. II, 16. Job. XXXIX, 16. — 2 Cor. VI, 1. 1 Cor. XV, 10. 58. Gal. II, 2. [3]) Improbanda est Chrysostomi sententia, qui in his verbis singularem quandam inesse arbitratur emphasin, tanquam si amorem P. illis exprimat, tanquam si vanus labor ipsi videatur, ni fructum tulerit in ipsis, quantocunque etiam apud Deum pretio sit.

6. Vide laetitiam, quam ceperit Apost. ex bonis nunciis a Timoth. de ipsis allatis! *Εὐαγγελισαμένου*, quod ipsa res docet, proprio, non translato, eoque multo solemniore usu, hic adhibetur. Respondet Hebr. בִּשֵּׂר. 2 Sam. XXXI, 9. Luc. I, 19.

---

1) Theodoret. *Τούτου χάριν, μηκέτι φέρων τὴν τῆς φροντίδος ὑπερβολήν, ἔπεμψα μαθεῖν ποθῶν μή τις ὑμῶν ἐκ τῶν πειρασμῶν προσεγένετο βλάβη, καὶ ἵν' ὑπὲρ ὑμῶν ὑπεμείναμεν, ἐζημιώθημεν πόνον.*

2) Propria significatione Chrys. hanc vocem accipere videtur, qui *πειράζει*, inquit, *οὐκ εἰδώς, εἰ καταβαλεῖ* et paulo post: *ἂν ἴδῃ τι ἀσθενές, ἐπεχείρησεν· ἂν ἰσχυρόν, ἀπέστη.*

3) Heliodor. ap. Wolff. *ἀλλὰ μάτην ὑμῖν ἔφη, καὶ εἰς κενὸν ἡ σπουδή.* — *εἰς κενὸν* i. q. לָרִיק.

Ἄρτι δὲ, jam vero, sive cum *ἐλθόντος* conjungatur, quod facilioris nexus causa praeferendum esse duco, sive cum verbo *παρεκλήθημεν* v. 7, innuit has literas brevi post Timotheum Thessalonica redeuntem scriptas esse cf. Act. XVIII, 1. 5; *ἄρτι* enim semper adhibetur de tempore vel praesenti, vel proxime praeterito, quod Kopp. bene observat. cf. Matth IX, 18.

Fides atque caritas ubique fere ita conjunguntur, ut summa pietatis in iisdem contineri videatur, utque hanc ex illa procedere intelligas [1]); quibus tantum non semper tertia adjungitur spes. — *Μνείαν ἔχετε ἀγαθὴν* nullo modo cum Grotio de honorifica mentione intelligendum est (id enim esset *μνείαν ποιεῖσθαι* vel simile quid); sed de ipsorum benevola recordatione, quae sicut Apostoli desiderium, Theodoreto monente, signum erat, eos a vera fide non recessisse, sive *signum bonae conscientiae*, ut ait Bengelius. — „Apost., laetus factus de communi concordia, scribit ad eos securum habens fructum fidei et bonae conversationis eorum.“ (Ambrosiast.) Quum enim de Thessal. audit, quod optabat, inquit Calvinus, quasi exstincto malorum sensu, in gaudium et gratulationem effertur; quanquam gradatim ad hanc gaudii magnitudinem exprimendam procedit.

7. 8. Ut in v. 6. protasis, ita huic versui apodosis inest. „Hinc fratres, magnum percepi solatium vestrum respectu habito, in quibusvis angustiis et calamitatibus meis, nuntio de vestra fide mihi allato; nunc praesertim in eo felicitas mea nititur, ut vos in Domino constantes sitis.“ In regni divini incrementis bonaque conditione P. inest quasi vita, inque hoc ipso maximus eorum, qui ipsius curae demandati sunt, conspicitur amor [2]). 2 Cor. VII, 4. 3 Joh. 3. 4.

Ἐφ' ὑμῶν proprie redundat, quum verbis insequentibus *διὰ τῆς ὑμῶν πίστεως* repetatur simul et expona-

---

1) Theodoret. *Δηλοῖ ἡ μὲν πίστις τῆς εὐσεβείας τὸ βέβαιον· ἡ δὲ ἀγάπη τὴν πρακτικὴν ἀρετήν. ἡ δὲ τοῦ διδασκάλου μνήμη καὶ ὁ περὶ αὐτὸν πόθος μαρτυρεῖ τῇ περὶ τὴν διδασκαλίαν στοργῇ.* Uster. bl. p. 146. contendit, fidem hic latiori significatione acceptam *ἐλπίδα* quoque includere, cujus usus plura affert exempla.

2) Chrys. *οὐκ ἠξίου χάριν αὐτοὺς εἰδέναι αὐτῷ τῶν πειρασμῶν τῶν ὑπὲρ αὐτῶν, ἀλλὰ χάριν αὐτοῖς ᾔδει, ὅτι οὐκ ἐσαλεύθησαν διὰ τοὺς πειρασμοὺς τοὺς αὐτοῦ.* Theodoret. *Ταῦτα, φησίν, ἡμῖν τὴν εὐθυμίαν ἐνέθεικε.* Prior vocem *παρεκλήθητε* ita explicat: *ὑμεῖς ἡμᾶς ἐστερεώσατε.*

tur. Simili modo ἐπὶ laetitiae admirationisque designat objectum. Matth. XVIII, 13. Marc. XII, 17. ita ἐφ' ὑμῖν, vestrum respectu habito 2 Cor. VII, 7. Illud διὰ bene a Vatero explicatur; nuntio allato de πίστ. κ. τ. λ. — θλίψις v. 3. a quo ἀνάγκη parum differt i. q. βασανὸς Luc. XXI, 23. 1 Cor. VII, 26. 2 Cor. XII, 10. ib. VI, 4. ubi utraque vox, sicut nostro loco, conjungitur. Minime, ut nonnullorum fert sententia, solam significat paupertatem. — Cum Grotio contorte satis nonnulli hic trajectionem statuunt, ut invertendus sit verborum ordo: διὰ τῆς ὑμῶν πίστεως ἐπὶ πάσῃ, κ. τ. λ.

8. Vivere eum saepe dici, qui felix est, inter omnes constat, et hic usus omnibus fere linguis communis est. Ita Romani: „Dum vivimus, vivamus, amici!“ — Pelag. „omnem, ait, necessitatem et tribulationem non sentimus prae magnitudine gaudii status vestri.“ Tum adjicit: „Etiamsi occidamur, vivimus, quia vita nostra in vestra firmitate consistit [1]). — νῦν, accepto hoc tam laeto nuntio. Dicit igitur Ap. bene sibi esse, *dummodo* (ἐὰν) sciat illos constantes in fide tenenda [2]). στήκειν Rom. XIV, 4. 1 Cor. XVI, 13. Phil. IV, 1. Gal. V, 1. cum Dativo et rei et personae significat constantem esse in causa sive re quadam tuenda, fidum esse cuidam homini. Hic dominus tamen ipse pro regno poterat positus esse, cujus est conditor, princeps atque caput. Storr. Opp. T. II, p. 364. not. 201. — στήκητε Syr. P. ܬܩܘܡܘܢ.

9. *Τίνα γὰρ εὐχαριστίαν δ. τ. Θ. ἀ.* pro πῶς δυνάμεθα εὐχαριστεῖν ἀξίως τ. Θ [3]); alludere videtur P. ad verba Ps. CXVI, 12. — γὰρ transeuntis ut II, 1. — ἐπὶ (ܥܠ, de) πάσῃ τῇ χαρᾷ, propter omnem laetitiam; usitatius ὑπὲρ πάσης τ. χ. — Theodoretus ita explicat: *Νικᾷ τῆς εὐφροσύνης τὸ μέγεθος τῆς γλώττης τὴν ὑμνῳδίαν.* — πᾶσα χαρὰ Jac. I, 2. πᾶς haud raro intensivum potius admittit usum, ut non *quisque* sed *maximus* transferendum sit, quod Flattius recte animadvertit.

---

1) Athanas. d. Große von Möhler I. p. 143 sq. dignus est locus, qui hac de re conferatur.

2) Theodoret. Τὴν γὰρ ὑμετέραν βεβαίωσιν ζωὴν ἡμετέραν ὑπολαμβάνομεν. Chrys. δεικνύς, ὅτι καὶ πειρασμὸν καὶ θάνατον οὐδὲν ἄλλο ἡγεῖται, ἢ τὸ σκάνδαλον τὸ ἐκείνων, ὅπουγε καὶ ζωὴν τὴν ἐκείνων προκοπήν.

3) Chrys. Οὐχὶ ζωῆς αἴτιοι ἡμῖν γεγένησθε μόνον, ἀλλὰ καὶ εὐφροσύνης πολλῆς καὶ τοσαύτης, ὡς μηδὲ εὐχαριστῆσαι δύνασθαι τῷ Θεῷ κατ' ἀξίαν. τὸ ὑμῶν κατόρθωμα δῶρον Θεοῦ ἡγούμεθα.

Quod sequitur ἔμπροσθεν τ. Θ., ut cum plerisque interpretibus facit Kopp., vocibus τῇ χαρᾷ conjungendum, non cum verbo χαίρομεν, quo loquacior fieret sententia, copulandum est, ut I, 3. Non vero cum b. Michaelis laetitiam intelligimus, quam Deus adspiciat, quod frigidum sane ést; nec aliis damus, ut Calvino, posse intelligi laetitiam sine ulla simulatione veram, quod linguae rationibus repugnat; quare Kopp. sequimur, qui piam hic designari putat [1]) — Peschito haec verba ad sequentia trahens, ܐܠܐ, *verum* initio v. sequentis intrudit.

10. Nam sine intermissione (II, 9.) ex intimo animo Deum invocamus, ut vos videre et si quid fidei vestrae desit, illud reficere liceat [2]).

Ut περισσοτέρως II, 17. ita ὑπερεκπερισσοῦ duplex exprimit augmentum, ipsaque forma dialectum capit vulgarem, V, 13. Eph. III, 20. Theodot. Dan. III, 23. cf. Lamb. Bosii Exercitt. sacr. p. 213. Simili modo περισσεύειν. Ambrosiaster: abundantissime orantes; in quo omittitur: πρὸς τὸν θεόν. Rom. I, 10. — εἰς τὸ ἰδεῖν precum finem innuit. — Καταρτίζειν ab ἄρω derivatur, unde ἄρτιος i. q. τέλειος. 2 Tim. III, 17. Quapropter hoc verbum triplici sensu adhibetur, ut significet 1) i. q. κατασκευάζειν, instaurare sive condere. 2) i. q. τελειοῦν, perficere, corrigere 3) i. q. στερεοῦν, confirmare. Hic mediam significationem praeferendam esse, quod sequitur docet ὑστέρημα cf. 2 Cor. XIII, 11. Gal. VI, 1. — ὑστέρημα proprie id, quod rei cuidam deest, ut ea fiat, quae esse debet. Ita hic et 1 Cor. XVI, 17. 2 Cor. IX, 12. Col. I, 24., ut ὑστερεῖσθαι Phil. IV, 12., dicitur is, qui rebus necessariis destitutus est. Beza: omnibus numeris absolvamus.

Thessalonicensium etiam fides excoli poterat; *aliud enim est, fidem accipere, aliud expositionem fidei* (Ambrosiast.) hinc, ut Pelagii verbis utar, Paulus dicit: „Si quid fides vestra minus habet doctrinae," a me supplendum est [3]). In his, quod Theophyl. admonet, Ap. prae-

---

1) Schol. ap. Matth. Τοῦ Θεοῦ, ὡς τούτου ταύτην ἡμῖν χαρισαμένου cum χαίρομεν connectere, et in singulis Chrysost. sequi videtur.

2) Καθάπερ γάρ τις γεωργός, ἀκούων περὶ τῆς αὐτοῦ χώρας, τῆς πονηθείσης αὐτῷ, ὅτι βρίθεται τοῖς καρποῖς, ποθεῖ κατ' ὄψιν τὴν τοσαύτην ἰδεῖν ἡδονήν.

3) Schol. ap. Matth. ὑστερ. explicat: τὰ ὅσον πρὸς δογμάτων τελειότητα ἐλλείποντα et mox τὸ ὑστεροῦν, ἵνα ἀναπληρώσῃ.

cipue doctrinam de reditu Christi spectasse videtur, illis errorum causa mox accuratius exponendam.

11. Votum adjicit Ap., qualia in duabus his epistolis permulta inveniuntur, V, 23. 2 Thess. I, 11. II, 16. III, 15. 16. Quid, quod Bengelius dicit, utramque ep. ad Thess. fere singula capita singulis suspiriis obsignata habere? — „Integro ordine iter suum disponi postulat; primum a Deo patre, quia ab ipso sunt omnia; deinde a Domino J. Ch., per quem sunt omnia, ut virtus atque providentia patris et filii adventum ejus commendet, ut acceptabilis fiat audientibus si et impedimenta diaboli solverentur ad dirigendum iter ejus," ait Ambrosiaster. — *αὐτὸς* propriis P. desideriis et conatibus opponitur, hinc *δέ*, quod praeter transitus significationem, levem etiam invenit oppositionem, hic apponitur. Nemo est, praeter ipsum Deum, qui impedimenta possit amoliri [1]. — *Κατευθύναι πρὸς ὑμᾶς* duplici modo intelligi potest: aut *dirigat* viam meam ad vos, aut *applanet* eam omniaque tollat impedimenta. Luc. I, 79. Utrumque hic conjunctum esse videtur praegnanti quodam verbi usu. Priorem vero explicationem cum Aethiope Syrus in Pesch. sequitur, qui habet ܢܬܪܨ, posteriorem vero Arabs, qui transfert: يمهد [2].

Christus cum Deo patre, ut hic, ita saepissime in libris N. T. conjungitur, ut eaedem utrique partes assignentur; sic inverso ordine conjunguntur 2 Thess. II, 16., „ut certe, ait Calvinus, nihil bonorum nobis praestet pater, quam per manum Christi." Etiam externae rerum vicissitudines hic ab eodem dicuntur pendere [3]. cf. verss. insqq. Col. I, 16. 17.

12. Sine idoneis rationibus nonnulli ex solius ver-

1) Chrys. *Αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς ἐκκόψαι τοὺς πειρασμούς, τοὺς πανταχοῦ περιέλκοντας ἡμᾶς, ὥστε ὀρθὴν ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς*, quod apertius etiam declaratur a Theodoreto: *πληρῶσαι ἡμῶν τὸν πόθον καὶ τὰς ἐν μέσῳ δυσκολίας ἀνέλοι.*

2) Falso quidam *κατευθύναι*, quod 3 pers. aor. opt. est pro infinitivo, et hunc rursum imperativi loco positum habuere. cf. Winer. Gr. I. §. 38. 7. p. 137.

3) Flatt.: „*P. setzt auch hier voraus, daſs Christus Herr im eigentlichsten Sinne, Theilnehmer der Herrschaft des Vaters sei, nicht im uneigentlichen Sinne, in welchem er nur durch die Wahrheit herrschen würde.*"

sionis Syriacae auctoritate vocem κύριος [1]), ipsorum scilicet dogmaticis opinionibus repugnantem, e contextu ejicere conati sunt, male ferentes, Christum, quem hac voce designari praecedens versus ita clamabat, ut negari posse id non videretur, Deo aequiparari, quum, quod a Patre alibi soleat optari, hic a filio repetatur. Ipse tamen Eichhornius [2]) Syrum cum Arabe apud Erpenium, pedissequo ejus, sufficere putat ad tuendam hanc lectionem, quum praesertim libri msc. modo ὁ Θεός, modo ὁ κύριος I. X. e margine in textum se intruserint. Miror, virum doct. in re desperata oleum et operam perdidisse, quum praesertim, etiamsi illa vox deesset, nihilo tamen minus grammaticae rationes flagitarent, ut Christum eundem pro subjecto habeamus. Huic igitur in loco nostro divinum tribuitur caritatis in hominum animis excitandae opus [3]).

Verba πλεονάζειν καὶ περισσεύειν intransitive plerumque adhibentur; hic autem activa sunt, sicut in vers. Alex. prius eorum invenitur pro רַבָּה et הַרְבָּה Num. XXVI, 53. Psalm. LXXI, 21. alterum, quod vulgari sensu IV, 1. recurrit, ab Aquila, Prov. XII, 26. simili modo usurpatur, et in N. T. Eph. I, 8. 2 Cor. IX, 8. certiora habemus ejusdem usus exempla. Synonyma conjunguntur, ut res augeatur intensiusque efferatur. Optat Ap., ut Christus amorem illorum erga se invicem et erga omnes quam maxime velit augere. Εἰς πάντας duplici sensu accipi potest, vel ita, ut reliqui Christiani Thessalonicensibus opponantur; vel ita, ut caritati, qua Christiani inter se conjunguntur, omnium hominum amor addatur. Priori sensu Theodoretus omnes ὁμοπίστους intelligit; Chrysost. [4]) vero, quocum plerique faciunt interpretes, posteriorem amplectitur interpretationem, quae sane et ipsis verbis, quum εἰς πάντας legamus, nulla restrictione facta, melius convenire et universali religionis Christianae indoli magis respondere videtur. Amor Dei et omnium

---

1) Falso Basil. de Spir. s. c. 21. hic, v. 13. et 2 Thess. III, 5. Spiritum sanctum intelligit.

2) Eichh. Isag. in N. T. IV. p. 426.

3) Quod Theodoretus ex eo concludit, quod pater et filius conjunctione καὶ conjungantur, quo edoceamur ὡς τὰ αὐτὰ ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς οἰκονομοῦσιν, ὥσπερ αὐτὰ καὶ δημιουργοῦσιν.

4) Τοῦτο γὰρ ὄντως ἀγάπης τῆς κατὰ Θεὸν τὸ πάντας περιπλέκεσθαι.

hominum ubique in N. T. legis habetur summa et implementum. Quare minime placet tertia quaedam explicatio, quae ad solos Thessalonic. hanc sententiam restringens, nervo ejus fracto, ita eam constituit: erga vos invicem *et quidem omnes*. IV, 9.

Extrema hujus versus verba imperfectam exhibent sententiam; simplicissimum autem videtur, si suppleamus: *πολλὴν ἀγάπην ἔχομεν* sive, ut Noesseltius mavult, animati sumus. Syr. ܐܝܟ ܕܪܚܡܝܢܢ ܠܟܘܢ; ut nos vos diligimus. Quo autem cunque modo hanc accipias enuntiationem, similitudo in aequali caritate inesse videtur; quare non putamus intelligendum esse: *consilium habemus*, ut conjungatur cum *εἰς τὸ στηρίξαι*. Incommodum quoque videtur cum Kopp. ex antecedentibus repetere: *πλεονάζομεν καὶ περισσεύομεν*, quo tamen sensu Theophyl.: „Quod nostra interfuit, jam ipsi peregimus: quod vestra, ut fiat, oramus. Nos autem in caritatis mensuram habete et exemplum." Male Flattius *περισσεύομεν* putat repetendum, sed ita, ut intransitive hic accipiatur.

13. *Εἰς τὸ στηρίξαι* hebr. ל cum infinitivo respondet; neque tamen cum Koppio, qui ad 1 Sam. XIX, 5. provocat (ubi consequens eo indicatur), illud pro simplici *καὶ στηρίξαι* acceperim, ut optativus tantum continuetur, quae Vateri est sententia, qui tamen recte interpretatur: ita, ut ct. — Apostolus ad Christianos fide jam imbutos hic verba faciens, iis affirmat, si amoris vinculo arctius quotidie conjungantur, fore, ut in fide confirmentur. Hinc a Deo non expetit ut fiant, sed ut serventur sancti. *Ἀμέμπτους* hic praedicatum est, non adjectivum substantivo conjunctum, ut supplendum sit: *εἰς τὸ γενέσθαι*. Nescio, quid sibi velit Flatt., qui contendit post *καρδίας* interpunctionis signo distinguendum esse. *στηρίξαι ἀμέμπτ.* praegnans est verborum structio. Phil. III, 21. *ἄμεμπτοι ἐν ἁγιωσύνῃ* arctissime conjungenda sunt. De sensu cf. V, 23. Eph. V, 26. 27. [1]) — *ἔμπροσθεν τ. Θ.* Chrysost. recte interpretatur, ut intelligat *ἀρετὴν εἰλικρινῆ*, Koppius locos confert 2 Cor. VII, 1. ubi le-

1) cf. *ἁγιασμὸς* IV, 3. — Chrysost. de hac voce: *Κυρίως μὲν λέγεται*, inquit, *ἡ ἁγιωσύνη καθ' ἐξοχήν· ἐπειδὴ καὶ ἀκαθαρσία ἡ πορνεία καὶ ἡ μοιχεία, καθολικῶς δὲ πᾶσα ἁμαρτία· καὶ πᾶσα ἀρετὴ καθαρότης.* — Falso Kopp., Wolfii ni fallor auctoritate deceptus, Theodoreto haec verba tribuit.

gitur ἁγιωσύνῃ ἐν φόβῳ Θεοῦ et Col. I, 22. ἁγίους ἐνώπιον τ. Θ., quod periphrasis est, ut ait Estius, verae sanctitatis.

Ἐν τῇ παρουσίᾳ judicium spectat extremum, ut II, 19. Ut probemini et sincero corde esse reperiamini, quum Christus redierit, omnibus sanctis suis stipatus. Quinam vero sint hi *sancti*, et quomodo cum Christo hic conjungantur, a multis quaesitum est. Alii ex usu Hebraici קְדוֹשֵׁי יְהוָה, intimos Dei ministros intelligunt. Dan. IV, 10. 14. 20. VIII, 13. Ps. LXXXIX, 5. 6. Zachar. XIV, 5. Ita Marcus (VIII, 34.), quod Grotius observat, conjungit: μετὰ τῶν ἀγγέλων τῶν ἁγίων. Angelos vero in judicio extremo apparituros facile evincitur e locis 2 Thess. I, 7. Matth. XVI, 27. XXV, 31. Jud. 8. Κύριος ἐν ἁγίαις μυριάσιν αὐτοῦ. In nostro vero loco ἀγγέλων, quod pauci libri adjiciunt, interpretamentum est, textui insertum. Alii Christianos intelligere malunt, a morte resuscitatos, qui obviam ituri sunt Domino redeunti. Sic Flatt. qui Eph. I, 18. 2 Thess. I, 10. confert. Sed de comitatu hic potius, quam de occursu cogitandum esse, voce μετὰ aperte declaratur; quare priori sententiae nostrum nomen adscribere haud dubitamus. — Minime negamus μετὰ posse conjungi cum ἀμέμπτους, quod tamen cum Calvino tanquam contortum rejicimus. — Non plane aspernamur ejusdem observationem, ideo hic sanctos vocari, ut homines commonefiant, se etiam omni studio debere sanctitatem quaerere. — Χριστοῦ, quod in multis iisque optimae notae libris mss. deest, delendum esse videtur.

PARS POSTERIOR.

Admonitiones exhortationesque cum respectu ad Christi reditum prolatae IV. V.

I. Exhortatio ad servandam morum integritatem v. 1 — 12.

Quum Thessalonica urbs esset ad mare sita, eaque magna, hominum frequentia insignis, divitiis mercatura partis affluens; Apostolo, divinam gratiam Christianis ibidem

habitantibus apprecanti, in mentem venit, quibusnam corruptelis maxime obnoxii sint. Et primo quidem hortatur, ut mores ab illicito commercio venereo integros servent (v. 1 — 8.); tum ad testandum beneficiisque comprobandum animum benevolum eumque Christianum. 5 — 12. „Post laudem igitur et consolationem incipit exhortatio," ut ait Pelagius. Cui Ambrosiaster simile quid adjungit: „Quamvis laudet eos in tota epistola, tamen commonet, ne aliqua surreptione ad illicita seducantur, ut incurrant vindictam, quam ultricem malorum didicerunt: scientes hoc Deo placere, si corpora intaminata custodiant; sed et cum fratribus simpliciter agant, ne similes gentibus inventi, adoptionis nomine abdicentur." Sed praeter hanc universalem exhortationis causam facile putarim aliam adesse, eamque ex ipsa Thessalonicensium conditione desumtam. Quid, si spem redituri mox Domini similes errores genuisse accipiamus, minus tamen graves et noxios, quam postea inter anabaptistas Monasterienses, ut nonnulli dissolutiore vivendi genere uti coeperint? Utcunque vero haec res sese habeat, id saltem ex hoc ipso loco videmus, Apostolum necessarium habuisse Thessalonicenses suos a luxurie et avaritia, quae ex ea prodire solet, revocare.

1. Ceterum, incipit, vos rogamus, immo obtestamur, ut, quomodo a nobis de instituenda vita edocti estis, ut Deo probemini, ita agere velitis quotidie in melius mutati. — *Λοιπὸν οὖν* formula est, ut ait Grotius, properantis ad finem, qua saepissime uti solet Ap., ubi ad ultimam epistolae partem transit. 2 Thess. III, 1. Phil. IV, 8. 2 Cor. XIII, 11. Gal. VI, 17. Eph. VI, 10. Chrysost. hanc formulam explicat per *ἀεὶ μὲν καὶ εἰς τὸ διηνεκές*, ut adhibeatur, *ὅταν μέλλῃ πρὸς τὰ διηνεκῆ ἐμβαίνειν*. Theodoret. circumscribendo exponit per; *ἀποχρώντως ὑμῖν τὴν παραίνεσιν*, sufficiente vobis cohortatione mea. In utroque verum quid inest; sed propriam significationem, suo quisque modo, nimis premere videntur; est levis transitio, sicut nostrum: *übrigens*. Recte Zanchius: „Quum haec ita se habeant, nunc restat, ut vos rogem." — *τὸ* a plerisque praestantissimis codd. abest eque locis parallelis facile poterat huc illatum esse.

Ἐρωτῶμεν, rogamus. V, 12. Phil. IV, 2. 2 Thess. II, 1. Joh. XIV, 16. Act. III, 3. XXIII, 20. Grot. ad Matth. XV, 23. in hoc usu Latinismum putat inesse. In

nullo

nullo certe auctore Graeco, quod sciam, precandi significationem hoc verbum obtinet, quae potius ex usu Hebraico repetenda esse videtur, ubi שָׁאַל ei plane respondet et ab Alex. versione saepius hoc sensu per ἐρωτάω aut per αἰτέω redditur. Jud. IV, 20. XIII, 6. 18. Ps. CXXII, 6. — — In eo vero non acquiescit Ap., ut ipse suo nomine Thessal. adhortetur; Christum adhibet, eosque per illum obtestatur, summa vi id agens, ut gravem regni divini causam augeat et promoveat (ἵνα περισσεύητε μᾶλλον, ubi omissum est οὕτως). — Nihil hic attinet, quod Kopp. animadvertit, P. saepe suam sententiam a Christi auctoritate distinguere. 1 Cor. VII, 6. 10. 12. 40. Languide enim ἐν κυρίῳ hocce consilio adjectum esset.

Verba πῶς δ. ὑ. κ. τ. λ. objecti hic esse instar, neminem fugit. — Levi transpositione, eaque Romanis solemni, Graecis satis usitata, ordinem esse inversum, facile apparet pro: ἐρωτῶμεν κ. π., ἵνα περισσεύητε, καθὼς κ. τ. λ. [1]). —

Illos igitur exhortatur, ut, quod a se et doctrina et exemplo acceperint [2]), id non solum studiose teneant, sed etiam magis magisque in eodem expetendo proficiant. — περιπατεῖν καὶ ἀρέσκειν i. e. Θεῷ ἀρεσκόντως περιπατεῖν (הִתְהַלֵּךְ). Alia tamen est Storrii sententia, qui καὶ ante ἀρέσκειν pro ut accipi posse putat, sicut Hebr. ו. — μᾶλλον περισσ. ex eodem augendi studio profectum est, de quo ad II, 7. III. diximus [3]). Syr. Pesch. ܬܬܝܬܪܘܢ ܝܬܝܪܐܝܬ, ut amplius adjiciatis i. e. porro pergatis. Loci sententiam Haymo ita explicat: „Ut magis ac magis crescatis in fide et bonis operibus. Ille enim placet Deo, qui fidem rectam, quam habet, executione virtutum decorat, ut ille bene abundat, qui crescente aetate fidei in se,

---

1) Wineri Gr. p. 215 et 135 not.

2) Chrys. Τὸ παρελάβετε οὐχὶ ῥήματί ἐστι μόνον, ἀλλὰ καὶ πραγμάτων.

3) ἵνα περισσ. a Chrys. ita explicatur: Ἵνα ἐκ πλείονος περιουσίας μὴ μέχρι τῶν ἐντολῶν ἵστασθε, ἀλλ᾽ ἵνα καὶ ὑπερβαίνητε. — — καθάπερ γὰρ τὴν γῆν οὐ τὰ καταβληθέντα δεῖ φέρειν μόνον, οὕτω καὶ τὴν ψυχήν. οὐ μέχρις ἐκείνων ἵστασθαι τῶν καταβληθέντων, ἀλλὰ καὶ ὑπερβαίνειν. — Theophylactus jam multoque apertius Lombardus et Thomas Aq. haec ad consilia trahunt evangelica et opera supererogationis, quibus haud pauci Romanae ecclesiae interpretes adstipulantur; hic vero de mandato divino, deque strictis officiis (δεῖ) agi, quis tam coecus, ut non videat, nisi praeconceptis opinionibus fuerit praepeditus?

studet etiam abundare in sanctis operibus et in studio virtutum.

Omnes interpretes Latini, versiones quaedam paucique codd. ap. Mill. et Wetst. adjiciunt verba *καθὼς καὶ ποιεῖτε*, quae ex glossemate aperte profecta sunt. „Quum profectum urget, ait Calvinus, innuit jam eos in via esse." —

2. In memoriam illis revocat praecepta, a se quondam illis data. — *διὰ κυρίου* i. e. ipsius Domini auctoritate sancita. Vatablus de suis adjicit: *loquente in nobis Spiritu Christi.* Grot. supplet *παραλαμβανομένας*. At vero *διὰ* idem est quod v. 1. *ἐν Χ.* *Turretin.*: non propria nostra placita, sed Christi tradentes. — *Παραγγελίαι*, מִצְוֹת, Act. V, 28. XVI, 23. 24 1 Tim. I, 5. 18. Ita ubicunque in N. T. legitur, praeceptum significat sive mandatum. Eodem modo a Graecis scriptoribus haud raro adhibetur, et maxime quidem ad designanda morum praecepta a philosophis illa quidem constituta. Diod. Sic. XV, 10. — Michaelis eandem significationem nostro loco putat ita obtinere, ut de regulis cogitemus vitae nostrae moderandae constitutis. Quod melius cum iis, quae sequuntur, quam cum hujus vocis usu, qualis praeterea in N. T. obtinet, convenire videtur. Melius tamen v. 3. primo conjungi videtur, secundus ut interpositam contineat sententiam, particulaeque *γὰρ* affirmandi tribuas vim (nostrum: *ja*). Quare est potius evangelii praedicatio intelligenda, in qua singula praecepta, semine quasi inclusa latitant.

3. Jam vero horum praeceptorum primae lineae describuntur, quorum argumentum est *ἁγιασμός* (III, 13.), qui proprie quidem significat segregationem a mundo sanctioris cujusdam consilii causa; tum vero sanctitatem sive morum puritatem et integritatem. Ita Oecum. *τοῦτο ἀληθῶς ἁγιασμὸς τὸ παντὸς ῥύπου καθαρὸν εἶναι.* Et primo quidem immunitatem a spurcis libidinibus innui [1]), quibus vel maxime homini regni divini aditus praecluditur, (Rom. VI, 19. 22.) sequentia docent. — Sanctificatio enim, ut ait Bengel., complectitur maxime castitatem. 1 Cor. I, 30. Qui loquendi usus non ab Hebraeis de-

1) Chrysost. allato loco Ebr. XII, 14. respectu tamen ad singula vitia non habito, de scortatione ita verba facit: *Ὄντως γὰρ πᾶσι τοῦτο λυμαίνεται τὸ κακόν· καὶ καθάπερ χειρὸς βορβόρου πεπληρωμένος, οὗ ἂν εἰςέλθῃ, δυςωδίας ἐνέπλησεν ἅπαντα καὶ τὰς αἰσθήσεις ἐπλήρωσε κύπρου, οὕτω καὶ ἡ πορνεία.*

mum repetendus, quibus tamen solemnis omnino est (Schoettg. Hor. p. 825—28.). — Recte articulus subjecti habetur nota; *τοῦτο* enim, nisi quod sententiae augeat vim, hic fere redundat. Syr. Pesch. ܗܢܘ ܓܝܪ ܨܒܝܢܗ ܕܐܠܗܐ ܩܕܝܫܘܬܟܘܢ, quod tam accurate huic periodo respondet, ut Syriasmum Graecis verbis inesse putare possis. *ἀπέχεσθαι* non pro imperativo positum, sed fere substantivi locum obtinet, ut appositum sit vocis *ἁγιασμός* [1]. Simili modo v. 4. et 5. antecedentibus annectendi, a quibus v. demum 6. separandus est, quem ex apposito articulo cum nomine *ἁγιασμὸς* eodem ordine ponendum esse, conjicere licet.

Syr., Chrys., Theodoret. et Theophyl. cum tribus libris ante *πορνείας* adjiciunt *πάσης*, quae vox quum in contextum minime recipienda sit, tamen, sicut glossema esse non dubitamus, sensui accommodata est; non enim de sola fornicatione, sed de omni libidinum genere intelligenda. 1 Cor. VII, 2. Etiam corpus, quod recte observat Flattius, sit instrumenti loco ad promovenda sancta Dei consilia. 1 Cor. VI, 14. sq. — Stupra et venerea consuetudo a Graecis, nisi matrimonii leges iisdem violarentur, *ἀδιάφορα* [2] habebantur. Recte igitur Bengelius admonet, tantos tamen Christianos de hac re fuisse monendos, quia gentiles non horruissent stupra. B. Michaelis *πορνείαν* hic putat intelligi de omni in universum animi impuritate, cui tamen sententiae parum favent, quae sequuntur. cf. Matth. XIX, 9. Gal. V, 19. [3].

4. Ad sanctitatem enim hoc referri videmus, ut corpus suum quisque purum servet atque honestum. Hic autem locus vexatissimus est propter incertam et ancipitem vocis *σκεῦος* significationem, in qua explicanda in duas maxime partes abeunt interpretes: alii enim uxorem, alii proprium corpus intelligunt. 1) Qui de uxore hic cogitandum esse putant, ii quidem in memoriam revocant 1 Petr. III, 7. ubi *σκεῦος γυναικεῖον* invenitur pro *γυνή*; hujus vero loci longe alia est ratio, quum *σκεῦος* non

---

1) Berger. pract. Einleitung B. III. p. 364. *Das ist der Wille Gottes, wodurch ihr euch als Menschen, die sich ihm geheiligt haben, auszeichnen sollt, daſs ihr u. s. w.*

2) Grot. ad Act. XV, 20.

3) Hieron. hunc locum interpretatus est, subjuncta brevi expositione, in Comm. Ep. ad Eph. Lib. II ad IV, 17.

adhibeatur nisi ipsi rei circumscribendae [1]). — Alii ad morem populorum orientalium provocant, ex quo uxor fere suppellectilis instar habetur; eumque vocis usum ab Ebraeis haud fuisse alienum, e Rabbinorum veterumque interpretum locis Schöttgenius (p. 827) aliique probant. Ex locis, qui ab eo describuntur, gravissimus ille est e Megilla libri Esther petitus ad I, 11. „In convivio — — aliqui dicebant: mulieres Medicae sunt pulchriores, alii vero Persicae. Dixit Ahasverus: *Vas* meum, quo ego utor (כלי שאני משתמש בו) neque medicum, neque Persicum est, sed Chaldaicum.“ cf. Sohar fol. 38. col. 152. — Ita si constituerimus hujus vocis sensum, haud dissimilis erit locus ab illo 1 Cor. VII, 2. Ita cum plerisque patribus Chrysost. [2]) et Augustinus: „non solum igitur conjugatus fidelis, ait hic, vase non utatur alieno, quod faciunt, a quibus uxores alienae appetuntur, sed nec ipsum proprium in concupiscentiae carnalis morbo possidendum sciat [3]).“ Quibus Lombardus ac Thomas accedunt, multique recentiores, ut Kopp.; cui interpretationi Theodoretus, quem Oecumen., Theophyl., alii sequuntur, 2) alteram diserte opponit interpretationem. *ἐγὼ δέ*, inquit, *νομίζω τὸ ἑκάστου σῶμα οὕτως αὐτὸν κεκληκέναι* [4]). Quem, praeeuntibus etiam latinis interpretibus Tertulliano, Ambrosiastro, Pelagio, ex recentioribus plerique secuti sunt (Lutherus, Calv., Beza, Grot., Calixt., Cler., Beng., Deldett., Schott., Flatt., alii). In qua re praeter locos e Philone allatos recte comparant Barnabae Epist., qui Christi corpus *σκεῦος τοῦ πνεύματος* vocat; ita Polybius haud raro *σκεῦος ὑπηρετικὸν* pro servo. Eadem imagine usus est Cicero in Quaest. Tusc. I, 22.: „Corpus est quasi quoddam vas et receptaculum animi.“ — Neque

---

1) Simili modo *σκεῦος* pro corpore apud Ael. V. H. XVII, 11. Philo haud raro habet *ἀγγεῖον τῆς ψυχῆς*, cujus rei Locsnerus exempla affert *de migr. Abrah.* p. 418. e. *ὁ τοῖς αγγείοις τῆς ψυχῆς, σώματι καὶ αἰσθήσει διατρίβων.* *Quod deter. pot. insidietur.* p. 186. a. *τὸ τῆς ψυχῆς ἀγγεῖον τὸ σῶμα.* cf. *Kuinoel.* Obss. ex Apocryph. V. T. p. 144.

2) *Καὶ γὰρ ἑκάστῳ ὁ Θεὸς ἀπένειμε γυναῖκα καὶ ὅρους ἔθηκε τῇ φύσει, τὴν μῖξιν ἐκείνην τὴν πρὸς τὴν μίαν, ὥστε ἡ πρὸς τὴν ἑτέραν παράβασίς ἐστι καὶ λῃστεία καὶ πλεονεξία.* — Oecum. *Τινὲς τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος τὴν ὁμόζυγα ἡρμήνευσαν*, quae verba ex Theodoreto petita sunt.

3) Contr. Julian. IV, 11. cf. V, 9. De nupt. et conc. I, 8. contra 2 Pelag. Ep. III. Sermo CCLXXIX. T. V. p. 1126. f.

4) Schol. ap. Matth. *τὸ οἰκεῖον σῶμα.*

plane dissimilia sunt N. T. loca, ubi Paulus vocatur σκεῦος τῆς ἐκλογῆς Act. IX, 15. (cf. 2 Cor. IV, 7. et Rom. IX, 22. 23.) quamquam recte dixeris, in his locis eam vocem instrumenti retinere propriam significationem. Melius confertur Psalm. XXX, 10., ubi dicitur ἐγενήθην ὡς σκεῦος ἀπολωλός, quod Lex. Cyrill. Ms. Brem. explicat ἄνθρωπος θνητός. Chald. מָאן. Ita hic quoque: *quisque corpus suum, quod animi est instrumentum, castum et sanctum habeat.* Quod sensu haud differt a locis 1 Cor. VI, 18. Rom. I, 24. Cui sententiae accedere nos quoque non dubitamus, quamquam apposite Koppius moneat, σκεῦος et כְּלִי non quidem per se, sed adjecto tamen mariti nomine sive significatione, quae latere poterat in pronominibus ἕκαστος ἑαυτοῦ, omnino *posse uxorem significare*, quum solum genitivum, nisi accedat orationis series idem innuens, non putemus satis tueri illam insolentiorem saltem explicationem. Quod habet Syrus ܠܡܩܢܐ ܦܓܪܗ, quamquam ad verbum translatum sit, tamen indicare videtur, hujus versionis auctorem corpus intellexisse, quum haec vox de quovis supellectilis genere, ut de vestibus etc. adhiberi soleat. — Falso afferunt ad tuendam hanc sententiam locum 1 Sam. XXI, 6., ubi כְּלִי a nonnullis falso pro corpore positum esse putatur. Quod vero Wetstenius addit, verbo κτᾶσθαι eam satis reddi probabilem, quum κτᾶσθαι γυναῖκα solemnis sit formula, Ruth. IV, 10. Sirac. XXXVI, 24. Xenoph. Conv. I, 2., ubi Socrates de Xanthippa uxore ταύτην κέκτημαι: id primo quidem aspectu aliquid habet speciosi; at vero si accuratius rem perpenderimus, confitendum erit, κτᾶσθαι saepe in universum pro possidēre et possidēre usurpari (Luc. XXI, 19.), quo sensu Hesych. explicat per ἔχειν [1]). „Qui sese affectibus carnalibus dedunt," ait hoc sensu Turretinus, „non possident corpus suum, non sunt ejus Domini, sed sunt ejus servi." Is igitur τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι dicitur, qui corporis sui est compos, ut ipsius obtemperet voluntati [2]). — Maxime

---

1) „Qui comparavit, is tenet." Bauer. Philol. Thuc. Paul. p. 225.

2) Maji (Obss. sacr. III. p. 75.), Schomeri, Erasmi Schmidii, aliorum sententia, voce σκεῦος eam corporis partem notari, quae honeste nominari nequeat, vix quae retundatur digna esse videtur. cf. Turneb. Advers. XXIV, 8. — Andreae vero Schottii sententia (ap. Wolf. in Cur.) in Adag. sacris p. 133. haud sine artificio statuit, ut corpus in-

vero adjecta hic urgenda sunt, quae praedicatum circumscribunt, ut κτᾶσθαι verbi fere auxiliaris vices agat, et explicemus κτ. ἐν ἁγ. καὶ τιμ. per ἁγιάζειν et τιμᾷν, caste et honeste illo uti, ut ad verbum Latine reddi possunt. — Vocibus καὶ τιμῇ contrarium est, quod legitur Rom. I, 26. πάθη ἀτιμίας, et quod mox sequitur πάθη ἐπιθυμίας.

Jam facile perspicimus Bengelii observationem οἶδα non modo scientiam, sed etiam animi facultatem denotare, a re hic non esse alienam. Ita εἰδέναι etiam Phil. IV, 12. Matth. XXVII, 65. 2 Petr. II, 9. et; a quo usu Graecorum purior sermo non plane abhorret. Ael. V. H. II, 20. 27.

5. Huic honesto pudori opponitur πάθος ἐπιθυμίας, quod cupiditatem innuit vehementissimam, ut in morbum quasi abeat; quo sensu Zegerus: „non in morbo, ait, seu affectu turpium cupiditatum et libidinum [1]).“ Tamen non premenda est morbi significatio in voce πάθος, cujus apud Graecos solemnis est usus, ad designandas omnes animi affectiones (Col. III, 5. Rom. I, 26.), ut habet Cicero in Tuscul. III, 4, 7. hanc ejus explicationem: „Formidines, *libidines*, iracundiae, quae Graeci πάθη appellant.“ Eo sensu ἀπάθειαν in sapiente requirebant Stoici, ut neque dolore, neque cupiditatibus afficeretur. De hujus πάθους speciebus cf. Gal. V, 20.

Subit mirari, quod Koppio placuerit, haec verba non cum κτᾶσθαι, sed cum ἕκαστος conjungere, ut ὄντα omissum esse putetur, quum tamen multo sit facilius, dativos istos, adverbiorum, verbum accuratius definientium, vice acceptos, verbo κτᾶσθαι annectere, quod, nisi ita statuerimus, nude nimis et dissolute quasi positum, accuratiore definitione, sane videtur indigere.

Paulum dicere: sicut gentes (gentiles) Deum non colentes (id enim includit εἰδότα I, 8.), qui scilicet in tenebris versantur, nemo profecto mirabitur, qui apud Tacitum vel Suetonium Claudiani et Neroniani temporis inspexerit narrationes. Quamque horrenda sunt, quae in Horatii Satiris, Petronii, quem elegantiarum arbitrum di-

---

telligas, Sp. S. quasi vas, quod, quum per se verum sit, tamen ab hoc loco alienum est. —

1) Fere ut nostrum *Leidenschaft*. Deld.: *nicht in Wollust und Begierden*.

gere dignati sunt, libris leguntur, quae Juvenalis fulminibus impetuntur? Quid? apud Graecos nonne habemus omnium instar Lucianum, centum quidem annis post Paulum florentem, sed eadem, quae illi, vitia et oculis nostris depingentem et castigantem? Sane non opus est, ut de singulis vel hilum quidem afferamus. Unde ad Tzschirneri potius librum posthumum, nuper editum, sed eundem (proh dolor!) imperfectum, lectorem rejicimus [1]. cf. Eph. IV, 17. sq. — Grotius bene „ignorant, inquit, Deum, qui voluntatem ipsius ignorant."

Καθάπερ καὶ — quibus ita similes evadunt v. 13.; minus recte Bauerus in philologia Thuc. Paulina (p. 209.) vocem καὶ plane putat redundare. Inest urbanum quid.

6. Difficillima est quaestio de hujus versus nexu cum praecedentibus; quem quidem duplici modo constituere grammaticae rationes permittunt; possunt enim verba τὸ μὴ ὑπερβ. κ. τ. λ. vel ab εἰδέναι pendere, vel a θέλημα τοῦ θεοῦ (sive, quo non mutatur sententia, a verbis ἁγιασμὸς ὑμῶν). Posterior ratio, quum simplicior sit eoque nomine praeferenda esse videatur, illa tamen premitur difficultate, quod ex lege aequalitatis membrorum articulus abesse deberet: quare priori tamen palmam censemus deferendam esse. S. V. Winerus [2]) quidem dicit, τὸ hic pro ὥστε poni, in quo tamen nolim doctissimi viri accedere sententiae, quum articulus potius infinitivum, hic substantivi instar habendum esse ostendere videatur.

Sed de sensu constituendo multo magis interpretes in diversas abeunt partes. Hunc versum qui per se spectaverit, vix arbitror fore, ut de alio peccato eum intelligat, quam de avaritia, de qua πλεονεκτεῖν sexcenties usurpatur, quum Eustathio teste ὑπερβαίνειν significet τὸ καθ' ὑπερβολὴν ἁρπάξαι τοῦ δέοντος, עָבַר et הִתְעַבֵּר Prov. XX, 22, Symm., Aquil., Theodot. — Ita Grotius, cui tamen pauci interpretes, quos inter Koppius et Flattius adstipulantur, ut potius fere omnes in altera sententia conjurasse videantur, quam nexus quidem necessario

---

1) Der Fall des Heidenthums, von Dr. H. G. Tzschirner, herausgegeben von M. C. W. Niedner. Leipz. 1829. Vol. I. p. 26 sq. aliisque locis.

2) Gramm. I. p. 215. ad p. 135. ubi locum confert, Phil. I, 29. non minus, ex mea saltem sententia, huc referendum.

non requirit, attamen quam maxime commendat. Etenim ἁγιασμὸς et ἀκαθαρσία non de sola a libidinibus immunitate et immunditie eidem opposita usurpantur, sed etiam de quovis alio pravitatis genere. Quamquam nemo facile negabit, plane inexspectato hic injectam esse avaritiae mentionem, parumque verisimile videri ἁγιασμὸς alium hic obtinere sensum, atque versu tertio. — Acquiescendum tamen nobis esset in hac sententia, novumque praeceptum hic tradi coeptum esset statuendum, si singula verba illam non admitterent explicationem. — In quo dijudicando minime quidem negamus ὑπερβαίνειν in re venerea singulari quodam sensu adhiberi; sed γυναῖκα ὑπερβαίνειν, similia, Koppius plane diversa esse recte judicat: nemo praeterea contendet, huic verbo non peccandi in universum inesse significationem [1]); sed hic legimus ὑπερβ. τὸν ἀδελφόν, quod non potest significare nisi circumvenire sive fallere fratrem. — Magis etiam illi de libidine explicationi contrarium est alterum verbum πλεονεκτεῖν, quo plus habendi (πλέον ἔχειν) acquirendique indicatur studium, quodque plerumque illicitam designat lucri cupiditatem. Adjecta vero accusativo casu persona is indicatur, cui sua per nefas auferuntur (2 Cor. VII, 2. XII, 17. 18.), qui usus haud ita rarus est in vers. Alexandrina (pro בצע Ezech. XXII, 27.) et apud auctores Graecos [2]). Quum igitur πλεονεκτεῖν alias semper, non in N. quidem T., ubi tamen substantivum πλεονεξία hoc sensu occurrit (Eph. IV, 19.), sed apud alios auctores semper fraudis alicui inferendae obtineat significationem, sicut πλεονέκτης Cypriano est *defraudator*, quumque hujus loci ratione non prohibeamur a retinenda vulgari vocis significatione, non possumus, quin Koppii accedamus sententiae, deque maleficio hic cogitemus in alium perpetrato. — Ad quod accuratius definiendum additur ἐν τῷ πράγματι, quod Grotius non tamen sine haesitatione quadam de *mercatura* intelligit, quae alias haud raro πραγματεία dicitur; idem monet satis generalem negotii significationem solere proprio usu ad mercaturam applicari. — Koppio μὴ ἐν τῷ πράγματι idem est, quod ἐν μηδενὶ πράγματι, quod haud scio, an per grammati-

---

1) Eurip. Alcest. 1077. μὴ ὑπέρβαιν', ἀλλ' ἐναισίμως φέρε.

2) cf. Kypk. ad h. l. qui quaedam affert loca.

cas accipere liceat rationes. Idem in Flattium cadit, qui ad Storrii provocans Observv. (p. 125.) et ad Fischeri animadverss. ad gramm. gr. (Spec. I, p. 326.), quibus locis evincat, articulum definitum nonnunquam pro indefinito adhiberi, sive ita, ut ab eo, qui convertere velit in vernaculi sermonis verba plane possit omitti: quae observatio, quum per se vera sit, tamen a viro doct. male videtur intellecta esse, quum putare videatur, id ubique fieri posse; non tamen apud nomen indefinitum, quale est πρᾶγμα, aliquis hoc tulerit (Matth. XIII, 2. τὸ πλοῖον, navis illa, quae scilicet prope aderat; 2 Cor. XI, 4. ὁ ἐρχόμενος, Paulus animi oculis illum venturum jam quasi conspicit. Rom. XVI, 2. plane huc non pertinet). — Praestat saltem Grotii conjectura, quae a Vatero exploditur, sed a Rittershusio, Lysero et Koppio probatur, pro τῷ esse τῳ i. e. τινι scribendum statuentis. Vatero enim, qui dicit hanc encliticam semper sequi, nunquam vero antecedere substantivum; plura opponi possunt exempla encliticarum nomen suum praecedentium [1]. — Hic tamen articulum omnium aptissime retineri putarim, ut Syr. habet ܗ̇ܘ. Ut vero lectori hoc probemus, universae sententiae ratio constituenda esse videtur, qualem nos quidem perhibemus.

Concessimus quidem, verba ὑπερβαίνειν et πλεονεκτεῖν de circumveniendis fallendisque fratribus saepe esse usurpata. Nihilo tamen minus id nos non prohibet, quo minus plerorumque patrum recentiorumque simul sequamur sententiam. Huic enim cogitationum seriem multo magis respondere, quis est, qui non concedat? Praeterea antiquissimi illi interpretes, qui vigente adhuc sermone Graeco commentarios composuerunt, certe non omnes, uno Origine excepto, in eandem concessissent sententiam, Chrysost. cum Theodoreto, Oecum., Theophylo, nec non Joannes Damascenus [2]), quibus Hieronymus in Graecia

---

1) Eurip. Androm. 568. οὔτε τῳ δίκῃ. Matth. gr. Gramm. §. 151. p. 284. Anm. I.

2) Origenes Hom. IV. in Levit. sect. 4. Ruae. II. p. 200. b. de omnimodis negotiis illud intelligere videtur. Chrys. Ἀδελφὸν καλεῖς καὶ πλεονεκτεῖς καὶ ἐν αἷς οὐ χρὴ ἐνταῦθα περὶ μοιχείας φησίν. (Theoph. iisdem plane verbis utitur.) — Theodoret. Πλεονεξίαν τὴν μοιχείαν ἐκάλεσε· τοῦ γὰρ μὴ προσήκοντος ἅπτεται ὁ γάμον διορύττων ἀλλότριον καὶ τὴν ἄλλῳ διαφέρουσαν εὐνὴν ληστεύων. — Damasc. (ed. Le Quien. T. II. p. 219. a.) ὑπερβαίνειν τὰς τοῦ Θεοῦ ἐντολάς. εὐφήμως δὲ σφό-

graece doctus accedit, nisi usus illam interpretationem *permisisset*. Potuissent quidem falsi esse in constituenda interpretationis via; ipsam vero orationis rationi non contrariam esse justus sensus eos debebat edocere. Quid, si *tropice* illa verba *de re venerea* usurpata esse acceperimus? — Hieron. supplendum esse putat apud verbum *ὑπερβαίνειν*: *concessos fines nuptiarum* [1]), neque diverso sensu Theodoretus „avaritiam, ait, et plura habendi cupiditatem hic *vocat* adulterium." — Vatablus autem vocibus *ἐν πράγματι* adjicit: scilicet *venereo*; in confirmando tamen hoc usu ad 2 Cor. VII, 11. minime provocandum esse, Koppio lubenter concedimus. Tamen ex Isaeo aliisque Graecis scriptoribus edocemur *πρᾶγμα* haud ita raro illo sensu usurpari [2]). Poll. Onomast. V, 15. sect. 13. p. 529. Etiam quod Syr. P. habet ܒܗܿܝ ܨܒܘܬܐ recte a Roysenio hoc sensu accipitur.

Universam sententiam Hieronymus hisce verbis complectitur: „Ne quis supergrediatur et circumscribat in negotio fratrem suum, id est, ne suam conjugem derelinquens alterius polluere quaerat uxorem." Subactius Zegerus: „ex superioribus et sequentibus, inquit, liquet, Ap. hic loqui de negotio scortationis, ne quis per fraudem occupet aut usurpet sibi alterius uxorem seu mulierem alienam."

Unum vero restat, ut ostendamus, quo consilio Apost. cum avaritia illicitam libidinem contulerit. Scilicet Thessalonicensibus, utpote genere Graeculis, non tam gravia erant peccata in re venerea perpetrata; hinc odiosiora illa magisque detestanda efficere studet Apostolus, innuendo in illis fraudem simul inesse erga fratres commissam, quos non sine causa hoc potissimum nomine dicit, quo caritatis indicatur vinculum. — Ad eandem rem simili de causa eadem avaritiae transfertur imago 2 Sam.

δρα καὶ ἐπικεκαλυμμένως τὴν μοιχείαν ὠνόμασε, τὴν εἰς ἀδελφὸν ἀδικίαν αὐτὴν εἶναι λέγων. Recentiorum interpretationes quaedam collectae sunt a Wolf. in Cur. p. 366.

1) Hieron. ad Eph. V, 5.

2) Schol. ap. Matth. explicat *ἐν τῷ πρ.* per: *ἐν τῇ πρὸς γυναῖκα τὴν μὴ ἰδίαν μίξει.* Ita *πρᾶγμα* apud Isaeum in Or. de Haered. Cironis ed. Tauchnitz. stereot. p. 101. *ὃς μοιχὸς ληφθεὶς καὶ παθὼν ὅ,τι προσήκει τοὺς τὰ τοιαῦτα ποιοῦντας, οὐχ ὡς ἀπαλλάττεται τοῦ πράγματος, ὡς οἱ συνειδότες καταμαρτυροῦσι.* Const. Apost. III, 2. Symmach. 3 Esdr. III, 8. —

XII, 1 — 6., ubi Nathan propheta fabulam narrat de divite, qui pauperem solo orbavit, qui illi fuerat, agno.

Jam si vulgatam sequare lectionem τῷ, quae omnino praestare videtur, si usum spectamus, qualis praeterea in N. T. obtinet, articulus ad ea aperte respicit, quae in praecedentibus exposita fuerant, ut ne quaerendum quidem sit, utrum πρᾶγμα ad rem veneream per se possit applicari, quum illud quasi δεικτικῶς antecedentium respectu habito fieri posse, nemo, arbitror, infitias iverit. — Calvinus tamen, cujus Kopp. premit vestigia, huic interpretationi id quoque obvertit, quod additum sit, Deum esse *horum omnium* vindicem, quare unum tantum non possit praecedere. At vero plura impuritatis genera iis, quae supra proposita fuerant, contineri, sponte patet.

Verba διότι κ. τ. λ. adduntur, quibus exprimatur cogitatio Deum istorum omnium esse vindicem. ἔκδικος Rom. XII, 19. XIII, 4. Alex. pro מתנקם Psalm. VIII, 3. Grotius dicti illius meminit: ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα.

Id quidem se saepius jam dixisse illis in memoriam revocat, immo, ut Ciceronianis utamur verbis, *testis gravitate denunciasse*. — διαμαρτύρεσθαι a μαρτυρεῖσθαι (II, 12.) vix differt, nisi forte vox in judiciis Atticis solemni usu consecrata aliquid plus habet gravitatis. Act. VIII, 25. X, 42. aliisque locis simili modo adhibetur. Quod absque dubio *tum* factum est, quum Thessalonicae Paulus praesens iis adesset, non jam antea in hac epistola (Syr. P. [illegible]).

7. „Non enim vocavit nos Deus, ut ait Erasmus, hac lege, ut essemus immundi, siquidem causa et conditio vocationis erat, ut desineremus esse, quod eramus." *Ut fortius adstringat ad ea, quae docet, Dei interponit personam* (Ambrosiaster). Ille est, qui ἐκάλεσεν sc. εἰς βασιλείαν αὐτοῦ. Verbum καλεῖν religionis Christianae, qualis Apostolorum tempore docebatur, est quasi vox τεχνική, cf. Kopp. Exc. ad Gal. I, 6. — ἐπὶ et ἐν conditionem hic exprimunt, quam vocare solent, *sine qua non*, qua sublata, ipsa tollitur res (Eph. II, 10. Erasm.), et habitum, quo esse debemus. Bengelius apposite: ἐπί, ait, *finem*, ἐν *indolem* rei *magis* exprimit. Gal. V, 13. — 1 Cor. VII, 15. Nisi P. utrumque secernere voluisset, non profecto diversis praepositionibus usus fuisset, sed bis potius eandem posuisset; quare Grotio, cui Vaterus calculum adjicit, haud concesserim ἐν et ἐπὶ hic pro εἰς

posita consilium significare [1]). — Haud dissimilis sensus inest locis Eph. I, 4. Tit. II, 4. — ἀκαθαρσία opponitur ἁγιασμῷ et nonnunquam improbitatem significat generis cujuslibet: hic vero de impuris libidinibus maxime cogitandum esse, ipsa orationis series nos edocet, modo recte eam retexerimus.

8. Τοιγαροῦν, atqui, ܡܟܝܠ. Causa latet in ἐκάλεσε v. 7. — Nova hic additur ratio, cur fugienda sit quaevis impuritas. cf. 1 Cor. VI, 19. — ὁ ἀθετῶν, sc. τὴν τοῦ ἁγιασμοῦ κλῆσιν, non, ut Beza vult: τὰς ἐπαγγελίας ταύτας, is Deum spernit, ipsum vocantem [2]), non hominem. — ἀθετεῖν proprie est *seponere*, tum vero negligere et contemptu vel habere vel afficere Gal. II, 21. Luc. X, 16. Respondet hebr. verbo נִאֵץ 1 Sam. II, 17, 19., hic tamen accuratius convenit cum hebr. מָאַס. Alii tamen potius conferendum esse censent מָעַל, ܡܥܠ, praevaricor, perfide ago. 1 Par. II, 7. Dan. IX, 7. ut absolute sit positum, nec quidquam supplendum; quod tamen an grammaticis rationibus satis defendi possit, haud equidem scio. —

Vestrum igitur quicunque vocationem suam spernit fratremque laedit, quem diligere potius debuisset, is sane non hominem contemnit, sed ipsum potius Deum, Sp. S. vobiscum communicantem [3]). Alii ἄνθρωπον ad Paulum referunt, cujus opera Deus illos vocasset, sed tum *με* scribere debuisset, quod perpauci tantum addunt libri; ex

---

1). S. V. Winerus, quae est hujus viri circumspectio, dubitabundus hunc locum contulit ad Gal. I, 6. Paulum plerumque, ubi diversis utitur praepositionibus, non sine emphasi id facere, ejusdem epistolae docet initium. Nonnunquam tamen ἐν pro εἰς poni post Raphel. Wolf. docet, qui e Zosimo affert locum I, p. 640. ἔστειλαν ἐν Ῥώμῃ πρέσβεις, Romam legatos miserunt. Exempla afferuntur a. Gloss. ad Dath. I, p. 454—6.

2) Οὐκ — ἀλλά, vulgo observant, posse *non tam — quam*; *non tantum, sed etiam* significare. Winer Gr. §. 48. 4. p. 176. recte animadvertit, proprie illam significationem nunquam statui posse. „Hier soll gesagt werden, daſs, wo von der göttlichen Lehre die Rede sei, die Persönlichkeit des Apostels ganz verschwinde." Recte; nam semper aliquid significatur, quod in alterius locum ponitur, etiamsi hoc ipsum eo non tollatur.

3) Chrys. οὐκ ἐκεῖνον (τὸν ἀδελφὸν) ἐκδικῶν τιμωρεῖταί φησιν, ἀλλ' ἐπειδὴ εἰς αὐτὸν ὕβρισας· αὐτὸς δὲ ἐκάλεσε· τὸν καλέσαντα ὕβρισας. Quod bene ad eos quoque applicat, quibus cum serva illegitimum sit commercium, hunc quoque Deum esse puniturum, quem peccatis offendisset.

antiquis interpretibus Pelagio [1]) tantum praeeunte; quos tamen Wetsten., Wolf., alii sequuntur, sed illi profecto neque externis, neque internis argumentis satis muniti. Haud tamen negaverim με post ἀϑετῶν facillime suppleri, si in fine ἡμᾶς, non ὑμᾶς legeretur, quod tamen antiquissimi tuentur codices optimaeque versiones; non enim omisisset P. occasionem innuendi Dei spiritum sibi inditum esse, si auctoritatem a Deo sibi commissam hic significare voluisset. — εἰς ὑμᾶς i. e. ὑμῖν, לָכֶם cf. v. 11.

Si ὑμᾶς cum Koppio, Matthaeio, Vatero, contra Griesbachium, Schottium, alios praeferimus, (quod sane loci suadet ratio externa, quum facile intelligatur, quomodo ὑμᾶς possit in ἡμᾶς mutatum esse, non vero contrarium) de *donis Sp. S. ordinariis* in omnes veros Christianos diffusis cogitandum esse, recte observat Flattius. Nonnulli interpretes, καὶ per transpositionem cum vocibus εἰς ὑ. conjungentes, de extraordinariis donis explicant; rectius tamen cum Bengelio statuimus illo καὶ *novum addi momentum superiori proximo.* — Lectione ἡμᾶς omnis tolleretur quae in hac voce inest difficultas.

Chrysostomus, quem sequitur Theophylactus, ita fere totum locum explicat: primum obsecravit; deinde pudefecit, dicens: sicut gentes; postea a ratione absurditatem commonstravit, *circumventionem dicens rem*; denique etiam terret [2]). Calvinus: „quo melius, ait, a tali contemptu et pervicacia revocet Thessalonicenses, spiritu Dei praeditos esse admonet, quo discernant primum, quid a Deo sit; deinde inter sanctitatem et immunditiam, discrimen, quale oportet, statuant; tertio judicium coelesti auctoritate ferant contra omne inquinamenti genus, quod in ipsorum capita recidet, nisi alieni sint a contagio." — Cum Koppio: „vim illam divini numinis intelligeremus, quam perpetuo *inter docendum* sibi adesse conscius erat Apostolus" si ἡμῶν esset legendum.

1) Non me (spernit), sed eum, qui in me loquitur, Christum, cujus spiritui injuriam facit omnis, qui non sancte versatur.

2) Chrys. *Παρεκάλεσε πρῶτον, ἐνέτρεψεν εἰπών· καϑάπερ καὶ τὰ ἔϑνη. εἶτα ἀπὸ λογισμῶν τὸ ἄτοπον ἔδειξε· τοῦτο δὲ ἦν τὸ πλεονεκτεῖν τὸν ἀδελφόν· ἐπάγει λοιπὸν τὸ κεφάλαιον. διό φησιν· ἔκδικος ὁ κύριος περὶ πάντων τούτων.* Praeterea ad cognoscendos temporum, quibus Chrys. vixit, mores non parvi momenti est, quae adjungitur ab eodem ad parentes exhortatio, ut liberos, *quos castos servare velint*, mature matrimonio obstringant (p. 308 — 10.).

9 — 12. *Sequitur exhortatio ad amorem fraternum, ea vero cum laude conjuncta, quae ita exspectationi reditus Christi annexa est, ut moneat Ap., ne falsis de eadem opinionibus ad negotia negligenter agenda seduci patiantur* [1]).

9. Φιλαδελφία, quam Hilarius *caritatem fraternitatis* dicit, proprie quidem Christianorum significat mutuum amorem cf. Hebr. XIII, 1.; tum vero beneficiorum in eos erogationem (Theodoret.) Gal. VI, 10. — Ethnicos plane hic non esse intelligendos e sequenti versu (ἀλλήλους) satis cognoscitur. (2 Petr. I, 7.) Christiani non minus arcte, atque corporis membra, inter se conjuncti sunt (Eph. IV, 4. videsis exemplum in Act. IV, 32.). — γράφειν nullo modo cum Koppio aliisque interpretibus pro γράφεσθαι positum esse accipimus, quum subjecti commutatio non addito pronomine (με) scriptoribus etiam bene Graecis haud inusitata sit. „Non opus habetis, ut vobis scribam.“ Hebr. V, 12. [2]) — Storr. Obss. p. 413. sq. Vitringa ad Jesajam hic alludi putat, in Comment. ad locum Jes. II, 4., quod tamen non reddit probabile.

Ad sententiam quod attinet, sine causa Pelagius miratur, quanti fuerint Thessalonicensium profectus, quibus tam gravi non jam opus fuisset praecepto. Etenim „etiam quum facere hoc illos laudat, commonet tamen, ut propensius hoc agant,“ ut ait Pseudo-Ambrosius. Quare a vero haud alieni sunt Chrysost. cum Theophylacto, qui monent, haec praeterire illi esse visum, quo gravius de eo hortaretur, quam figuram rhetores transitionem dicere soleant [3]). — Grot. de amore intelligit in singulis exercendo.

Quae sequuntur, ea duplici sensu possunt accipi; vel ita, ut θεοδίδακτοι in universum accipiamus pro θεό-

---

1) Theodoretus non eodem modo haec accipit, quum dicat: *Συνέβαινε τοὺς μὲν φιλοτίμως χορηγεῖν τοῖς δεομένοις τὴν χρείαν, τοὺς δὲ διὰ τὴν τούτων φιλοτιμίαν ἀμελεῖν τῆς ἐργασίας.* Ita vero τοῖς ἔξω non inhonesti apparuissent.

2) cf. S. V. Wineri N. T. Gramm. I. §. 38. 7. not. 1, p. 137. Syris tamen hanc activi et passivi commutationem solemnem esse, satis notum est. V, 1. passivum invenitur, sane magis usitatum.

3) Chrys. *Ἔχρῆν σιωπῆσαι καὶ μηδὲν εἰπεῖν, εἰ μὴ χρεία ἦν. νῦν δὲ τῷ εἰπεῖν· οὐ χρεία ἐστὶν, μεῖζον ἐποίησεν, ἢ καὶ εἶπεν.* Idem mox: *Ἰδοῦ μεθ᾽ ὅσου ἐγκωμίου τὸν Θεὸν αὐτοῖς ἔστησε διδάσκαλον τούτου!*

πνευστοι: *Spiritus Dei vobis inest, docens vos et regens, ita ut non possitis vos invicem non diligere*; vel ita, ut proprio sensu accipiamus: *a Deo ipso edocti estis, quomodo vos invicem debeatis diligere.* — Si prius acceperimus, extrema verba pro mera habebimus ex antecedentibus consequentia. Haec scilicet est libertatis Christianae conditio, ut sine lege bona quaevis e divino, qui ipsis inhabitat, spiritu, sponte procedant. 1 Joh. II, 27. — Sin vero posteriorem amplectamur sententiam, *εἰς τὸ κ. τ. λ.* non a tota sententia pendet, sed a solo verbo *διδάσκειν*, quod latet in *θεοδίδακτοι*. Hoc sensu: „permultum, ait Ambrosiast., Deus misertus est nostri, cujus imitatores effecti non immerito adoptatos nos ostendimus a Deo in filios.“ Ita Bergerus (l. l. p. 366.) de praecepto interpretatur a Deo per Christum accepto. Joh. XIII, 34. — Quae sane explicatio et verbis et sensui optime respondet [1]. cf. Usteri l. l. p. 148.

Quum similes formae, ut *αὐτοδίδακτος*, *μητροδίδακτος* cet. eum semper indicent, a quo quis sit edoctus, nunquam objectum, id quod aliquis didicerit, tertia interpretatio: *vos enim de Deo edocti estis*, omnino rejicienda est.

10. Cum ill. Michaelis *αὐτοὶ* initio hujus enunciationis pro *αὐτομαθῶς* sive *καὶ οὕτως* accipiendum esse putamus. Ita Il. VIII, 293. *τί με σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνεις;*

„Docti estis, ita Estius locum exponit, non modo intellectu, ut sciatis; sed etiam affectu, ut faciatis.“ Hinc pergit Apost.: Ita enim vos geritis erga omnes in Macedonia Christianos. Nonnulli hic de largitionibus cogitarunt; quas quidem non penitus exclusas velim, quamquam pauperes fuisse videntur, quum Paulo inter ipsos versanti opus fuisset, manuum laboribus victum quaerere. Quare singulare quoddam, quod universa suadet epistola, meri-

---

1) Clem. Alex. Strom. (II. p. 171. l. 3. Sylburg. 1592.) Ὁ δὲ *Θεὸς ὁ τοῦ παντὸς κόσμου κυριεύων, φησί, δώη καὶ ὑμῖν σοφίαν καὶ σύνεσιν, ἐπιστήμην, γνῶσιν τῶν δικαιωμάτων αὐτοῦ, ὑπομονήν. γίνεσθε οὖν θεοδίδακτοι, ἐκζητοῦντες, τί ζητεῖ ὁ κύριος ἀφ' ὑμῶν.* — Ita *διδακτοὶ Θεοῦ* Joh. VI, 45. (e Jes. LIII, 13.) Theod.: *ἐκ θείας αὐτοῖς προσγεγενῆσθαι χάριτος τὸ κατόρθωμα.* Loca Rabbinorum, in quibus homines dicuntur a Deo edocti esse, collecta leguntur in Schöttg. Hor. Hebr. p. 829. — Syr. Pesch. ܐܢܬܘܢ ܓܝܪ ܡܬܝܠܦܝܢ ܐܢܬܘܢ ܡܢ ܐܠܗܐ ܕܬܪܚܡܘܢ ܚܕ ܠܚܕ

tum iis fuisse videtur in propaganda religione Christiana. — αὐτό; hic ἐκ τοῦ κοινοῦ explicandum, amorem designat.

Exhortatur illos, ut in studio suo non solum intenti esse pergant, sed magis etiam magisque proficiant. — μᾶλλον hic etiam additum est, quo augeatur vis, quae jam per se verbo περισσεύειν inest. Utrumque a Chrysostomo redditur per πλεονάζειν. Pelagius eleganter, haud tamen scio, an recte, adjicit: *ut jam ignotos quoque diligatis.* — Beza: ut magis excellatis i. e. magis in diem hanc exerceatis caritatem. Gal. VI, 9. Perseverantiam in omnibus virtutibus, tum in hac speciatim, a Deo requiri, annotat Turretinus.

11. 12. Horum versuum sensum Koppius bene ita resolvit, ut superioribus arctissime conjungantur: „Ut possitis, inquit, sublevare alios, ipsi vero aliorum liberalitate opus non habeatis, laborando necessaria quaevis vobismetipsis comparate.“ — Vituperantur duo vitia plerumque conjuncta, otiositas et curiositas. Quod monitum illo tempore, quum omnes fere Christiani pauperes essent, vel maxime erat necessarium. —

Φιλοτιμεῖσθαι Wetsten. eleganter dictum putat: „Ambite et expetite non honores et magistratus, quod plerique solent, sed vitam privatam et quietam.“ 1 Tim. II, 2. Sed vereor, ne hoc oppositum loco ipse obtruderit. Melius Georgius Calixtus: „Sancta quidem, ait, aemulatione contendatis quieti esse, remoti scilicet ab ambitione et rerum novarum studio, quibus, qui opes et dignitates captant, ecclesias resque publicas turbare consueverunt.“ — Ipsa vox praeclare illustratur exemplo ex Aeliano desumto (V. H. IX, 39.), quo post Wolfium plerique usi sunt interpretes: ἐφιλοτιμήσατο Ἀλκιβιάδης δῶρα πολλὰ πέμψας τῷ Σωκράτει et rursus Socrates ἐφιλοτιμήσατο μὴ λαβεῖν τὰ πεμφθέντα. Non igitur significat tantum cujusdam rei studium, sed etiam, ut aliquis honorem quaerat in eadem vel tuenda, vel perficienda. Exprimit, ut ait Turretinus, *magnam curam*, quam adhibet ambitio, ut fines suos assequatur (Syr. P. ܐܬܚܦܛܘ) Rom. XV, 20. 2 Cor. V, 9. Kypk. Obss. sacr. II, p. 188. Sensum bene Kopp. exposuit hunc in modum: *Honorem et laudem vestram in eo ponite, ut vitam agatis tranquillam et laboriosam.* 2 Thess. III, 11. 12. [1]) — Ἡσυχάζειν

1) Schol. ap. Matth. ἐργάζεσθαι· πρὸς τὸ μὴ ὑστερεῖσθαι διὰ τὴν τῶν παρόντων ὑμῖν διαρπαγήν.

ζεῖν laboriosam hic designat quietem, itaque opponitur et πολυπραγμοσύνῃ seu περιεργασίᾳ, quae in Graecis a multis vituperatur auctoribus [1]), et otiosae vitae, quod sequentia docent, quibus quisque monetur, ut ea perficiat, quae ipsi incumbant, munus a Deo ipsi injunctum (*seinen Beruf*). *In eo jubentur esse ambitiosi, ambitiosi ne sint.* „Sed non desunt, qui, ut magni videantur et magna quadam auctoritate pollere existimentur, negotiis omnibus, etiam non vocati se ingerunt. Tales videas in domos sese intrudentes, de rebus politicis et ecclesiasticis, etiam quas non intelligunt, audacter pronunciantes," quae sunt Turretini verba.

Quare probe tenendae Christianis binae regulae: prior, ut omni studio perquirant ambitum eorum, quae a Deo sibi sint mandata, atque, donec summa cum diligentia sua peregerint, ad aliena accedere nefas ducant; posterior, ut nihil censeant invitis, nisi cogat officium, externe esse obtrudendum; nihil enim ἔξωθεν in hominem inferri potest. Quod si igitur a Deo jussi sumus eo studere, ut aliorum quoque animos a malo purgemus, pravam eorum voluntatem, quoad ejus fieri possit, flectamus; itaque confidamus fore, ut divino numine res quoque externae in melius mutentur. Primis vero illis temporibus id quoque summa cura vitandum erat, ne quorundam imprudenti rerum novarum studio quid detrimenti pateretur universa ecclesia. Praeterea nihil magis religioni quovis tempore nocuisse videtur, quam si ipsa qualibuscunque consiliis publicis seu, quae vocant, politicis servire quasi coacta fuit.

Quo tamen maxime tendat illud πράσσειν τὰ ἴδια [2]) e sequentibus cognoscimus, quibus jubentur Thessalonicenses suis manibus laborare, non aliorum uti beneficiis, quamquam illi ad ea praestanda parati esse fortassis pos-

---

1) Ita Chrysost. Antiochenos suos multis ejusdem accusat Hom. IX. in nostram ep. initio (p. 332.). Huc non referendam esse eam rerum alienarum curam, quae ex ipso munere procedit, principum, ministrorum ecclesiae, patrum familias ct. non opus est, ut moneamus. (cf. Turretin. p. 96 sq.); nec minus, ubi de salute proximi agatur totis viribus esse contendendum, sat multis confirmatur N. T. locis, idque natura ita animis nostris quasi insculptum est, ut sine illo studio ἀγαθὴν συνείδησιν non possimus servare (1 Tim. I, 19.).

2) Πράττω τὰ ἴδια ex vulgato loquendi more dici, Phrynichus et Thom. M. animadvertunt, Atticosque pro ea formula habere πρ. τἀμαυτοῦ. Multa Wetst. ad h. l. contulit exempla. (Opponuntur ἀλλοτριοεπίσκοποι.)

sint. Illud ἴδια πράττειν explicatur igitur insequentibus ἐργάζεσθαι ταῖς [ἰδίαις] χερσίν. ἰδίαις a multis abest, iisque bonis libris Msc., ut saltem dubium esse videatur. Hic vero non *solos* manuum labores commendari, quis est, quin videat? „Ponit Apostolus synecdochice speciem cum primis (inter illos) obviam et frequentem pro toto genere, quasi dicat: Quam quis novit artem, eam exerceat et functionis suae munia diligenter obeat.“ (Calixt.) Chrysostomus [1]) putat haec verba addita esse, ut excusatio illis dematur, et Theophylactus, ut pudefiant, qui corporale opus tollunt, solum spirituale quaerentes. Eodem sensu Bengelius: „Hoc, inquit, opus erat hominibus dici, qui coeli gustum ceperant; mundo mersi sua sponte laborabunt.“

Καθὼς παρηγγείλαμεν spectat ad tempus, quo P. praesens Thessalonicae affuerat et verbis, ut hic docemur, non minus, quam exemplo (2 Thess. III, 7 — 10.) ad laborem istos exhortatus est.

12. „Justitiae via,“ Ambrosiastri utor verbis, „tenenda est, ut ad misericordiam jure veniatur: ut, qui sunt inferiores substantia (i. e. re familiari), manibus laborent; ut ipsa intentione tollantur a vulgari inquietudine et a prava cogitatione, ut disciplina eorum etiam ab infidelibus laudetur et provocare ad fidem possint.“ — Non enim decet, ut Christianus apud infideles mendicando ipsis sit contemtui, ne in ecclesiam inde cadat opprobrium, quod recte animadvertit Theophylactus [2]).

Εὐσχημόνως, Rom. XIII, 13. contrarium est ἀτάκτως 2 Thess. III, 6. Schol. ap. Matth. μὴ ἀσχημοῦντες ἐν τῷ ἐπαιτεῖν. — οἱ ἔξω supplendum τῆς ἐκκλησίας ὄντες Col. IV, 5. ἐν σοφίᾳ περιπατεῖτε πρὸς τοὺς ἔξω. 1 Cor. V, 12. 13. — μηδενός ne subintelligas πράγματος, sed ἀνθρώπου sive accuratius etiam cum Luthero τῶν ἔξω. — Si posteriorem rationem sequimur, vertendum est: *ne cujusquam ex infidelibus indigeamus ope;* sin vero prius: ne ulla re necessaria destituamur, quod contextui multo minus accommodatum est.

---

1) Ὁρᾷς, πῶς αὐτοῖς πᾶσαν πρόφασιν ἀνεῖλεν;

2) Ita etiam Chrysost.: Εἰ οἱ παρ' ἡμῖν σκανδαλίζονται τούτοις, πολλῷ μᾶλλον οἱ ἔξωθεν, μυρίας εὑρίσκοντες κατηγορίας καὶ λαβάς (ansas), ὅταν ἄνθρωπον ὑγιαίνοντα, καθ' ἑαυτῷ ἀρκέσαι δυνάμενον, ὁρῶσιν ἀπαιτοῦντα καὶ ἑτέρων δεόμενον. — — διὸ καὶ Χριστεμπόρους καλοῦσιν ἡμᾶς. διὰ τοῦτο τὸ ὄνομα βλασφημεῖται τοῦ θεοῦ.

2. De fato mortuorum in reditu Domini exhortationesque huic expositioni annexae.

Ex hoc loco colligi potest, multos inter Thessalonicenses de resurrectione obortos esse errores, ut nonnulli ex iis timerent, ne vel ipsi, vel eorum amici, si ante Domini adventum morerentur, felicitate, utpote solis tum superstitibus promissa, carerent. Qua de causa anxie in tempus illius reditus inquisivisse videntur. Ad utrumque quod attinet, Apostolus, de eorum salute magnopere sollicitus, eos *primum* edocet de felicitatate defunctos manente v. 13 — 18; tum de tempore reditus J. Chr. non investigando. V, 1 — 11.

a. Primo quidem eos hortatur, ne de Christianorum morte velint solliciti esse; nam fore, ut illi resuscitati eadem fruantur beatitudine. Timores tamen et dubitationes, quibus Thessalonicenses agitati erant, ex hoc loco non satis accurate cognoscimus, ut asserere audeam, an non singularis quaedam accesserit superstitiosa opinio. Id saltem inter omnes constat, primos Christianos Domini adventum mox affuturum credere solitos fuisse, memores semper illius dicti hunc diem sicut furem media nocte eos oppressurum [1]).

13. *Οὐ θέλω* (sive ut codices aeque boni habent, quo tamen sensus minime mutatur, *θέλομεν*) *ὑμᾶς ἀγνοεῖν*, e formulis est a Paulo saepius usurpatis, quibus ostendat rem quandam maxime sibi curae esse. 1 Cor. X, 1. Vos admoneamus necesse est de mortuis, ne ignoretis, quaenam eorum futura sit conditio, ut ne lugeatis eorum instar, quibus nulla fulget spes. — In verbo *ἀγνοεῖν* praecipua quaedam inest vis: volo, ut hoc certo sciatis. — *Κεκοιμημένοι* sunt mortui ex notissimo euphemismo, quo Paulus hic non sine causa utitur, ut magis eos commonefaciat de resurrectionis spe (Chrysost., Theodor., Theophyl., Augustin.); cf. Joh. XI, 11. Matth. IX, 24. maxime vero 1 Cor. XV, 6 et 18. ubi additur, quod hic, observante Vatero, ex insequenti versu subintelligendum est: *ἐν Χριστῷ*, non enim hic ab Apostolo intelligi nisi veros

1) De omni hac materia cf. quae diligentissime a Fleckio congesta sunt in *libro de Regno divino*, p. 329 — 428. P. VIII. cf. S. V. Baumgarten-Crusius in bibl. Theol. p. 446. not. *). — Usteri l. l. p. 193.

Christianos morte abreptos, facile quisque videt. „Qui dormit, minime exstinguitur, nec anima ejus prorsus quiescit, sed corpus quiescit tantum a labore, ut evigilans e lecto exsurgat," ait Calovius; vereque somnus, ut est mortis imago, ita vitam simul includit. Nihil nostra refert, hic de antiquorum Graecorum Romanorumque sententia verba facere de Somno, quem mortis habuerint fratrem similibusque unicuique satis notis. Eadem imago haud raro in N. T. obvia. Joh. XI, 11. ubi Wolf. — 1 Cor. XV, 6. 20. ita pro שָׁכַב in V. T. Jes. XLIII, 17. saepius.

Quae sequuntur verba *ἵνα μὴ λυπῆσθε* non ita sunt intelligenda, quasi lugere omnino non liceat, quum potius ipse quoque Christus humanae naturae quondam deploraverit fragilitatem (Joh. XI, 35.); sed ab eo luctu Apostolus hortatur, ut sibi caveant, quo illi opprimuntur, qui spei resurrectionis sunt expertes, inter quos ii quoque referendi sunt, qui non satis certam alunt vitae aeternae spem; quare gentiles ita describuntur. V, 6. Eph. II, 3. IV, 17. Recte igitur Pseudo-Ambros.: „Si resurrectio creditur mortuorum futura, non sunt lugendi, qui cum signo crucis exeunt." Praeclare totam sententiam his verbis declarat Augustinus: (Serm. CLXXIII. Benedict. p. 829. f.) „Non tantum, ait Apostolus: ut *non contristemini*; sed: ut non *sic* contristemini, quemadmodum gentes, quae spem non habent. Necesse est enim, ut contristemini; sed ubi contristaris, consoletur te spes. Quomodo enim non contristaris, ubi corpus, quod vivit ex anima, fit exanime, discedente anima? — Qui ambulabat, jacet; qui loquebatur, tacet; clausi oculi lucem non capiunt; aures nulli voci patescunt: omnia membrorum officia conquieverunt: non est, qui moveat gressus ad ambulandum, manus ad operandum, sensus ad percipiendum!" — *ἐλπίδα* Schol. ap. Matth. adjicit *ἀναστάσεως δηλονότι· — ἐπειδὴ γὰρ τῇ ἀναστάσει ἠπίστουν, ἀλλήλους ἐθρήνουν.*

Καὶ fere ut v. 5.; aliquid tamen differt: hic enim *καθὼς καὶ* unam quasi efficiunt conjunctionem compositam. Posset etiam ex vulgari usu translatum putari pro *ἵνα μὴ καὶ ὑμεῖς λυπῆσθε, καθὼς οἱ λοιποὶ κ. τ. λ.*

14. Haec vero spes Christianorum tantum est. Si enim credimus, Christum mortuum esse atque resurrexisse, tum aeque persuasum nobis est, Deum mortuos (dormientes) per Christum resuscitaturum et secum in coelum abdu-

cturum. Quo fere sensu glossa ordinaria habet (apud Calov.): „Christum mortuum, fideles dormientes dicit, ut magis credant resurrectionem; Christum mortuum appellat, ut, dum audimus, illum mortuum fuisse ac resurrexisse, nos quoque speremus resurrecturos per virtutem divinitatis ejus.“ Idem fere alterum observat scholion apud Matthaeium. — *Εἰ* et *οὕτως* non accurate sibi respondent, ex quo facile intelligitur elliptici quid huic sententiae inesse; et recte quidem Beza, cujus Calixtus premit vestigia, „argumentum Pauli ex duplici hypothesi: altera *Christum resurrexisse; altera a Christo, tanquam capite, omnem virtutem in subjecta membra derivari*“ prodire observat [1]. — Quae quidem sententia ab ea non differt, quam supra exposuimus; tamen unum restat, de quo dubitari possit.

Quaeritur enim, utrum verba *διὰ τοῦ Ἰησοῦ* ad *κοιμηθέντας* trahenda sint, an ad verbum *ἄξει* [2]. *Prius* si fecerimus, *διὰ* aut pro Hebr. בְּ, graeco *ἐν* positum est, ut Apoc. XIV, 13. Rom. IV, 11., in quibus tamen exemplis aliquid desideramus, ut dubitare liceat ita accipi *posse*. Sic Grot., Kopp., Deld., alii; aut cum D. Michaelis in Paraphr. (p. 249.) propriam praepositionis retinemus vim, interpretati: „homines, quorum mors per Christum in somnum abiit.“ 1 Cor. XV, 12. 13.; aut denique, quod quidam Angli interpp. malunt, „sub tempus Christi.“ — Ab horum interpretum partibus Ambrosiaster stare videtur; nam exponit *per Jesum* i. e. sub spe fidei hujus exeuntes. Nescio tamen an non primam potius rationem sequutus fuerit, sicut etiam Theophylactus, qui dicit: „Christum enim habentes in se ipsis dormiunt per Jesum. In hoc ipso jam vult consolari eos per hoc quod ostendat celebrem et gloriosam resurrectionem fidelium, ut non contristentur.“ Sin vero *posteriorem* amplexi fuerimus nexum, praegnans verbi *ἄξει* esset usus, quamquam formula evaderet duriuscula pro: *per Christum eos resusci-*

1) Ita etiam Theodoretus breviter sensum exponit: *Εἰ τοῦ Χριστοῦ ἡ ἀνάστασις πίστεως ἡμῖν ἀξία εἶναι δοκεῖ, πιστεύσωμεν, ὅτι καὶ ἡμεῖς τευξόμεθα τῆς ἀναστάσεως. δι' ἡμᾶς γὰρ τὸ τῆς ἐνανθρωπήσεως ᾠκονομήθη μυστήριον.*

2) Chrys. *Ἢ ὅτι τῇ πίστει τοῦ Ι. κοιμηθέντας, ἢ ὅτι διὰ τ. Ι. ἄξει τοὺς κοιμ. τουτέστι τοὺς πιστούς.* Schol. ap. Matth. *ἢ ὅτι ὁ υἱὸς αἴτιος τῆς ἀναστάσεως, ἢ τοὺς ἐν πίστει τοῦ Ι. κοιμηθέντας ἄξει.* Tum affert v. 16. 17. et 1 Cor. XV, 23. 24.

tabit et secum in coelum elevabit. Hoc, ni fallimur, sensu Pelagius: „Qui caput, ait, suscitavit, et cetera membra se suscitaturum promittit." Quod nexu apprime commendatur. Ita Storr. (Diss. in epp. Paul. min. aliquot loca p. 30. cit. Flatt.): Quum pro certo habeamus, Jesum — rediisse in vitam, hoc, inquam, concesso et probato consequens est, Deum etiam demortuos — — — ducturum esse. — Initio versus εἰ, *siquidem*; incerti nil inest.

Ἄξει σὺν αὐτῷ, non *secum*, sed cum *illo* (filio. Erasm.) abducet, ut sint et maneant apud ipsum. Joh. XIV, 3. Ita Turretinus: ducet, sc. ut ei aggregentur, et ejus gloriae fiant participes [1]). ib. XVII, 24. — ἄξει pro הֶעֱלָה ἄξει ἐκ νεκρῶν dici posse, merum est interpretum commentum.

Resurrectio Christi, quod Flatt. bene observat allatis locis 1 Cor. XV, 12—23. VI, 14. 2 Cor. IV, 14. Rom. VIII, 11. tum confirmat doctrinam et maxime prophetias Christi obsignat; tum aliquem vere mortuum „e sepulcri nocte prodeuntem" nobis ob oculos collocando, nostram quoque resurrectionem a multis dubitationibus eximit. Addit, alios, virtute divina vitae restitutos, hanc vitam terrestrem continuaturos, e sepulcro rediisse; praeter Jesum vero nemo ad vitam morti non obnoxiam resuscitatus est.

15. Spes fore, ut in vita superstites non praevertant in adventu Domini fato jam functos, aut ipsius Dei verbo, aut *ex evangelii sententia,* ut ait Pelagius, confirmatur; aut quod Theophylacto et Calvino prae ceteris arridet, per verbum aliquod Christi, quod in evangeliis non invenitur 2 Cor. XI, 17. XII, 19. — De peculiari quadam revelatione Chrysostomus cum Theodoreto interpretantur. cf. 1 Cor. VII, maxime v. 6. — Lubentissime Pelagio accesserim, locum Matth. XXIV, 31 sq. hic spectatum esse cum Vatero statuens, ex quo hujus sententiae prima saltem lineamenta duci posse videntur [2]). *ἐν λόγῳ*, per, secundum verbum D. בִּדְבַר Eph. IV, 16.

Apostolus, quum dicat *ἡμεῖς οἱ ζῶντες*, omnino, quam-

1) Schol. ap. Matth. *Εἰς τὸ ἐμφανισθῆναι, δηλονότι, τῷ προσώπῳ ἑαυτοῦ. εἰ γὰρ καὶ πάντες ἀνίστανται, ἀλλ' οὐ πάντες εἰς πρόσωπον τοῦ Θεοῦ ἄγονται, ἀλλ' ὅσοι μετὰ πίστεως ὀρθῆς καὶ βίον ἐπεδείξαντο σεμνόν. σὺν αὐτῷ δέ φησι τῷ Ἰησοῦ, ὅτι αὐτὸς καὶ τῆς ἀναστάσεως παραίτιος καὶ τὸ ὀφθῆναι ἡμᾶς τῷ προσώπῳ τοῦ πατρός.*

2) Usteri l. l. p. 192. cf. Flatt. ad 1 Cor. XV, 52. et ad nostrum locum.

quam communicativè ita loquatur, eam tamen oratione sua involvit sententiam, fieri *posse*, ut cum iis, ad quos scribit, ipse viveret judicii extremi tempore; ita ad vigilantiam hos excitat iisque securitatem excutere studet, horam edocens et tempus, quibus judex venturus sit, unumquemque hominum ignorare V, 1. 2. Matth. XXIV, 42. — Hic autem Apostolo id maxime curae est, ut illorum confirmet animos de amicis ante magnam illam diem ipsis morte ereptis. Quare provocantes ad 2 Tim. IV, 7. et maxime quidem ad 2 Thess. II. cum Theodoreto [1]) Apostolum putamus hypothetice locutum esse; quem secutus Turretinus ea verba concise reddit: *si modo ex earum numero simus*, quod suo more fusius reddit Cornelius a Lapide: „Nos, qui vivimus, inquit, id est, quicunque vivent, sive ex nobis, sive e posteris nostris, quorum personam hic induo et subeo.“ De eadem re verbis plane utitur diversis 1 Cor. XV, 51. 52., ubi dormientibus semet includit [2]); ex quo efficitur veram nos secutos esse interpretationem, nisi sine idonea causa P. sibi repugnare statuamus. — *Περιλειπόμενοι* posset intelligi: *si superstites sunt.* (cf. Viger. p. 348. a.) Sed rectius Flatt. pro futuro usurpatum dicit. Baueri phil. Thuc. Paul. p. 109. sq. Storr. Obss. p. 136. Kuinoel Obss. ex Apocryph. p. 151.

Qui sub domini reditum superstites erunt, ii, ut in locis ex epistolis ad Corinth. allatis, sine morte, quamquam mutato corpore, transire putantur in statum gloriae. A Judaeis quoque simile quid creditum est, ut locus te-

---

1) *Τὸ ἡμεῖς οἱ ζῶντες οὐκ ἐπὶ τοῦ ἑαυτοῦ προςώπου τέθεικεν, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῶν κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν καιρὸν περιόντων ἀνθρώπων.* Simili modo jam Chrysost.: *οὐ περὶ ἑαυτοῦ φησίν (οὐ γὰρ ἔμελλεν αὐτὸς μέχρι τῆς ἀναστάσεως μένειν), ἀλλὰ τοὺς πιστοὺς λέγει.* Theophyl. addit: *ἐν γὰρ τῷ ἑαυτοῦ προςώπῳ πάντας τοὺς τότε εὑρεθησομένους ζῶντας δηλοῖ.* Mirum est Methodii commentum *ζῶντες* animos esse censentis, nunquam morientes (apud Oecum.). Schol. ap. Matth. *Λόγου χάριν τὸ ἑαυτοῦ πρόςωπον εἰςάγει.*

2) Id Damascenus jam animadvertit, cujus explicatio quam integram apponamus digna est: *Τοῦτό φησιν, οὐχ ὅτι αὐτὸς ἔμεινε μέχρι τοῦ τῆς ἀναστάσεως καιροῦ, ἀλλ᾽ ἐπειδὴ περὶ ζώντων ἔλεγε, καὶ αὐτὸς δὲ ἔζη. Ταῦτα λέγων, τῇ κοινῇ συνηθείᾳ τοῦ λόγου ἐχρήσατο, τῷ ἡμεῖς οἱ ζῶντες. ὅτι δὲ τοῦτο λέγει, ἐπάγει· οἱ περιλειπόμενοι, ἐπεί, εἰ τοῦτο λέγει, ὅτι ἐμοῦ ζῶντος, πῶς ἀλλαχοῦ λέγει, ὅτι πάντες μὲν ἀναστησόμεθα; εἰ γὰρ ζῶν καταλαμβάνεται, πῶς ἐγείρεται; ἡμεῖς οὖν οἱ ζῶντές, φησι, κατὰ τὸν προαποδεδομένον λόγον.* Hic locus a patribus quam saepissime affertur et explicatur.

statur, a Drusio allatus e Comment. super librum Aboth. LIII, 2.: „Sunt opiniones, quae dicunt aetatem illam, quae praecedat resurrectionem mortuorum, non morituram.“ Quare falsus est Theodoretus, quum dicat, qui mortui jam sint, eos praeventuros, qui vita adhuc fruantur [1]), quum Ap. potius dicat eos *simul* Christo obviam ituros. — *Φθάνειν τινὰ* non qualitatem, sed tempus significat. Sapient. VI, 13. Breviter Zancchius: „Tam cito igitur resurrecturi sunt, et ituri obviam Christo, ut ad hunc occursum praeveniri a viventibus non possint.“ Usteri l. l. p. 205.

Praeterea apposite Bengelius observat: „Sua aetate sic loquentes sancti auxere subsequentium aetatum obligationem exspectandi Domini.“

16. Hoc vero doctrinae caput, quod rationis humanae excedit captum, imaginibus exponitur; praeclare autem Chrysostomus in fine septimae Homiliae, quibus ab eo hae declarantur epistolae, eorum redarguit errores, qui de resurrectione dubitant, quoniam comprehendi intelligique non possit humana mente, cetera naturae miracula in memoriam iis revocans.

Regis igitur triumphum instituentis instar Christus apparebit *ἐν κελεύσματι*, (Peschito, ܒܦܘܩܕܢܐ) quae vox militare signum innuit, quo copiae in pugnam proficisci jubentur. Lutherus: *mit einem Feldgeschrei.* Deldett. *auf die Losung.* Thucyd. II, 92. Dionys. Halic. II, p. 88. *ἀφ' ἑνὸς δὲ κελεύσματος.* Ita de locustarum acie Prov. XXX, 27. [2]). Erasmus, qui observat, Atticos forma *κέλευμα* uti, bene ita hanc vocem explicat: „Non est simplex jussio, sed vox illa, qua nautae seu milites se mutuo adhortantur ad rem strenue gerendam;“ hic tamen prior significatio a ducis bellici jussu repetita praestare videtur, maxime contextui accommodata, si triumphantem potius tibi fingas cum tubarum sonitu e bello redeuntem. Usteri (p. 204.) locos affert huic similes. — *ἐν* i. e. *inter,* dum illud mandatum proclamabitur, quod fiet voce archangeli, canentis tubam Dei; nam *posterius est expli-*

---

1) *Σαλπίσει γὰρ καὶ οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται ἄφθαρτοι καὶ ἡμεῖς ἀλλαγησόμεθα*, et paulo post: *οἱ δὲ παραυτίκα ἀνίστανται καὶ μετὰ τοσαύτης ὀξύτητος, ὡς προφθάσαι τοὺς ἔτι περιόντας.*

2) Multa loca congesta sunt a Munthio Obss. phill. e Diod. Sic. p. 395 — 97.

catio prioris (Calixt.); nec in tuba Dei descendere, ut ait Ambrosiaster, est nomine Dei bellum gerere, sed evocare mortuos e sepulcris, ut ex iis prodeant. 1 Cor. XV, 51. [1]) Joh. V, 28. sqq. Ex Judaeorum sententia primus ex ordinibus angelorum, quorum plures statuebant, non adhiberi solebat nisi ad gravissima negotia perficienda. Quare quum ad vocem principis cujusdam angelorum Dominus venturus esse dicatur, primus regni Messiaminister intelligitur, שַׂר הַגָּדוֹל Dan. XII, 1. Haec omnia poeticis coloribus, sed tam obscure, ut, quid hic conferas, nescire me fatear, in Apocalypseos libro describuntur. Hic de Michaele cum Grotio et Lyrano interpretatur Schleusnerus, collato loco Cant. VIII, 9., quod quum verisimile, tamen parum certum esse videtur [2]).

Sub Dei tuba nonnulli putant hic tonitrua et fulmina aliaque naturae prodigia intelligenda esse; quae tamen sententia nexui minime accommodata est, quum imago regis triumphantis, cui laetabundi obviam eunt, qui ipsius regno subjecti sunt, potius requirere videatur summos hic designari illius regni principes et magistros; etiam in Apocalypsi (c. VIII. IX. saepius) Dei judicis sententiae per angelos tuba instructos declarantur. — Similis tubarum (שׁוֹפָרוֹת) usus in multis V. T. locis, ut Exod. XIX, 16. in promulgandis legibus, Psalm. XLVII, 5. in Dei apparitionibus Jes. XXVII, 13. „Si ad hominis tubam, ait Pelag., terra videtur permoveri, quanto magis ad Dei." — Longe alia est quaestio, utrum ab illis naturae terriculamentis forma, qua angeli describuntur, sit efficta. Quae tamen quaestio, quam minime affirmandam esse ducimus, eo magis est aliena, quod nulli dubitamus, cum Usterio, (p. 202. not.) locuplete sane teste, asserere, Paulum de angelorum daemonumque existentia non dubitasse.

Σάλπιγξ Θεοῦ plerisque interpretibus est tuba longe lateque sonans (Storr. Obs. p. 258.), ut synonymum sit *φωνῆς μεγάλης* Matth. XXIV, 31.; nos vero nulli dubita-

---

1) Ita Theodoret. et melius etiam Schol. ap. Matth. *κελεύει μὲν γὰρ ὁ Κύριος τὸ τὴν γῆν τὰ σώματα ἀναδοῦναι· διαγγέλλει δὲ τὸ δεσποτικὸν τοῦτο κέλευσμα ὁ ἀρχάγγελος· ὑπηρετεῖ δὲ πρὸς τοῦτο ἑκάστη τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων, ἣ δὴ καὶ σάλπιγγα καλεῖ. μηδὲν ἴδιον τολμῶσαν ἠχῆσαι, ἀλλ' ὅπερ ἂν ὁ κοινὸς δεσπότης αὐτῇ ἐμπνεύσῃ.*

2) Chrysost. Christi orationes in memoriam revocat, quum dicat: *ἀρχάγγ. οἶμαι τὸν ἐφεστῶτα εἶναι τοῖς ἀπεσταλμένοις βοῶντα τοῦτο, ὅτι ἑτοίμους ποιεῖτε πάντα· πάρεστι γὰρ ὁ κριτής.*

mus Wineri (Gr. I. p. 99.) sententiam amplecti, qui tubam intelligit Dei jussu sonantem. cf. Apoc. XV, 2. [1]) Vocibus φωνὴ et σάλπιγξ, ut recte Flatt. observat, κέλευσμα accuratius describitur. — Si quaerat aliquis, sub singulis imaginibus quid sit intelligendum, cum Flattio respondemus, modeste exitum exspectandum esse, ut hac de re judicium ferre non liceat. Summa est, Christum, magna gloria ornatum, quondam rediturum, ut mortuos suscitet, viventes mutata eorum natura secum abducat inque suum regnum recipiat. De iis, qui non sunt Christiani, nihil hoc loco definitur.

Inde καὶ οἱ νεκροὶ a Winero [2]) recte a sequentibus commate sejunguntur; non enim opponuntur pagani iique mortui, sed ἡμεῖς οἱ ζῶντες cf. I Cor. XV, 23. Verisimile esse videtur, eos, quia regno Dei alieni sunt, non resurrecturos, nisi in fine dierum, in ultimo Christi adventu, quo judicium habiturus est. (εἰς τὸ τέλος) Pelagius quidem; „terrorem illius diei, inquit, monstrat, quo omnis potestas coeli et elementa movenda sunt, ut nos sciamus, quali conscientia diem Domini exspectemus." Sed rectius dies Domini ab ultimo judicio distinguendus esse videtur.

„Illi autem *primi* resurgent, nempe antequam vel illi, vel alii rapiantur obviam Christo in aëra: ut una cum vivis possint ascendere, non post eos," ut Poli verba afferam. Pelagius, tam velox, inquit, eorum erit resurrectio, quam nostra assumtio.

17. Erasmus de hoc loco judicat, eum totum sic involutum esse, quasi P. noluerit intelligi; nec infitias iri potest unicuique de singulis hic certi quid constituere conanti persaepe aquam haerere. In extrema tamen versus parte: *et ita Domino semper conjuncti erimus* rei cardinem versari eumque in consolatione esse positum pro certo habemus. Quod autem gratius lenimen in morte amicorum, quam hoc? „Illic dulcior vita post requiem! viventibus etsi grata compendia, tamen ingrata (ita recte Erasmus pro ignorata) remedia" (mors), ut habet Ambrosius in libro de fide resurrectionis c. IX.

Quum vero haec princeps sit hujus loci sententia,

---

1) Quum Fleckius dicat l. l. p. 399. Deo eam tribui, facile ita intelligi posset, tanquam singularis quaedam tuba Deo tribueretur praeter istos, quibus ab angelis canitur.

2) Gramm. II. p. 46.

tamen inest aliquid, quod mythicam redoleat allegoriam, quam ita exponit Ambrosiaster: „Resurgentibus igitur primis, qui in Christo mortui sunt, deinde nos, qui vivimus, rapiemur una cum illis bajulis nubibus obviam Christo in aëra, *ut cum Domino omnes veniant ad proelium et quos occiderat, videat vivos* (!); et sic semper cum Domino erimus. Ipso enim raptu mors proveniet et quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur.“ Vix audiri meretur in iis, quae de proelio comminiscitur. Alii de judicio cogitant, medio loco inter coelum et terram habito; quamquam hic ne id quidem aptum esse videtur, quum de victore imago repetita sit ad suos redeunte. cf. Phil. III, 20. 21. *ὑποτάξαι πάντα.* Melius igitur Chrysost. et Theodoret. ἔδειξε τὸ μέγεθος τῆς τιμῆς [1]).

Koppius annotat, *nubes in quibusvis Dei apparitionibus quadrigarum velut triumphalium loco poni* scriptoribus sacris solemne esse. Act. I, 9. 11. εἰς ἀπάντησιν plane ut Hebr. לִקְרַאת, pro ἀπαντήσαντες. Fortasse Phil. III, 11. hic conferri poterit, etiamsi ἀπαντᾷν illic de solemni potius cursu in ludis publicis repetitum esse putaverim. — *Εἰς ἀέρα* regnum, ni fallor, designat terreno hoc rerum ordine sublimius [2]). Joseph. Antiq. VIII, 4 §. 2. preces ἀναπέμπωμεν εἰς τὸν ἀέρα. D'Orville ad Charit. p. 267. (Lips. 361.)

Καὶ οὕτω, et his omnibus ita perfectis; *πάντοτε—ἐσόμεθα*, *in eadem gloria aeternitatis erimus*, ut ait Pelagius, (cf. Jo. XIV, 3. XVII, 24. Rom. VIII, 17.) sive, ut Estius dicit, Christi praesentia Deique visione perpetua frui turi.

---

1) Chrysost. etiam haec habet: *Καὶ γὰρ βασιλέως εἰς πόλιν εἰσελαύνοντος οἱ μὲν ἔντιμοι πρὸς ἀπάντησιν ἐξίασιν· οἱ δὲ κατάδικοι ἔνδον μένουσι τὸν κριτήν.* Hoc posterius non probari posse, sponte ex iis prodit, quae in textu exposuimus.

2) Flatt.: Wohl zugleich ein Wink, dafs die Christen in ein *überirdisches* Reich versetzt werden. Die Thessalonicher dachten sich vielleicht die künftige Offenbarung Christi als die Eröffnung eines *irdischen* Reichs. — Usteri p. 207. „Von einem Leben in einer überirdischen Region, das mit Christi Wiederkunft beginne, ist aufser 1 Thess. IV, 17. nirgends die Rede; sondern im Gegentheile 1 Cor. XV, 23. 51. eher von einer Fortsetzung des Lebens auf dieser Erde, endlich Phil. I, 23. 2 Cor. V, 1. 8. von einem Leben im Himmel unmittelbar nach dem Tode; *was eine fortschreitende Veränderung in der Vorstellung Pauli voraussetzt.*“ Quae tamen plane evanescit Pauli mutatio, si Flattii acceperimus sententiam, regnumque Christi in terris futurum a coelesti illo distinguamus.

18. Ὥστε, propterea (1 Cor. XIV, 40.) hisce argumentis (λόγοις v. 14.) vos invicem reficite. Eximie Augustinus: (Sermo CLXXII. Bened. p. 827. b.) „Mortem, inquit, horret non opinio sed natura. Nec mors homini accideret, nisi ex poena, quam praecesserat culpa. — — Hinc itaque necessè est, ut tristes simus, quando nos moriendo deserunt, quos amamus: quia etsi novimus, eos non in aeternum relinquere nos mansuros, sed aliquantum praecedere secuturos; tamen mors ipsa, quam natura refugit, quum occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum. Ideo non admonuit Apostolus, ut non contristemur; sed *non sicut ceteri, qui spem non habent*. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur: inde infirmitas afficit, hinc fides reficit: inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio.“ Idem (Sermo CLXXIII, p. 830. b.): „Quid mortuum diu plangamus? Quoniam mors amara est? Per illam transivit et dominus.“ Plane ab hoc loco aliena est Theodoreti explicatio, quae per se veram quidem continet sententiam: *Ταῦτα τοίνυν εἰδότες φέρετε γενναίως τοῦ παρόντος αἰῶνος τὰ σκυθρωπά.*

C. V.

b. Eadem sententia continuatur, et primo quidem inanem curiositatem, quae in tempus, quo haec eventura sint, anxie inquirit, vituperatur (v. 1 — 5.), tum vero, ut semper vigilent Thessalonicenses, hortatur Apostolus (v. 6 — 8), ut induti thorace fidei et caritatis, et galea spei, fiduciam semper in Deo collocare et se invicem aedificare pergant, 9 — 11.

De temporibus autem et spatiis temporum (Tertull.) non opus mihi est, ut vobis scribam; sperat scilicet Apostolus fore, ut, quum obiter modo de hac re illis notissima commonefacti fuerint, a curiosis quaestionibus in posterum abstineant. Inest itaque praeteritionis figura, quae non adhiberi solet, nisi in rebus certissimis extraque omnem dubitationem positis. Quapropter cum Beza miramur „quum tam expresse haec scripta sint, et ante etiam a Christo ipso pronunciata, repertos tamen semper aliquos fuisse, qui in hoc inquirendo arcano et sese et

alios fatigarent." cf. Matth. XXIV, 36. 43. 2 Pet. III, 10. Apocal. XVI, 15. (ubi eadem cum fure noctu irrumpente legitur comparatio.)

χρόνοι et *καιροὶ* ita distinguendi, ut hi sint illorum partes; quare non satis accurate verborum significationi respondet Grotii explicatio: „*χρόνοι* sunt majora temporum spatia, ut anni; *καιροί* minora, ut menses et dies." Utrumque enim non distinctum temporis spatium designat, sed alterum ab altero ejusque sensu pendet (sunt notiones, quae vocantur, relativae); vernacule dixerim: *Zeit und Stunde.* — Act. I, 7. et. Proprie *χρόνος* tempus est in universum spectatum, *καιρὸς* certum quoddam et distinctum tempus, indeque opportunitas [1]). Jejunior tamen est Koppii interpretatio: *Ad tempus ipsum quod attinet.* Vertas potius: *de ipsa vero temporis momento constituendo.*

Falso verba: *οὐ χρείαν ἔχετε ὑμῖν γράφεσθαι* (*χράφειν* IV, 9.) ita exponit Estius: „Opus erat ad confirmandam fidem et spem vestram, *rem* significare, non item *tempora.*" Nec praestat Bengelii explicatio dicentis: „Qui vigilant, his non opus est dici, quando futura sit hora; nam semper parati sunt." Sensus potius est, quod e versu secundo facile colligas: *non opus est vobis scribi, quum sciatis, neminem horam definire posse, vos itaque semper debere paratos esse* [2]).

2. Ipsi enim certo (*gar wohl*) compertum habetis diem Domini tam cito venturam, quam fur, noctu, tempore itaque plane inopinato, domum direpturus. *ἀκριβῶς*, proprie *accurate*, ex satis levi notionum permutatione ad id quoque trahitur, quod *certum* extraque dubitationem positum est.

Dies Domini non cum Lyrano de die mortis uniuscujusque explicanda est, neque cum Theophyl. [3]) de com-

---

1) Hippocrat. Praecept. (apud Wolf.): *χρόνος ἐστὶν, ἐν ᾧ καιρός. καὶ καιρός, ἐν ᾧ χρόνος οὐ πολύς.*

2) Theodoret. hic adjicit: *ὁ νήφων τῆς δεσποτικῆς ἐπιφανείας τὰ σημεῖα γινώσκει.*

3) Rectius Chrysostomus dicit haec posse ad cujusvis mortem applicari, *τὸ τέλος ἑκάστου ἡμῶν τῆς ζωῆς εἰκὼν συντελείας ἐστί.* Vix tamen probandum est, eundem, quum hanc rem satis bene praeterea tractet, in publica oratione coram Christianis habita, dicere, plerosque, si mortis tempus praescirent, peccatis deditos victuros esse; quasi solus timor eos regeret; quod Christiano homine vix dici potest, quam sit indignum.

mundi omnium et privato cujusque fine, sed, quod unice admittit cogitationum series, cum Koppio *de Die solemni extremi adventus Christi* (יוֹם יְהוָה). Neque igitur Schoettgenio (H. H. et Talmud. p. 830.) adstipulamur, tempus excidii civitatis Judaicae intelligendum esse arbitranti. Jam vero iterum quaeri potest, quisnam sit ille Christi dies, num dies extremi judicii, an quod per contextum praeferendum esse videtur, tempus quoddam illum praecedens, regni, quod vocari solitum est, millennis initium. Cf. Proleg. ubi singula loca perpenduntur. Non potest alius esse, atque is, de quo Apostolus IV, 15 verba fecerat; quod arctissimo nexu confirmatur, qui intercedit inter hoc caput et praecedens.

Veniet ergo (ἔρχεται pro ἐλεύσεται Viger. p. 211. not. 98.) *quando omnes sciat dormire securos* (Pelag.) Luc. XII, 39. [1]). Quod hoc modo exornat Ambrosius: „*Subito* et *ex insperato* apparebit, sicut corruscatio apparet ab oriente in occidentem, habens secum militiam exercitus Dei patris ad perditionem Antichristi et satellitum ejus." Malach. III, 17. *Instar furis veniet, quia inopinato et cum damno summo eos apprehendet.* (Calov.) Ita quoque Fleck. (l. l. p. 405.): inopinatus impetus saepius confertur repentino Messiae adventui.

Haec Thessalonicenses aut ab ipso didicerant Paulo, aut per traditionem sermonum Christi, in quibus haec etiamnum legi locis supra e Matthaeo et Luca allatis vidimus. „Ex his obiter licet colligere, ut ait Turretin., Christi sermones in Evang. relatos ipsis admodum cognitos fuisse, ac proinde probabile est, eos scripto jam (ex parte saltem) mandatos fuisse." Idem Evangelii Lucae confirmatur initio. Quare Theodoret. recte: *Ὡς προδεδιδαγμένους ταῦτα γράφει.* Christus ipsis quoque Apostolis Act. I, 7. idem dicit: *Οὐχ ὑμῶν ἐστι γνῶναι χρόνους ἢ καιρούς, οὓς ὁ πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ.*

3. Eo ipso [2]) tempore, quo id minime exspectant,

---

1) Theodoretus hanc sententiam hisce verbis exponit: *Τὸ αἰφνίδιον τῆς δεσποτικῆς παρουσίας ἀπείκασε κλέπτῃ. Καὶ γὰρ οὗτος πειρᾶται λαθεῖν, ἀλλ' ὁ φυλάττων τὴν οἰκίαν τῆς τοῦ κλέπτου παρουσίας αἰσθάνεται· ὁ δὲ ὀλιγωρῶν καὶ καθεύδων ἀποσυλᾶται.*

2) A nonnullis quidem codicibus hic abest particula *γάρ*, pro qua alii, ii vero pauci, habent *δέ*; haec vero commutatio tam est facilis, ut hanc particulam tueri malimus, quum hic praesertim ipso loco defendatur.

dies illa eos opprimet; nam in adventu suo Christus adversarios disperdet, ut videntes sancti, qui evaserint, glorientur (Ambrosiast.). Eos enim, mundus quasi esset aeternus, gloriantes de pace et securitate subito terrebit. εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια, שָׁלוֹם וָבֶטַח. Simili loquendi modo haud raro V. T. prophetae utuntur, ut cogitationes quasi audiantur. Ez. XIII, 10. 2 Reg. XI, 15.

Quum itaque securi sunt, repente interitus iis *imminet*, *ἐφίσταται*, ipse jam adest. Vulg. superveniet. — ὄλεθρος, poena 2 Thess. I, 9. — *αἰφνίδιος* i. e. ἐξαίφνα פִּתְאֹם, quod innuit ὄλεθρον ἀπροσδόκητον. Luc. XXI, 34. Sap. XVII, 15. et saepe apud scriptores Graecos.

Praeterea haec parturientis similitudo, quum in vetere, tum etiam in novo Testamento usitatissima est. Ex illo Grotius affert locos Jes. XIII, 8. Jerem. XIII, 21. Hosea XIII, 13; in hoc vero praeter nostrum locum non nisi alio sensu occurrit (ut Jac. I, 15.). Hic enim tertium comparationis, quod vocant, maxime quidem in eo positum est, quod subito nec opina adveniat et parturiendi hora et diei supremi tempus. In quo tamen simul inest, horam illam evitari non posse, quare cum Michael. recte Flatt. *certo et necessario* (*unvermeidlich und unwiderstehlich*) quam tamen sententiam hic praecipuam esse non concesserim, cum extrema hujus versus verba ad utramque similitudinem trahenda esse videantur. — Exemplum vero et aliis rationibus aptissimum: quae est enim gravida, scit se habere foetum in utero, nescit vero ipsum pariendi tempus [1]); etiam per nixus acerbitatem, quod Zegero maxime placet, conferri poterant. Cf. cum toto hoc loco Luc. XVII, 21 — 36.

Ἡ ὠδὶν hic non tam dolorem partus, quam ipsum parturiendi actum, quasi parturitionem significat. — ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ i. q. ἐγκυούσῃ Matth. I, 18. — καὶ οὐ μὴ ἐκφύγωσιν; neque ullo modo (οὐ μὴ i. e. μηδαμῶς) illis effugere licebit. Particula μὴ hic adhibetur, quoniam inest scribentis sententia (Winer II, p. 149. n. 7.) Erasmus dicit: *Est in Graeco modus potentialis cum duplici negatione*; inde per posse sive licere circumscribi poterit.

---

1) Ita Theodoretus: *Σφόδρα πρόσφορον τὸ παράδειγμα. καὶ γὰρ ἡ κύουσα οἶδεν, ὅτι φέρει τὸ ἔμβρυον, ἀγνοεῖ δὲ τὸν τῶν ὠδίνων καιρόν. — — οὐ δὴ χάριν προσμένειν ἀεὶ δεῖ τὴν ἡμέραν ἐκείνην. — — διὰ πάντων δὲ τὸ αἰφνίδιον αὐτῆς δεδήλωκεν.*

4. 5. (Cf. Flatt. Opusc. p. 337 sq. quorum tamen mihi non contigit usus). Ἐστέ, quod nexus membrorum comprobat, non pro imperativo, sed pro indicativo modo habendum est. Paulus, quum diem Domini modo dixisset tanquam furem esse venturam, qui noctu tantum veniens, non interdiu, periculum afferat, ad similem transfertur sententiam, hoc quidem sensu homini Christiano, utpote lucis filio, nunquam noctem affuturam. Jam alia utitur imagine de die post noctem subito illucescente, quae ipsi fere solemnis est. Rom. XIII, 12. Eph. V, 6. Talem similitudinum propositarum subitam mutationem haud raro in N. T. libris invenimus. Similis translatio ab una imagine ad alteram occurrit Rom. XIII, 13. *In tenebris*, ait Ambrosiast., qui tamen acu rem non tangit, *ignorantiam significat et mendacium; in die autem scientiam et veritatem*. Joh. III, 20. [1]). Priori Pelagius adjicit rationem: *quia sicut tenebrae, ita et ignorantia dat fiduciam delinquendi*. Universam sententiam ita declarat Theophylactus: „Excubias agentibus commorantibusque in luce, etiamsi praedo aliquis ingressus fuerit, nil nocebit, neque vastare eos poterit. Eos vero, qui sunt in tenebris atque dormiunt, spoliat atque nudat, praedatur, sicque tandem praedam reportans abit [2])." *ἵνα καταλάβῃ*, ita, *ut possit deprehendere*. Sic Polybius quoque IX, 17. dicit: *τῆς ἡμέρας καταλαβούσης*. (Wolf.) Recte Flattius animadvertit, haec verba *ἵνα — — καταλάβῃ* etiam ad eos apte applicari posse, qui adventum Domini non sint visuri, quum extrema cujusque fata tamen a vita pendeant in terra acta.

5. Filii lucis et diei, ut noctis et tenebrarum plane sunt synonyma, quibus cumulatis sententiae augetur vis. Apostolus quasi dicit: *Vos cuncti Thess.* (de singulis enim eam habebat fiduciam) *veri estis Christiani; nos vero omnes* (qui Christum sincere amplexi sumus) *nequaquam*

1) Chrysost. *Ὥσπερ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ οἱ τῷ Θεῷ δοκοῦντα πράττοντες, οὕτω καὶ υἱοὶ ἡμέρας καὶ υἱοὶ φωτὸς οἱ τὰ τοῦ φωτὸς πράττοντες.* Clem. Alex. nimis anguste de sola cogitat *ἀγνοίᾳ*, tamen postea dicit: *ἔοικεν ἡ τοῦ ὕπνου καταφορὰ θανάτῳ, δι' ἄγνοιαν εἰς ἀναισθησίαν ὑποφερομένη τῶν βλεφαρῶν τῇ ἐπιμύσει, τὸ φῶς ἀποτεμνομένη.*

2) Chrysost. nimis angustis finibus cogitationem circumscribens: *ἐνταῦθα*, inquit, *οὐ πρὸς τὸ ἄδηλόν φησιν, ἀλλὰ πρὸς τὴν συμφοράν, τουτέστιν ὅτι ἐπὶ τῷ κακῷ τῷ αὐτῶν ἥξει. Ἀδήλως μὲν γὰρ ἥξει καὶ αὐτοῖς πλὴν ἀλλ' οὐδενὶ περιβαλεῖ λυπηρῷ.*

quam in tenebris versamur. In his verbis Hebraismus inest satis usitatus: בְּנֵי הָאוֹר et בְּנֵי חֹשֶׁךְ, qui lucem, qui tenebras sectantur πεφωτισμένοι et ἐσκοτισμένοι; in extremis enim quoque verbis υἱοὶ subintelligendum esse, vix est quod moneamus (similis locus Ebr. X, 39.) Joh. XII, 36. Luc. XVI, 8. Eph. II, 2. υἱοὶ τῆς ἀπειθείας. V, 8. Jesaj. LVII, 4. יַלְדֵי פֶשַׁע Alex. τέκνα (quod saepius etiam in N. T. occurrit) ἀπωλείας. Gal. IV, 28. cf. 2 Thess. II, 3. [1])

6. Ne igitur somno consopiti, sicut ceteri peccatis et securitate carnali immersi (IV, 13.), sed vigiles et sobrii simus, hortatur Apostolus eandem allegoriam continuans; *ne dormiamus,* ut ait Calixtus, *somnum securitatis, inertiae aut iniquitatum.* Γρηγορεῖν, i. q. ἀγρυπνεῖν, Luc. XXI, 34 — 36. etiam 1 Petri V, 8. conjungitur cum verbo νήφειν, cui opponitur μεθύσκεσθαι [2]); parum igitur differt a σωφρονεῖν, quocum conjungitur 1 Pet. IV, 7., eamque innuit animi conditionem, qua quis sui plane est compos, nec ullis cupiditatibus animique perturbationibus huc vel illuc rapitur. Inde 1 Cor. XV, 34. legitur ἐκνήψατε δικαίως καὶ μὴ ἁμαρτάνετε; peccata enim ex animo fere solent proficisci, cupiditatum caligine obvoluto [3]). Recte igitur Koppius hunc versum, si a tropo discesseris, ita putat resolvendum: „sollertes et strenui simus in bene honesteque agendo et diligentes in devitandis vitiis ac sceleribus quibusvis [4]); modo ne ad id

---

1) Gesenius Lehrgeb. der hebr. Sprache §. 164. p. 647. d. (649, 1.). Exempla videsis copiose collecta in Glassii Phil. sacra ed. Dathe Lips. 1776. T. I. p. 95 — 106. Canon XXXVI.

2) Thomas Mag. (apud Wetst.) νήφει τις, ὅταν ἐκτὸς μέθης ᾖ· σωφρονεῖ, ὅταν ἐκτὸς μανίας ᾖ· γρηγορεῖ, ὅταν ἐκτὸς ὕπνου ᾖ. Epicharmus: νῆφε καὶ μέμνασ᾽ ἀπιστεῖν· νεῦρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

3) Chrysost. ὁ καθεύδων τὰ μὲν ὄντα καὶ ἀληθῶς ὑφεστῶτα οὐχ ὁρᾷ, τὰ δὲ μὴ ὄντα ὡς ὄντα φαντασιοῦται.

4) Chrys. Μέθην ἐνταῦθά φησιν οὐ τὴν ἀπὸ τοῦ οἴνου μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀπὸ πάντων κακῶν· καὶ γὰρ μέθη ψυχῆς πλούτου καὶ χρημάτων ἐπιθυμία καὶ σωμάτων ἔρως, καὶ πᾶν ὅπερ ἂν εἴποις, μέθη ψυχῆς ἐστι. *Jus vigilantibus scriptum est, non dormientibus,* ut ait Drusius, proverbio latino usus; cui addas Pelagii effatum: *Qui dormierunt obliti sunt sui; curae quoque inebriant mentem;* et Clem. Alex. Paedag. I, 6. p. 69. Ὁ μόνον ἀναγεννηθεὶς, ὥσπερ οὖν καὶ τοὔνομα ἔχει, καὶ φωτισθεὶς (secundum usum vocis ecclesiasticum: *baptizatus*) ἀπήλλακτο παραχρῆμα τοῦ σκότους· ἀπείληφε δὲ αὐτόθεν τὸ φῶς. cf. totum c. 9. p. 136 sq. cui inscribitur: πῶς τῷ ὕπνῳ προσενεκτέον; Idem versus affert 6 — 8. in Strom. IV, p. 386. e.

solum respexisset, quid agendum est, quum potius eorum quoque, quae credenda et intimo animo vel amplectenda vel respuenda sint, ratio a. P. sit habita. Quod Calovius supplet, dicens: *Somnus animi est oblivisci Deum suum.* Utrumque complectitur Ambrosius de Fide I, 8. „Vigilare semper nos oportet, dum certa futuri judicii momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, et in quadam virtutis specula collocati, peccati consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat.“ His adjungit

v. 7. Christianos nunquam in nocte versari, somnolentiam igitur et ebrietatem eorum ne hac quidem excusatione gaudere, *admonet indecorum ac turpe esse dormire medio die aut inebriari* (Calvin.). Erasmus in paraphrasi interpretationem de somno et nocte naturali cum allegorico sensu conjungit: „Dies, ait, metuendus iis qui nunc excoecati vitiis suis, nocturnam agunt vitam: vobis, fratres, non perinde metuendus, ne vos improviso opprimat. Vos enim omnes, qui Christum sequimini, non pertinetis ad regnum tenebrarum, sed ad regnum lucis ac diei etc.“. Quum vero nullum hominem deceat illa negligentia, tum praesertim Christiano plane est indigna. *Nocturna, non diurna solet esse somnolentia et commessatio.* (Kopp.). Solebant enim antiquis temporibus sub vesperam convivia agere et mero indulgentes ad multam noctem producere. Improbanda est allegorica Augustini expositio, qui noctem accipit pro iniquitate, in qua illi obdormiunt cupiendo terrena. Omnes istas felicitates, quae videantur saeculi, somnia esse dormientium [1]).

8. Jam vero, quum ii, qui in vigiliis sunt positi, armis plerumque soleant induti esse, Paulus ad aliam transit imaginem, valde sibi adamatam, de armatura militis Christiani Eph. VI, 13. — 17., quam multis modis, prout loci nexus fert, solet tractare [2]). Plane ut hic cum admonitione ad vigilantiam Rom. XIII, 12. illa conjungitur: *καὶ ἐνδυσώμεθα τὰ ὅπλα τοῦ φωτός.* cf. Jes. XI, 5. LIX, 17.

---

1) Enarratio in Psalm. CXXXI. P. 1475. a.

2) Lutherus in notis marginalibus (opera ed. Walch. IX, p. 2803.) »Von diesen Waffen handelt er etwas anders Eph. VI; aber er kehret sich darum nicht, daſs er allenthalben einerlei Worte braucht. Hier redet er anders, und dort wieder anders.« Chrys. *οὐκ ἀρκεῖ τὸ ἐγρηγορέναι καὶ νήφειν, ἀλλὰ δεῖ καὶ καθοπλίζεσθαι.* —

Ambrosiast. de hoc loco: *Apertum est*, inquit, *quod dicit. Commonet enim, ne securi de nomine salvatoris negligenter agamus, ideoque tribus propugnaculis nos muniri debere i. e. fidei et spei et caritatis. Dum enim fides manet, spem excitat: spes autem necessario sollicita est de promissione, nec dormit; caritas autem devotum offert Deo.* Hisce tribus virtutibus vere Christianis facile depelli Satanam, adjicit Calixtus (cf. I, 3.).

In singulis autem armis, quibus illae virtutes hic conferuntur, accurate rei significatae adaptandis ne quis sollicitus sit, iterum atque iterum est monendus; in his enim locis, iisque similibus nequaquam singulae voces ad unguem sunt resecandae. Armorum tantum, qui defensioni inserviunt, Apostoli intererat, ut afferret genera [1]). Fortasse autem fidem et caritatem cum thorace comparat, quoniam illis pectus munitum esse debet, ut cum galea spem propter laetiorem adspectum [2]). Nihilo tamen minus Koppio concedimus *potuisse* et alia armorum genera, ut clypeum et ocreas hic adhiberi; tamen utrique Ap. vix comparasset *spem*, quae loco ex epistola ad Ephesios allato (v. 17.) inest in verbis *περικεφαλαία τοῦ σωτηρίου*· ea enim armorum genera delecta sunt, quae ad rem significandam essent aptissima. Quod si de fide quis et caritate dubitare vellet, ei in memoriam revocaremus in fidei integritate sola niti constantiam hominis Christiani, ut recte thorax dici possit; caritas vero ubi desit, ibi divinae gratiae hominem non posse sibi conscium esse.

9. 10. Spei illius persequitur naturam: *non creavit nos Deus, ut iram suam in nobis exsereret, sed potius ad salutem nobis parandam per Domini nostri J. Chr. mortem.* *οὐκ ἔθετο κ. τ. λ.* לֹא שָׂם אֹתָנוּ לְחָרוֹן כִּי אִם לְסְגֻלַּת תְּשׁוּעָתָה בַּאֲדֹנֵינוּ. Nam *ἔθετο εἰς* est hebraicum שָׂם לְ i. q. *προώρισε* (Vat.) 1 Petr. II, 8.; ita saepius in vers. Alex. ut Psalm. LXVI., 9. *τοῦ θεμένου τὴν ψυχήν*

---

1) Laudo Turretinum dicentem, haec sedulo apud populum esse explicanda, non vero inanibus de galea et thorace subtilitatibus insistendum, quibus multi concionatores nullo cum fructu, sed magna cum ineptia immorentur.

2) Theodoret.: *φραξάτω ἡμᾶς, φησὶν, ἀντὶ θώρακος ἡ περὶ τὸν θεὸν πίστις, καὶ ἡ περὶ τὸν πέλας ἀγάπη· γενέσθω δὲ ἡμῖν κράνος ἀῤῥαγὲς ἡ τῆς ἐπαγγελμένης σωτηρίας ἐλπίς.* August. in Psalm. XXXIV Serm. I. p. 289. F. animadvertit fidem et loricam esse posse et scutum: scutum est, inquit, quia tela inimicorum excipit et expellit: lorica est, quia interiora tua transfigi non sinit.

μου εἰς ζωήν. Judic. I, 28. ubi nonnulli codd. habent *ἐποίησε.*

Finis additur, primo *negatione* propositus: *οὐκ εἰς ὀργήν.* Ira Dei, ut ad I, 10. vidimus, etiam poenas includit, ex eadem originem ducentes, quo sensu Chrys hic: *ὥστε οὐ πρὸς τοῦτο ἐκάλεσεν εἰς τὸ ἀπολέσαι.* Tum *positive* additur: *ἀλλ' εἰς περιποίησιν σωτ.* i. e. *εἰς τὸ περιποιεῖσθαι ἡμᾶς τὴν σωτηρίαν* [1]) 2 Thess. II, 14. Hebr. X, 39. *περιποιεῖσθαι* vel i. q. *κτᾶσθαι* (Matth. X, 39.) ut Suidas, vel *ζωοποιεῖν* ut Hesych. illud explicat; itaque aut parare significat salutem (רָכַשׁ) aut conservare partam [2]). Hic tamen facile se commendat simplicissima explicatio: *ad acquisitionem salutis,* quod *ὀργῇ* strictissime est oppositum. *Notatur salus ejusmodi,* ait Bengel., *qua ex multitudine pereuntium excipiuntur, qui salvantur*; ita tamen, ut de nulla re minus cogitandum nobis sit, quam de absoluto decreto. Immo gratia Dei, qua omnes amplectitur, infinita etiam hic commendatur, quo illi magis excitentur ad tuendam fidem.

IO. Quae quidem salus nobis paratur per J. Chr., et maxime quidem per ejus mortem, quam ille subiit, *ut nos non moreremur* (Pelag. pro *ὑπὲρ ἡμῶν*). Christus enim, prototypus, ut ita dicam, humanae naturae, per mortem in vitam transiit, qua ipsius mortis tollitur notio et vis. Rom. V, 2. Accuratius hac de re in Prooem. Comm. Ep. ad Galatos disserendum est.

Jam vero Apostolus, relicta priori vigilantiae imagine, dormiendi et vigilandi notiones iterum ad mortem et vitam transfert, ut IV, 13. sqq. Luc. VIII, 52. [3]) Quare sensum bene ita explicat Pelagius: „ut sive in corpore, sive extra corpus inveniamur, semper cum ipso vivamus." Idcirco enim mortuus est pro nobis Dominus Jesus, et resurrexit, ut sive vigilemus h. e. vivamus, sive

---

1) Utrumque ita explicat Theodoret. (quem excerpit Schol. ap. Matth.) *Οὐ γὰρ τούτου χάριν ἡμᾶς ἐκάλεσεν, ἵνα δῷ τιμωρίαν, ἀλλὰ ἵνα σωτηρίας ἀξιώσῃ, καὶ οἰκείους ἀποφήνῃ, συνεργῷ χρησάμενος τῷ Δεσπότῃ X., ὃς τὸν ὑπὲρ ἡμῶν κατεδέξατο θάνατον.*

2) Exempla videsis a Wetsten. II. p. 596 — 98 collecta.

3) Recte Chrys. *ἕτερον ἐκεῖ τὸν ὕπνον φησί, καὶ ἕτερον ἐνταῦθα.* Theodoret. *ἐγρηγορότας γὰρ ἐκάλεσε τοὺς ἔτι κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν περιόντας· καθεύδοντας δὲ τοὺς τετελευτηκότας.* Schol. ap. Matth. proprium sensum exprimit: *εἴτε ζῶμεν, εἴτε ἀποθνήσκομεν.*

dormiamus i. e. moriamur, una cum eo aeterna vita fruamur. Rom. XIV, 8.

ἅμα σὺν αὐτῷ IV, 17. ut Bengel. observat, non uti et ubi ille vivit, sed simul ut fit adventus [1]).

Posset hic versus de somno etiam et vigilio quotidiano intelligi: *hoc sensu interdiu et noctu* id vero est *semper cum ipso simus conjuncti*, quod tamen languidius esse duxerim. (Flatt. hic excitat Storr. Opp. ac. III. p. 321.)

11. His exhortationis causa ad strenue pugnandum propositis, ut victoriae fiduciam excitaret — nam semivictus est, qui timide ac dubitanter pugnat — (Calvin.), addit, ut se ipsos inter se invicem cohortando, alius alium confirmare velint ad Christianam religionem constanter tenendam. Hic enim sensus verbo *οἰκοδομεῖν* inest, quam vocem Koppius ita explicat: *ad utilitatem aliorum, quocunque modo quis possit, docendo, cohortando, castigando, consolando, infirmitati aliorum indulgendo, et sic porro, tuum conferre.* Quod quum in universum quidem verum, tum non tamen satis definitum est. Scilicet in sacris literis haud raro hominis animus aedificii instar habetur, ejusque (ob peccata) diruti, quod restituendum sit, Christiana scilicet religione. Novus igitur homo in nobis quasi aedificium exstruitur 1 Petr. II, 5. 1 Cor. VIII, 1. X, 23. XIV, 4. 17., unde *οἰκοδομεῖν τινα* significat: *efficere, ut quis per religionem Christianam melior, sapientior et felicior evadat.* In quo Christus ipse sive fides, qua ille nobis informatur, fundamenti loco est; namque sine fide neque spes, neque caritas adest vere Christiana.

Παρακαλεῖν per *cohortari* interpretati sumus, ut *οἰκοδομή* ejus sit effectus. Alii tamen cum Theodoreto *consolandi* hic adsciscunt sensum, qui epistolae quidem consilio satis bene respondet, haud tamen scio, an huic

1) Pulcherrime Chrys. ita hunc locum exponit: *οὐ πρὸς τοῦτο ἐκάλεσεν εἰς τὸ ἀπολέσαι, ἀλλ' εἰς τὸ σῶσαι· καὶ ὅτι τοῦτο βούλεται, πόθεν δῆλον; τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἔδωκεν ὑπὲρ ἡμῶν, φησιν. οὕτως ἡμᾶς ἐπιθυμεῖ σωθῆναι, ὅτι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἔδωκε, καὶ οὐχ ἁπλῶς ἔδωκεν, ἀλλ' εἰς θάνατον. ἀπὸ τούτων τῶν λογισμῶν ἡ ἐλπὶς τίκτεται. μὴ γὰρ ἀπογνῷς, ἄνθρωπε, πρὸς τὸν θεὸν ἀπερχόμενος, τὸν μηδὲ υἱοῦ φεισάμενον διὰ σέ. μὴ ἀπαγορεύσῃς, ὅτι τοῖς παροῦσι κακοῖς. ὁ τὸν μονογενῆ δοὺς ἵνα σε σώσῃ καὶ τῆς γεέννης ἐξέλῃ, τίνος φείσεται λοιπὸν ὑπὲρ τῆς σῆς σωτηρίας; ὥστε ἐλπίζειν δεῖ πάντα χρηστά.*

quoque loco aeque sit apta, quum Apostolus hic potius ipsa cohortatione illos consolari videatur. Koppius de utroque cogitat, quod quomodo fieri possit, nisi effectum includere velimus, haud sane video. Apposite igitur Pelagius: *Notandum*, inquit, *quia* (i. e. quod) *hoc laicis praecepit: quos etiam monet, ut studeant exhibere officia caritatis*, a quo Theophyl. parvum abest. Paulum non solos hic alloqui ecclesiae ministros, quae perversa est quorundam opinio, res ipsa satis superque docet. — *εἷς τὸν ἕνα*, alius alium, *ἀλλήλους* [1]).

c) 12 — 24. Diversae adhortationes parum inter se conjunctae, quales omnibus fere epistolis Paulinis adjunctae esse solent.

12. 13. Primo quidem illos commonet, ut eos, qui verbum divinum ipsos edoceant, omni amore et reverentia velint colere. Quod cum Chrys. ita Michaelis superioribus annectit, ut statuat Apostolum velle monere, ne, quum antea eos exhortatus fuerit, ut se ipsos alter alterum confirmarent, superbia elati putarent se esse ad docendum aptos, neque jam doctoribus rite institutis obsequium ipsis amplius esse praestandum. Ita Theophyl. etiam: „Etsi mutuam, inquit, vobis aedificationem permiserim, obsecro tamen, ut, qui vos edocent atque instituunt, in honore habeatis. Coguntur enim gravia multa subire Doctores, quae delati his honores toleratu faciunt leviora." Hic tamen nexus ipsis verbis plane non indicatur; quare illum plane omittentes, potius per se spectemus hasce paraeneses. *Itaque vos rogamus, fratres, ut curam habeatis eorum, qui in vobis religione Christiana imbuendis operam posuere.* — *εἰδέναι τινά*, ut Latini dicunt *respicere;* non tantum significat: *ut intelligatis eorum laborem* (Pelag.) sed etiam, *ut habeatis illos in summo pretio.* (Erasm.) Ita nostrates: *erkenntlich sein* (per metonym. antecedentis). Simili tropo adhibetur *μνημονεύειν* in eodem praecepto inculcando Hebr. XIII, 7. Fortassis *οἴδατε* 1 Cor. XVI, 15. eodem modo est explicandum. Abresch. ad Aeschyl. p. 543. Hebr. יָדַע 1 Mos. XXXIX, 6.

---

1) Dion. Halic. Ant. II. p. 134. *ὁπότε ὑπὲρ ἀμαρτύρου συναλλάγματος ἀμφίλογόν τι γένοιτο ἑνὶ πρὸς ἕνα.* Kypke ad h. l. p. 339, ubi exempla afferuntur, quae probant, hunc vocis usum vere esse Graecum, neque, quae Dresigii erat sententia, Latinismum in hoc usu inesse.

Prov. XXVII, 23. מֵדַע, ib. XXXI, 13. LXX. *γινώσκειν* [1]) *ἐπιγινώσκειν*: 1 Cor. XVI, 18. Alii malunt vertere *revereri* Hes. Op. et D. v. 187. quae tamen significatio, et non satis accommodata est loco ex ep. ad Cor. excitato, et a N. T. aliena esse videtur, quanquam in V. T. saepissime inveniatur. Hos. VIII, 2, אֱלֹהַי יְדַעֲנוּךָ. Ii saltem loci, ubi ethnici vocantur *μὴ εἰδότες τὸν θεόν*, huc referri non debebant [2]). Universam sententiam (e pluribus interpretibus) ita complectitur Polus: „*Agnitio* consistit potissimum in obedientia, reverentia, et verbis et gestibus, signisque testata, gratitudine et rerum ad vitam necessariarum promta et liberali suppeditatione, quae omnia honoris voce alibi significantur."

Ab iis igitur expetit, ut honore habeant *τοὺς κοπιῶντας ἐν αὐτοῖς*, qui summo studio in eo laborarent, ut ipsi veri fierent Christiani. Ita *κ. ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ* 1 Tim. IV, 10. V, 17. i. q. *διδάσκαλοι πιστοί*. Ita *κοπιάω* saepe recurrit Rom. XVI, 6. 12. (*ἐν κυρίῳ*) 1 Cor. XV, 10. XVI, 16. Galat. IV, 11. Phil. II, 16. Col. I, 29. Et profecto illis temporibus, ubi tam multi erant convertendi, tam multae difficultates superandae, non poterat munus ecclesiasticum sine magno labore eoque assiduo et cum defatigatione conjuncto probe administrari.

Ab his itaque *προϊστάμενοι* (*καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι* 1 Tim. V, 11.) [3]) plane non differunt, qui etiam dicuntur *νουθετοῦντες*. Eorum enim munus et officium requirit non tantum, ut doceant et moneant; sed etiam, ut regant ecclesiam. His vocibus episcopos distingui a presbyteris arbitrarie plane accipitur, quorum quippe munera in N. T. vix distinguuntur (Act. XX, 17. cf. 28. Phil. I, 1.). *Interdum*, ut ait Bengel., *idem potest laborare, praeesse, monere; interdum diversi, pro varietate charismatum*. *νουθετεῖν* i. e. *ἐν νῷ τιθέναι*, quasi *τὸν νοῦν εὐθετεῖν*, quod maxime fit cohortationibus. 2 Thess. III, 15. Rom. XV, 14. III, 16. Col. III. 16. [4])

---

1) Huc plane non pertinet locus a Flattio allatus. Ebr. XIII, 23.

2) Theodoretus inter utramque explicationem incertus haerere videtur, dicens: *δίκαιον πάσης παρ' ὑμῶν ἀξιοῦναι τοὺς διδασκάλους τιμῆς, καὶ τὸ προσῆκον αὐτοῖς παρ' ὑμῶν προσφέρεσθαι γέρας, καὶ μὴ ἀντιλέγειν τοῖς παρ' αὐτῶν λεγομένοις.*

3) De verbi *προϊστάναι* usu et constructione cf. Kerbs Obss. e Fl. Joseph. ad h. l. p. 346.

4) Themist. Orat. XXII. p. 277. *πάμπολυ γὰρ διαφέρει νουθε-*

Syr. P: [illegible], erudite sive castigate resistentes. — *ἐν κυρίῳ* nomine et auctoritate Domini; non itaque cum humanis magistratibus eodem loco sunt habendi. 1 Cor. IX. 1.

Ne mireris Thessalonicae, ubi non diutius, quam tribus hebdomadibus Ap. commoratus esset, jam doctores evangelicos ecclesiaeque ministros institutos fuisse; reputandum est, tum nonnullos sine dubio ibidem fuisse, jam diutius sacris Christianis adscriptos, tum Judaeos ad suscipiendam religionem Christianam haud parum praeparatos, ipsam denique doctrinam multo simpliciorem fuisse. cf. Prooem. De officiis ministrorum hoc loco copiose tractat Turretin. p. 139 — 60.

13. Durum est *ἡγεῖσθαι ὑπερεκπερισσοῦ ἐν ἀγάπῃ*, quod aut cum Chrys., Luthero, aliis, pro simpliciore *ἀγαπῆτε ὑπ.* ct. *in carissimorum eos loco habete* (H. Steph.) tanquam filii patres, ipsos diligentes [1]); aut eos maximi faciatis: *ut illis summum honorem habeatis in caritate propter opera ipsorum* (Ambrosiast.), quod bene ita explicat Pelagius: *Presbyteri*, inquit, *qui laborant in verbo, dupliciter honorandi sunt i. e. caritatis obsequio et ordinis dignitate.* Sic *περὶ πλείονος ἡγεῖσθαι* apud Isocratem, alios. Flattius tertiam adjicit interpretationem: eorum curam habeatis, ut respondeat hebr. חָשַׁב לְ Job. XXXV, 2., hic vero locus a re plane est alienus. Quare in prima explicatione acquiescimus, quae tamen cum secunda conjungi poterit, nec revera multum ab ea differt.

„Addit autem *ἐν ἀγάπῃ*, quia haec reverentia non ex timore, sed ex amore proficiscitur.“ (Grot.) *Διὰ τὸ*

σία μὲν λοιδορίας ἐπίπληξις δὲ ὀνείδους. Plutarch. Solon c. 28, 29. Lene et humanum quid inest voci *νουθετεῖν*. Attamen apud Joseph. Ant. VIII, 3. p. 283. legitur *μάστιξιν νουθ.* cf. Kypk. Obss. s. II, p. 340. Munthe O. p. e Diod. p. 397.

1) Theodoret.: *πλείονος αὐτοὺς ἀξιοῦτε τιμῆς μετὰ διαθέσεως προσφερομένης εἰλικρινοῦς.* Chrys. initio Hom. X. dicit, ut medici saepe molesti sint aegrotis, ita quoque doctores, quorum est arguere et reprehendere, facile offensionem incurrere. Inde seria illa cohortatio. *Μὴ ἁπλῶς, φησιν, ἀγαπᾶτε ἀλλ᾽ ὑπερεκπερισσοῦ, ὡσανεὶ παῖδες πατέρας. διὰ γὰρ αὐτῶν ἐτέχθητε τὴν γέννησιν τὴν αἰώνιον, δι᾽ αὐτῶν τῆς βασιλείας ἐπετύχετε, διὰ τῶν χειρῶν αὐτῶν πάντα γίνεται, δι᾽ αὐτῶν ὑμῖν πύλαι οὐράνιαι ἀνοίγονται.* De voce *ὑπερεκπερισσοῦ*, quae III, 10. et Eph. III, 20., saepius vero in vers. V. T. Alexandr. recurrit, recte ad hunc locum Oecum.: *Πολλὴ δὲ ἡ ἐπίτασις τοῦ ὑπὲρ καὶ τοῦ ἐκ.*

ἔργον i. e. διακονίαν. Act. XV, 38. Phil. I, 22. ut saepe ἔργον κυρίου Χριστοῦ ct. 1 Cor. XVI, 10. Phil. II, 30. *Non est igitur*, ait Calixtus, *quod honorem sibi arrogent, qui operi isti faciendo non incumbunt.* διὰ τὸ ἔ. propter eorum munus, non: ut opus eorum facilius promoveatur in aedificationem ecclesiae (Zanch.). Rectius Est.: „propter opus excellentissimum, in quo versantur, quod est procuratio salutis vestrae [1]).“

In extremis hujus versus verbis legitur et αὐτοῖς, et ἑαυτοῖς sive αὑτοῖς. In plerisque patrum expositionibus et versionibus invenitur αὐτοῖς, quod in nonnullis libris mss. jam a Theophylacto inventum, etiamnum in pluribus vulgatae editionis (κοινῆς) vel ex eadem mixtis codicibus exstat. Sensus tum esset: *Sin minus illos impense diligere poteritis, saltem pacem cum iis colitote.* In quo tantum praepositionis ἐν nos offendit usus [2]). Ἑαυτοῖς tamen in codicibus aeque bonis invenitur iisque pluribus, unde cum Koppio αὑτοῖς legere malim, quod ex illo est contractum. Tum nova his verbis inesset adhortatio, ut 2 Cor. XIII, 11. Marc. IX, 50. εἰρήνη ἐν ἀλλήλοις [3]). Quod cum praecedentibus ita connexum esse poterat: *Non praepositos tantum vobis magistros diligite, sed etiam inter vos invicem pacis estote studiosi.* Quo sensu Turretinus: *Debent fideles*, inquit, *revereri et diligere Pastores, et sic debet esse pax inter ipsos.* Alii ita interpretantur: *At saltem pacem inter vos invicem colite.* Quae cohortatio saepissime recurrit; etenim *quia dissensio multa generat mala, pacificos eos esse hortatur.* (Ambrosiast.) Phil. II, 3. Col, III, 13 — 16. — (Praeterea a Clem. Alexandrino totus hic locus affertur in Paedag. III, 12. p. 193. E.) Jejuna est Syri interpretatio, qui conjungit διὰ τὸ ἔ. αὐτῶν εἰρηνεύετε ἐν αὐτοῖς, ܡܛܠ ܥܒܕܗܘܢ ܘܐܬܢܝܚܘ ܒܗܘܢ; eam tamen e recentioribus Boysen. defendit (III. p. 9.).

14. Jam ad aliud monitum Ap. convertitur, ne ca-

---

1) Schol. ap. Matth. βαπτίζουσι γὰρ ὑμᾶς καὶ τὸν λόγον κατηχοῦσι, ἐνθέων μεταδιδόντες μυστηρίων.

2) Pro Hebraismo non licet habere τοῦ εἰρηνεύετε ἐν usum, quum הִשְׁלִים cum אֵת Jos. X, 1. 4.; nec non cum עִם jungatur Deut. XII, 12. 1 Reg. XXII. 45., nunquam vero cum בְּ.

3) Ita Schol. ad Soph. Antig. 145. (Brunck.) καθ' αὑτοῖν ἀντὶ τοῦ καθ' ἀλλήλων. cf. Alberti Obss. p. 389.

vitas abeat in desidiam. Flattius hoc praeceptum cum v. 11. arctius conjungendum esse censet: non solum vos, qui jam provectiores estis in tenenda religione Christiana, vos invicem aedificate, sed infirmiores quoque sustinete et sublevate. Quod tamen haud scio, an non artificium sapiat. — *Vos* itaque cohortamur, fratres, ut castigetis eos, qui turbant quietem publicam. Rom. XV, 1. ἄτακτοι ii praecipue esse videntur, qui exspectatione extremi judicii perculsi, omnia societatis humanae vincula disrumpentes, dissolutis moribus et rerum novarum studio pacem publicam turbabant, IV, 10. 11. 2 Thess. II, 1. 2, qui εὐσχημόνως viventibus opponuntur IV, 2. 2 Thess. III, 6. 8. 11. — Michaelis ad Xenophonteos locos provocat (cf. Raphel. Ann. ex Xenoph. p. 276. 77.) quibus probet, ἀτάκτους eos esse, qui reipublicae legibus nolint obsequi, quod ad ecclesiasticum transfert statum, eosque hic innui censet, qui conventiculis, religionis suscitandae causa habitis, doctoribus legitime constitutis sese opponant; quod sane omni caret veritatis specie, si ecclesiarum, quales tum temporis erant, nobis ob oculos posuerimus conditionem. — Non vero minus ex altera parte merum commentum est, quod nonnulli afferunt, haec verba solis presbyteris scripta esse, ut pessime post Chrysostomum [1]) multi antiqui et recentiores contendunt interpretes. — Non enim tum inter clericos et laicos, ut postea, tantum differebat, quum omnes Christiani esse deberent ἱερατεῖον γένος. (Neander Kirchengesch. III. p. 1111.) Eadem formula, quod Kopp. observat, Ap. usus fuerat v. 12. in alloquendis omnibus Christianis. Quibus igitur omnibus altero loco praecepit, ut erigant pusillanimes. — Ὀλιγόψυχος, ut habet Chrysost., est ὁ μὴ φέρων ὕβριν, ὁ μὴ φέρων πειρασμόν [2]), tales homines idem semini

1) ἐνταῦθα πρὸς ἄρχοντας διαλέγεται. Praeterea idem ἄτακτοι explicat: πάντως οἱ παρὰ τῷ θεῷ δοκοῦν πράττοντες. Ecclesiae enim magis, quam exercitus ordinem legibus esse adscriptum. Ad significationem igitur τοῦ τάσσεσθαι spectat Graecis sane usitatissimam eamque ex re militari repetitam. Theodoret. τὴν κειμένην μὴ φυλάττοντες τάξιν. A Plutarcho de animalibus indomitis loquente ἀκόλαστος et ἄτακτος junguntur. Proprie ἀταξία et εὐταξία, quae, Cicerone interprete, est *ordinis conservatio* (de Off. I, 40.), sibi opponuntur.

2) Theodoret. Ὀλιγοψύχους, inquit, τοὺς ἐπὶ τοῖς τεθνεῶσιν ἀμέτρως ἀθυμοῦντας ὀνόμασεν. ὡσαύτως δὲ καὶ τοὺς μὴ ἀνδρείως φέροντας τῶν ἐναντίων τὰς προσβολάς.

comparat, in saxa incidenti. Alexandrini hac voce utuntur Jes. LVII, 15. pro דַּכָּא וּשְׁפַל־רוּחַ et alias passim. Hunnius sententiam ita circumscribit: „Consolamini pusillanimes i. e. conscientias anxias, sensu peccatorum et ira Dei perterrefactas et aliis tentationibus vel calamitatibus dejectas.“ Tum idem pergit, (quo sequentia bene declarantur): „Sublevate infirmos, qui in fide [1]) circa aliquam doctrinae partem aut rerum indifferentium (legis Mosaicae intelligere videtur observationem) usum infirmi sunt; hos praecipit sublevari et stabiliri necessaria ac mansueta institutione, et illorum infirmitates tolerari.“ Haud tamen scio, annon potius haec verba prioribus annectenda sint cum Calvino, qui monet, eum qui semel atque iterum pusillanimem solatus sit, si tertium idem agendum, solere aliquam molestiam sentire, adeoque indignationem, quae eum in officio pergere facile non patiatur. — ἀντέχεσθαι proprie sustinere, ut Pelag. habet; *sustinete nuper credentes, qui nondum sunt confirmati.* (sustentate eos quasi manu prehensos, ut הֶחֱזִיק; male Vulg. *suscipite*) Rom. XIV. 1. 2. 1 Cor. VIII, 7. 11. 12. — Alii locos conferunt a Wessel. ad Diodor. Sic. I, p. 126. collectos, quibus probatur ἀντέχεσθαί τινος significare posse: *se totum alicui rei tradere* (ut εἰρήνης, paci studere) Tit. I, 9. Matth. VI, 24. Quod tamen an unquam de personis adhibeatur, valde dubito. Illi igitur ἀσθενεῖς hic sunt quasi morbo correpti et mox collapsuri, quibus opus est, ut subleventur.

Horum vero de quibus dixerat, ordinem perturbantium, pusillanimorum atque imbecillorum, omnium denique Christianorum ratione habita, adjicit Ap. [2]): Lenes et patientes vos omnibus exhibete, et quod injurias attinet, vobis illatas, et quoad peccata, quae vos offendunt. Nam ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ 1 Cor. XIII, 4. הֶאֱרִיךְ אַפּוֹ Prov. XIX, 11. μακροθυμεῖν. Non differre tantum iram, sed poenam etiam sive increpationem quamdiu fas est, cohibere. Apud exteros scriptores voci ὀξυθυμεῖν oppo-

---

1) De fide etiam Theodoret. et sane vox ἀσθενής haud raro de infirmitate fidei et religionis, ut e contrario ὑγιαίνειν in Epp. ad Tim. et Tit. haud raro de constanti fide eaque nulla labe infecta, usurpatur.

2) Chrys. Οὐδὲν γὰρ τούτου (τοῦ μακροθ.) τοῦ φαρμάκου ἴσον διδασκάλῳ μάλιστα, οὐδὲν οὕτω τοῖς ἀρχομένοις ἐπιτήδειον. πάντως ἐντρέψαι (pudore confundere) δύναται, πάντως δυσωπῆσαι (rubore suffundere) καὶ τὸν πάντων ἀγριώτερον καὶ ἀναισχυντότερον.

nitur. Parum immutatur sententia, si eum Hunnio interpretamur: „Cum nemo in hac vita sit undequaque perfectus, quin aliquae semper infirmitates ei adhaereant, monet, aequanimiter tolerari omnes et hominum impiorum quoque resipiscentiam patienter exspectari debere."

Lenitas, comitas, modestia Christiano, qui alios corrigere et ad frugem reducere volet, prae ceteris virtutibus maxime sunt necessariae. De his vero, quum mentionem injecisset Ap., in sequenti versu officium inculcat innumeris fere N. T. locis repetitum: malum non malo, immo beneficiis esse rependendum. Rom. XII, 17 — 19. [1]) Servorum, ait Grot., non est, se ulcisci, sed domino ultionem injuriarum suarum permittere.

15. Ὁρᾶτε, cavete i. q. φυλάττεσθε. Ingeniose Bengel. vocem τὶς urget, dicens: „Laesus, qui in fervore est, *nimium videt:* ergo *proximi* videre debent." Sed verus potius sensus is est: „quisque videat, ne malum malo rependat."

Τὸ ἀγαθὸν διώκειν oppositis satis declaratur (cf. Gal. VI, 10. et 6. Rom. XII, 21. ubi ἀγαθὸν eodem sensu adhibetur): alienis commodis impense studere, beneficia in aliquem conferre, δόματα ἀγαθὰ διδόναι Matth. VII, 11. — Voce διώκω saepissime ita utuntur N. T. scriptores. Hebr. XII, 14. 1 Petri III, 10. Rom. IX, 30. 31. [2]) vehementi studio aliquid expetere רָדַף, qui tamen usus bene Graecus est. Eurp. Jon 444. τὰς ἀρετὰς δίωκε· saepe τὰ καλά.

Quod adjicitur εἰς ἀλλήλους de mutuis Christianorum officiis; εἰς πάντας vero de iis intelligendum est, quibus adversus exteros adstringuntur Matth. V, 44. [3]) Non solum cognatis, amicis, propinquis benefaciendum

---

1) Chrysost. *Αὕτη μείζων ἡ φιλοσοφία, μὴ μόνον κακοῖς μὴ ἀμύνεσθαι τὰ κακά, ἀλλὰ ἀγαθοῖς. αὕτη γάρ ἐστιν ὄντως ἄμυνα κἀκείνῳ βλάβην ἔχουσα* (iram scilicet in eum cumulans, ni immutetur: vel quod melius esse videtur: est vindicta, quae vere eum laedit, percellit, carbones scilicet igneos in capite ejus coacervans Rom. XII, 20.) *καὶ ὠφέλειάν σοι. μᾶλλον δὲ κἀκείνῳ πολλὴν τὴν ὠφέλειαν, ἐὰν θέλῃ.*

2) Loca ad hunc usum illustrandum a Wetstenio (T. II. p. 366. a.) collata maximam partem huc non quadrant.

3) Officia Christianis hic vv. 15 — 18. injuncta si quis accuratius volet perspicere, is evolvat Turretini Commentarium in exponenda morum doctrina ubique fere egregium, quamquam justo proliziorem, (cf. p. 160 — 250.) ubi optime exponitur, *utrumque, et tolerantiam, et resistentiam erga malum ex caritate procedere debere.*

est, sed omnibus. *Possunt enim*, ut ait Ambrosiast., *bonis operibus attrahi infideles ad credulitatem, ex qua semper gaudeatur in Domino. h. e. in bonum.* Miro modo ea, quae sequuntur, *πάντοτε χαίρετε*, ita antecedentibus conjungit, quum multo tamen concinnius versibus annectantur 17. 18.

16. Kopp. quidem in his verbis inesse censet salutationis formulam, qua concludere sibi proposuisset Ap. has literas, quas tamen, cum quaedam ei in mentem venirent, aliquantulum adhuc protrahat. Cui vero sententiae nullo modo nos adscribere possumus, quum hic minime apta esset epistolae conclusio; nec minus vox *πάντοτε* in salutationibus insolentior. Quare in vulgari manemus sententia, Apostolum hic de gaudio spirituali tractare, quo ii, qui Christianae religionis sentiunt beneficia et conjuncti sunt cum ipso Domino, inter precandum perfunduntur. Et quam grata est viro pio veritatis cognitio, virtutis perpetratio et amoris divini sensus! Spes (Rom. XII, 12.) homini Christiano lucem affert per tenebras, quietem ex turbis et aerumnis, divitias ex paupertate. Ita semper gaudet Domino. Recte igitur Beza: „Gaudium vocat suo more tranquillitatem illam animi in Christo acquiescentis et sibi bene conscii, quae facit, ut in medio dolore exultemus.“ III, 9. Phil. III, 1. IV, 4. 5. Quo sensu elatus Chrysost. in haec verba erumpit: *Ἀκούετε, ὅσοι πενίᾳ περιπεπτώκατε, ὅσοι λυπηροῖς πράγμασιν· ἀπὸ τούτων γὰρ χαρὰ τίκτεται* [1]). Audi Turretinum ad h. l. (p. 250.) „Inter praejudicatas opiniones, quae pietati adversantur, haec una ex vulgatissimis, simulque maxime noxiis, quod pietas passim spectetur tanquam aliquid triste, asperum et incommodum, quod spectatur tanquam voluptatum omnium hostis“ ct. *Ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ — — εἰρήνη καὶ χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ.* Rom. XIV, 17. Attamen de tranquillitate animi in calamitatibus servandis, quam Flatt. hic infert, proprie in ipso loco nihil inest.

17. 18. Preces Ap. commendat, quales e spirituali gaudio prodeunt et rursus idem excitant, foventque. Quo sensu Chrys. *ὁδὸν ἔδειξε (πρὸς τὸ χαίρειν)* inquit. Male Michaelis cum v. 15. hanc exhortationem ita connectit,

---

1) In Chrys. Hom. X. ad h. ep. pulcherrime tractatum hic invenies locum communem de avaritia, quod minus tamen huic loco accommodatum est. (cf. p. 345 — 52.)

ut Christiani haud perturbari debere dicantur adversariorum malis artibus.

Semper itaque debes precari, *si jugiter non potes lingua, tamen corde.* (Pelag.) A scopo plane aberravit Ambros. dicens: „Sedulae preces provocant animum judicis ad dandam misericordiam.“ Rectius Augustin. Enarr. in Psalm. XXXVII. p. 301. D. „Est interior sine intermissione oratio, quae est desiderium. Quidquid aliud agas, si desideras illud sabbatum, non intermittis orare, si non vis intermittere orare; noli intermittere desiderare.“ *ἀδιαλείπτως* I, 3. II, 13. nequaquam cum nonnullis interpretandum esse censemus: cujusvis diei initio et fine: neque minus: et in bonis, et in adversis rebus, sive: etiamsi non statim obtenueris, tamen pergas in precando (Luc. XVIII, 1.); sed sine intermissione cogitationibus in Deum defixis; sive, id si malueris, ex vulgari usu, ut Act. X, 2. *διὰ παντὸς* cf. Luc. XXIV, 53. pro diligentissime, saepissime. Christianum enim quaecunque vel sentiat, vel cogitet, vel agat, ad Deum oportet referre. Id quod Eph. VI, 18. vocatur *προςεύχεσθαι ἐν πνεύματι.* cf. Phil. IV, 6. Non igitur intelligunt, quomodo in illo Deus semper vivat, vigeat et insit, qui quaerunt, quomodo fieri possit, ut semper precemur, quum tamen vitae nobis incumbant negotia[1]). Idem praeceptum saepe inculcatur, ut Col. IV, 2. cf. Hunnius (Calov. p. 883.): „Non quidem prae assiduitate precum continuata non liceat vacare, aliis quoque divini cultus partibus, vel etiam laboribus ordinariae vocationis, vel gaudiis insuper honestis atque licitis. Sed indesinenter orare dicuntur, qui diem nullam intermittunt, quin statis horis precentur et qui, dum aliis laboribus etiam, ac nonnunquam externis, sed verbo Dei concessis, gaudiis fruuntur, nihilominus animum retinent ad precandum semper paratum et suis etiam gaudiis, laboribus et operibus vocationis preces subinde admiscent, si non semper ore attamen spiritu atque mente.“ —

Gratias referatis *ἐν παντὶ* sc. *χρήματι* pro omni re, in utraque fortuna, sic ut in praeclaro carmine Jobus [2])

---

1) Turretinus p. 267. sq.

2) Theodoret. *Μὴ μόνον ἐν τοῖς θυμήρεσιν, ἀλλὰ κἂν τοῖς ἐναντίοις. οἶδε γὰρ τὸ συμφέρον ὁ μεγαλόδωρος.* Origenes de Orat. Ruae. Vol. I, p. 215. E. dicitur complere hoc praeceptum *ὁ συνάπτων τοῖς δέουσιν ἔργοις τὴν εὐχὴν καὶ τῇ εὐχῇ τὰς πρέποντας πρά-*

i. q. ὑπὲρ πάντων Eph. V, 20. Pelagius, quod parum differt, haesitanter tamen explicat: in omni conversatione vestra Domino gratiae referantur, quo cum superioribus artius connectitur. Alii, ut Flattius, χαίρω supplent, quod Eph. VI, 18. Luc. XXI, 36. adjectum legitur. Quod tamen omitti posse vix crediderim, quum nulla adsint exempla; nam ἐν παντί, 2 Cor. IV, 8. incertum saltem est, unde πράγματι ibi quoque subintelligere maluerim. Prius etiam linguae Graecae ingenio magis est accommodatum. — Grotius Christi exemplum in medium fert Matth. XXI, 26. 27. 36. Marc. VIII, 6. XIV, 23.

Quae sequuntur verba, quibus edicit P. hanc esse voluntatem Dei per Christum de illis, ea quidem *non ad postremum tantum praeceptum* referenda sunt, sed ad *omnia pietatis officia*, de quibus supra Ap. verba fecerat. Θέλημα εἰς ὑμᾶς id quod Deus a vobis exigit (Kopp.) IV, 3. Col. IV, 12.[1] θέλ. ἐν Χρ. Ἰησοῦ aut voluntas Dei per Christum, (εἰς ὑμᾶς, quoad vos) revelata sive declarata, aut per unum Christum Deo placens. „Ut (voluntas Dei) in Christo per omnia impleta est, ita et in vobis omnibus impleatur," ait Pelag. posteriorem amplexus sententiam Storr., Piscator; et Flattius: „Tale est consilium Dei de vobis J. Ch. causa, ut εὐχαριστίας materiam locupletem in ipsis etiam calamitatibus praebeat." Nullo vero modo εἰς ὑμᾶς cum ἐν X. conjungi potest: erga vos, qui estis J. Chr. quae Zanchii est opinio. Sensu valde diverso, haud tamen scio an tolerando, θέλημα a Calvino ita explicatur, quasi legeretur εὐδοκία: Dei affectus in Christo erga nos talis, ut in afflictionibus quoque largam habeamus materiam gratias agendi. Idem recte dicit: „Petere quidem licet, gemere etiam et conqueri: sed ita, ut nobis magis adlubescat Dei voluntas, quam nostra." —

ξεις. Id. Tom. XVI. num. 22. οὐδὲν ἄλλο δεῖ εἶναι ἐν ἐκκλησίᾳ θεοῦ, ἢ εὐχὴν πάσης ἁγίας πράξεως — εἰς εὐχὴν παρὰ θεῷ λογιζομένης καθὸ καὶ τὸ ἀδιαλ. εὐχ. δυνατόν ἐστι. Hom. I. in lib. Regn. Vol. II. p. 486. A. Quis potest nunquam desinere ab oratione, ita ut neque cibum, neque potus sumendi tempus habeat? Quippe quum sc. haec fiant, intermittenda videtur oratio. cf. Selecta in Ps. p. 531. Judicium lectoribus relinquo.

1) Turretin. cum aliis interpretibus ad extremum tantum praeceptum haec trahens de gratiarum agendarum officio fuse hic tractat (p. 281 — 95.) atque ex Arriano I, 6. probat, gentilium eandem jam fuisse sententiam.

19 — 22. Apostolus ad commonitionem transit, ne Spiritus sancti dona vel aspernentur, vel non explorata accipiant.

19. *Quantum in vobis est*, ait Augustinus [1]), *nolite sic agere, tanquam conemini Spiritum exstinguere aut tanquam Sp. exstinctum deputetis.* (cf. v. 23. ubi eadem sententia positive uberius exponitur). Ita verum verbi *σβεννύειν* [2]) assequitur sensum, quem Schottius bene exprimit vertendo: ne contemptu impediatis. Spiritus haud raro ardenti flammae comparatur, quae facile vel vitae vel doctrinae exstinguitur impuritate. Oppositum est *ἀναζωπυρεῖν* 2 Tim. I, 6. — „Talia scilicet dona nemini obtrudebantur invito." (Calixt.) Immo lumen illud diligentissime fovendum et alendum est, ita ut veritati magis magisque immergamur, nobismet ipsis, nostrisque cupiditatibus et opinionibus plane obliviscamur. *Exstinguitur*, ut ait Ambrosiast., *si incipientis loqui fervor contradictione sopitur; ne forte non intelligentes dici ab eo spiritualia, injuriam faciant spir. s. et peccent per ignorantiam* [3]). — Ita *πνεῦμα* sexcenties in N. T. de vi divina adhibetur, in homine vires suas exserente in eoque habitante, sive ut Beza habet, *Dei afflatu et lumine in mentibus nostris refulgente* [4]). Quare plane improbanda est

---

1) contr. Ep. Parm. II, 31.

2) Idem usus apud exteros quoque scriptores obtinet, ut apud Plutarchum in Timol. p. 243. D. *τὸ πνεῦμα κατεσβεσμένον παραλόγως.* de Del. Orac. p. 419. B. Pyth. p. 402. B. sed de animo tantum in morte exstincto. Alberti Obss. p. 390. — Polus haud male dicit: exstinguitur vel non addendo ligno vel addendo aquam.

3) Pelagius epistolarum ad Timotheum locos memoria tenere videtur, quum dicit: „Spir. exhortationis quaestionibus nolite exstinguere."

4) Pulcherrime Chrys. hanc sententiam ita declarat: *Ἀχλύς τις παχεῖα καὶ ζόφος καὶ νεφέλη κατέχυτο τῆς γῆς ἁπάσης· — — ἐπεὶ οὖν νύξ ἐστιν, ὡς εἰπεῖν, ἀσέληνος, καὶ ἐν ταύτῃ τῇ νυκτὶ βαδίζομεν, ἔδωκεν ἡμῖν λαμπάδα φαιδρὰν ὁ θεός, τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου τὴν χάριν ἀνάψας ἐν ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς.* Mox idem duplicem profert explicationem: in altera de charismate dicit: *σβέννυσι δὲ αὐτὸ βίος ἀκάθαρτος·* tum vero: *ἔστι καὶ ἄλλη ἐξήγησις*, quam ita exponit: *μὴ ἐπειδή τινες ψευδοπροφῆται παρ' ὑμῖν εἰσιν*, (2 Thess. II, 2.) *δι' ἐκείνους καὶ τούτους κωλύσητε*, cui explicationi Theophyl. adstipulatur, cum Theodoret. rectius priorem illam praeferat. Athanasius in Epist. I. ad Serap. Opp. I, 2. p. 651. b. Paris 1698. interpretatur: *ἔλεγεν, ἵνα μὴ σβέσωσιν ἐξ ἀμελείας τὴν ἐν αὐτοῖς ἀναφθεῖσαν τοῦ πνεύματος χάριν.*

est Michaelis sententia *πνεῦμα* hic nihil significare censentis, nisi *spiritum propheticum futura praesagientem* (1 Tim. IV, 1.), „Estis Sp. D. illuminati: videte ne vestra ingratitudine lux ista vobis pereat.“ (Calvin.) Etiam Kopp., collatis locis I, 5. IV, 8., ubi apparet, non infrequentem prophetiae gratiam apud Thessalonicenses fuisse, de sola *προφητίᾳ* hic cogitandum esse censet, quae tamen non affertur, nisi exempli instar. Quamquam dona hic sp. s. extraordinaria potius intelligi, quam ordinaria, quae vocant, non denegamus, (1 Cor. XI, 4.) tamen haec exclusa nolimus

20. Ex illis, praeter dona sanationum, linguarum et interpretationem linguarum, (1 Cor. XII, XIV.) ex praecipuis est donum prophetiae, qua non futurorum tantum praedictio, sed quaecunque doctrina a spiritu s. suggesta intelligitur. — Multi illis temporibus spiritu prophetico agebantur, quos tamen facile, qui eodem carebant, non intellectos tanquam fanaticos aspernabantur. E loco 1 Cor. XIV, 5. prophetiam videmus e majoribus sp. s. donis habitam fuisse. Kopp. Exc. III. Ep. ad Eph. demonstrat vocem *προφητεία* de certo quodam hominum Christianorum, in ecclesia publice loqui solitorum, genere adhibitam, tribui hominibus, qui singulari ratione, divino numine tacti, in ecclesia apostolica vaticinia proferebant, arcana hominum consilia retegebant, insigni quodam cum mentis impetu et ardore precabantur, subito spiritus divini impulsu ad docendum, cohortandum et consolandum assurgebant, carmenque, quod divinam originem prae se ferret, decantabant. His verbis quum bene dd. Schleusner. in Lex. hujus excursus summam comprehenderit, facile ex eodem conspicitur, eum tamen magis, quam par est, in poetarum sacrorum ordinem prophetas retulisse, quod magis quadrare videtur ad donum *τοῦ γλώσσαις λαλεῖν*. — *προφητεία* est potius *mysteriorum retectio et praesentium et futurorum.* Falso autem nonnulli prophetiam ad *expositionem prophetarum V. T.* restringunt, *quae omnino huc non pertinet, nisi ipsa quoque fiat impulsu et revelatione sp. s.* — Nimis anguste etiam Calixtus cum Beza, Hunnio, aliis, intelligit concessam peculiari Sp. dono scripturae interpretandae scientiam [1]) ἐξ-

1) Chrys. *Ἐπειδὴ ἀμφότεροι περὶ μελλόντων προὔλεγον καὶ ὁ δαίμων καὶ τὸ πνεῦμα, ἀλλ᾽ ὁ μὲν ψευδόμενος, τὸ δὲ ἀληθεύον* — —

ουθενεῖν vox est in N. T. saepe obvia, quae primo quidem significat *nihili aestimare*, tum vero *vili pendere*, ideoque negligere. Rom. XIV, 3. 10 Litotes hic non inesse videtur, ut dictum sit pro *maximi habete*; sed tantum ne despiciant, eos hortatur. Timendum erat, ne *προφάσει τῶν ψευδοπροφητῶν διαπτύοντες καὶ τὰς ἀληθεῖς* (Schol. ap. Matth.), hos quoque rejicerent. — Falsos prophetas Apostolorum jam temporibus exstitisse, e multis patet N. T. locis.

21. Hoc praeceptum, omnibus exploratis, proba tenendi, ab omnibus vero malis abstinendi, tam aperto cum superioribus cohaeret vinculo, ut vix unus atque alter interpretum, qui de hoc loco tractarunt, id neglexerint. Ex quo nexu apparet, ejus explorationis regulam, si recte instituatur, nullam esse praeter crisin Christianam sive *διάκρισιν πνευμάτων*, ut jam monet Chrys. 1 Cor. XII, 10. XIV, 29. ubi disertis verbis ab ipso Paulo idem praecipitur. *Itaque non licet Sp. s. dona judicare nisi iisdem imbuto, sive, quod idem est, regenerato.* Hebr. V, 12 — 14. Ex quo sponte patet, quam indocte aut mendaciter ii hoc dicto abutantur, qui intelligentiae mere humanae judicium in locum rationis ab ipso Deo illuminatae substituunt. — *δοκιμάζειν* hic non probandi, sed, ut sequentia docent, examinandi significationem obtinet. Idem praeceptum 1 Joh. IV, 1. totidem fere verbis exponitur. Non enim *πάντα* ad solas cum Grotio prophetias restringere placet, immo de omnibus intelligo donis, quae spiritus sancti prae se ferunt auctoritatem. — Quare Ambrosiastro assentimur dicenti: „Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt: quia, si multa bona dicat, in aliquo autem, quod fidei adversum est, promat, sciatur non esse Spir. S., nihil enim erroris in Sp. S. poterit reperiri [1]." Id quoque additur bonum quodvis constanter et quasi mordicus tenendum esse. *κατ-*

ἔδωκε καὶ διακρίσεις πνευμάτων. (Similiter, sed minus recte, Theodoretus de falsis prophetis loquitur, Apost. tempore a diabolo excitatis.) Hac igitur spirituum dijudicatione ad agnoscendam veram prophetiam uti debebant. — Hoc sensu et Orig. Hom. in Exod. Vol. II. p. 171. A. praecipit ethnicorum quoque sapienter dictis esse utendum.

1) Multo minus Pelagius metam attigisse videtur, qui *legem* constituit prophetiarum normam; neque Chrys. placet sententia, haec dici: *ἵνα μὴ νομίσωσιν ὅτι πᾶσιν ἀνέῳξε τὸ βῆμα*, quamquam non exclusum sit jus docendi.

ἔχετε. Ita 1 Cor. XI, 2. τὰς παραδόσεις κατέχετε i. q. alias κρατεῖτε [1]).

„Bifariam hic peccari solet; nam alii, quia plerosque vident decipi, promiscue rejiciunt quamlibet doctrinam, alii stulta credulitate quidquid Dei vulgo nomine propositum est, absque delectu amplectuntur. Utrique vitio P. hoc versu occurrit." (Calvin.) Recte Clem. Alex. Strom. I. p. 217. monet, haec dici τοῖς πνευματικοῖς, τοῖς ἀνακρίνουσι πάντα κατ' ἀλήθειαν λεγόμενα, πότερον δοκεῖ, ἢ οὕτως ἔχει τῆς ἀληθείας.

22. De hoc versu interpretes dissentiunt, utrum cum priore cogitationum serie cohaereat, an cum sequentibus. Michaelis, Flattius, alii, priorem nexum praeferentes, hunc satis facilem et commodum constituunt sensum: *Si bonum fuerit et honestum* (Koppii verbis utor) *quod πνευματικοὶ isti vos docent, ad quod vos cohortantur, sequimini illud, contra vero ab omni improbitatis et vitiorum genere vos abstinete.* Qui vero cum iis, quae sequuntur, hoc praeceptum cohaerere arbitrantur, novam hic incipiunt partem. *Abstinete a quocunque malo: tum Deus ipse vos sanctificabit.* Ita vero plane non intelligerem, cur Deus hic tanquam *pacis* auctor designetur. Nihilo tamen minus equidem ad utrumque versum hoc praeceptum referendum esse putaverim, *ut transitum faciat* ab altera sententia ad alteram, quamvis cum posteriori minus arcte connexum. Sed orationis nexu non minus, quam ipsis verbis refellitur eorum opinio, qui cum Erasmo, Luthero, Piscatore, ct. peculiare praeceptum hoc versu contineri censent, hunc ejus sensum constituentes: *Vitate omnem speciem mali.* Etenim, quanquam haud negem vocem εἶδος de specie externa posse adhiberi (Soph. Electr. 1177.) tamen haud puto, ullum exemplum inveniri, ubi nostrum: *böser Schein* graece reddatur per εἶδος πονηρόν· inconcinnum vero est, pro genitivo habere πονηροῦ [2]). Quare Bezam non audimus, qui explicat:

---

1) Wolf. p. 378. De verbis γίνεσθε φρόνιμοι τραπεζῖται, falso a quibusdam hic adjectis cf. Fabric. Cod. Apocr. N. T. 1703. p. 330. not., ubi loca collecta sunt, in quibus hoc Christi, ut *traditum* est, dictum continetur. Orig. illud habet in Rufin. vers. lat. in Lev. Hom. III. Vol. II. p. 199. a.

2) Josephus tamen Ant. X, 3, 1. habet πᾶν εἶδος πονηρίας ἐπιδειξάμενος κ. τ. λ. Chrys. cum Theoph. explicant: μὴ τούτου ἢ ἐκείνου (sc. πονηροῦ) ἀλλ' ἁπλῶς παντός. Non diverso sensu Theodoret.:

„Quidquid vel ullam mali speciem prae se fert." Nec minus Drusium conferentem rabbinicum דוּמָה רַע — Recte Etym. M. docet *εἶδος σημαίνει τρία· τὴν μορφὴν* (Schol. ad Iliad. II. 58.) *καὶ τὸ σχῆμα* (Eurip. Alc. v. 38.)· *σημαίνει δὲ καὶ τὸ ὑπὸ τοῦ γένους κατηγορούμενον παρὰ τοῖς φιλοσόφοις.* (Sirac. XXV, 2.) Est itaque aut populari sensu *genus* vel *species*, aut philosophico. Ita omnes antiqui et optimi recentiores interpretes hanc vocem nostro quoque loco intellexerunt: sic Syr. Pesch. ܡܢ ܟܠ ܙܢܘ ܒܝܫܬܐ ܥܪܘܩܘ Cavete a quocunque genere malorum, sive, ut Ambrosiast. et Pelag. habent: ab omni *specie mala*. — Malum genus innumeras complectitur mali species. — In hoc Flattius putat *κριτήριον* eorum inesse, quae tanquam a Sp. s. profecta tradantur; dubitanter tamen hanc profert sententiam, quam, quum apertum non annuat nexus vinculum, vix meam fecerim.

23. Jam ad finem properans P. votum annectit ex superiore sententia ductum [1]). *Θεὸς εἰρήνης* amat Deus vocari in faustis apprecationibus. Rom. XV, 33. XVI, 20. 2 Cor. XIII, 11. Phil. IV, 9. Ita Apost. Eph. VI, 23. pacem a Deo omnibus auguratur, ut saepe in salutationibus, quae epistolis praemissae sunt. — Quaeritur, quo id sensu fiat, quod se nescire fatetur Calvinus; in quo miror viri insolitam *ἐποχήν*; potest autem vocabulum *εἰρήνη* de concordia intelligi, hominibus inter se invicem colenda, quod huic tamen loco minime accommodatum est; potest etiam, quod Koppio placuit, de favore et gratia dici, sicut saepe אֱנוֹשׁ שְׁלֹמִי (Jerem. XX, 10.) *amicus meus*, quo sensu שָׁלוֹם cum חֶסֶד et רַחֲמִים conjungitur tanquam synonymum ib. XVI, 5.; ita vero non videmus, quo nexu hoc potissimum praedicatum cum sanctificatione contineatur. Quare praestat hic, ut in salutatione I, 3. pacem istam intelligere, veris Christianis paratam, cujus Deus sit auctor. Joh. XVI, 33. Rom. I, 7. III, 17. Plenam includit felicitatis copiam, quae numeris omnibus absoluta et cui nihil desit. — „Congruit probe hoc epitheton non modo ob gaudium perpetuum in Domino, quod requisi-

---

κατὰ ταὐτὸν συμπερίλαβε τὰ δογματικὰ καὶ τὰ ἠθικά. Wolf. Cur. p. 378. De Wettius in Vers. *Enthaltet euch aller Art des Bösen.*

1) Flatt. Opp. ed. Süfskind Tubing. 1826. p. 364 sq. N. IX. hunc locum fusius tractavit, quo tamen libro hucusque mihi non licuit uti. —

verat Ap. v. 16., quod sine pace interiore cordis nullum est, Rom. XIV, 17.; sed etiam ob regulas, quas pacis externae causa praescripserat, nec non ob votum sanctitatis, quae sine concordiae et pacis studio vera non est,“ quae Calovii sunt verba.

Nonnulli *pacis* hic urgent significationem et hoc praeceptum ad rixas contentionesque trahunt inter Thessalonicenses de donis Sp. S. obortis cf. 1 Cor. XIV, 33. Qui vero ita interpretantur, ad id parum attendisse videntur hic maxima cum vi incipi a Paulo: *αὐτὸς δὲ κ. τ. λ.*, ipse Deus, pacis internae et tranquillitatis Christianae auctor, vos sanctificet [1]) — *ἁγιάσαι a mundo separatos sibi consecret*, ut ait Beza, cf. III, 13., ubi plenius habetur *στηρίζειν ἄμεμπτον ἐν ἁγιωσύνῃ.* — ὁλοτελεῖς duplici sensu accipi potest: aut objecto *ὑμᾶς* arctius conjungitur: ut verbi *τελέω* nulla habeatur ratio, quod in compositis, in communi maxime dialecto, haud raro usu venire, quis est, quin sciat? tum dictum est pro *ὅλους*: *vos integros*, et in universum id hic effertur, quod in posteriore versus parte accuratius exponitur; aut etymi vis retinetur, quod magis placet, ut verbi *ἁγιάσαι* qui a grammaticis vocatur praegnans obtineat usus: *ἁγίους ποιῆσαι ὑμᾶς καὶ ὁλοτελεῖς* (Kopp.), *vos arceat ab omni peccato, ut fiatis integri.* Ita Hieron. [2]) „Deus igitur pacis, inquit, sanctificet vos per omnia, vel in omnibus, *plenos* sive perfectos: hoc enim magis sonat *ὁλοτελεῖς* [3]).“ Haec vox pro hebraeo כָּלִיל in Aquilae legitur fragmentis, Deut. XIII, 16. (17.) In N. T. praeter hunc locum non legitur, apud Graecos vero scriptores non ita rara est. Contorquetur oratio, si cum quibusdam *ὁλόκληρον ὑμῶν* conjungamus, ut substantivi locum illud occupare putemus: *vos toti*, proprie: universitas vestri. Integritatem vero hic nihil aliud esse, atque immunitatem a peccato, vix est, quod moneamus. —

Quod primum in universum propositum fuerat, id in extrema hujus versus parte fusius exponitur, ita scilicet, ut pro toto homine singulae ejus partes afferantur. Cupit igitur Ap., ut *πνεῦμα*, *ψυχὴ* et *σῶμα* serventur ὁλό-

---

1) Infelix hic est Pelag. in his verbis superiori versui annectendis dicens: (Deus) qui omnia sustinet, etiam blasphemantes.

2) Quaest. ad Hedib. XII.

3) Theodoretus breviter: *τελείως*.

κληροι, quae vox secundum grammaticam quidem normam cum sola quidem conjungitur voce *πνεῦμα*, quoad sensum vero tria ista aperte spectat, et (pro zeugmate) cum *τηρηθείη* accuratius conjungendum est. — *καὶ* ut Hebr. ו consequentiam prioribus annectit, quare vet. Lat. apud Pelag. et Vulg. laudamus vertentes: *ut*. — *ὁλόκληρος* vero vix diversum est ab *ὁλοτελής* sive *τέλειος*, quocum conjunctum invenitur Jac. I, 4. Alexandrini hac voce pro hebraico תָּמִים ut Ezech. XV, 5. de ligno non amputato et pro שָׁלֵם Jos. VIII, 31. utuntur. — 1 Macc. IV, 47. de rudibus lapidibus ferro non attrectatis. Ita apud Joseph. Antiq. III, 12, 2. de sacrificiis *τὰ ἱερεῖα θύουσιν ὁλόκληρα* [1]).

Multa ad hunc locum interpretes disputarunt de tribus, e quibus homo constat, partibus, in quo tamen oleum et operam perdiderunt, quoniam scriptores biblici certam non habent de homine psychologicam doctrinam (anthropologiam) et populares potius sequuntur notiones, *quamquam religioni christianae adaptatas;* constanter quidem corpus inter et animum distinguunt, nonnunquam *ψυχὴ* quoque et *πνεῦμα* iis differre videntur, tanquam animae partes sive *facultates ingenitae* [2]). Quae res quum nostra parum referat, id potius perquiramus, quo sensu h. l. conjuncta legantur.

Primum quidem vocis *πνεῦμα* multiplicem esse usum, nemo ignorat: hic vero duplex potissimum sensus videtur statui posse, ut aut animi sit pars quaedam sublimior, *ἡγεμονικόν* [3]), quam Graeci *νόος* appellatione dicere consueverant, quo animus ille significatur rationalis s. *mens;* aut donum quoddam naturam excedens, gratiae divinae acceptum referendum [4]). Illam si tenemus significatio-

---

1) *ὁλοκληρία* integram sanitatem (Vulg.) in N. T. Act. III, 16. designat. (ܚܠܝܡܘܬܐ) Locorum delectum invenies apud Wetsten. h. l. p. 308.

2) cf. Cl. dd. L. F. O. Baumgarten-Crusii insignem librum: Grundzüge der bibl. Theologie. Jenae 1828. 8. P. II. sect. 2. p. 320 — 23. ubi libri citantur hunc locum illustrantes et Wolf. Curae ad h. l. p. 379.

3) Ps. LI. 13. *ἡγεμονικὸν πνεῦμα*, quod tamen nequaquam cum Stoicorum *ἡγεμον.* esse conferendum post Schleusnerum s. h. v. Baumgarten-Crusius bene observat.

4) Schol. ap. Matth. *οἱ μέν, τὸν νοῦν, φασί, λέγειν, οἱ δέ, τὸ χάρισμα.* Prior quidem usus scholae Aristotelicae, Stoicae, aliorum

nem, ad plura N. T. loca provocare licet; non quidem ad Hebr. IV, 12. Gal. VI, 18. qui aeque ambiguus est, atque hic, sed ad usum adjectivi *πνευματικὸς* in 1 Cor. XV, 44. quod saepius *σαρκὶ* opponitur, ut Marc. XIV, 38. Joh. IV, 23. 24. conjunguntur *ἐν πνεύματι καὶ ἐν ἀληθείᾳ*. Ex his vero locis nihil sequitur, nisi quod *πνεῦμα* proprie animam illam vitalem designat, a Deo hominibus inspiratam, quae, Ambrosiastro animadvertente, *ad hoc datur homini, ut maneat in eo, et sit quasi caput ejus. Integer ergo non erit, quia perdit membra, dum recedit ab ea homo, ea agens, quae odit spiritus sanctus.*

Alii vero cum Chrys. [1]) et inter recentiores Seb. Schmid., Dorsch., Schöttg., Wolf., quod nobis tamen cum Koppio duriusculum videtur, *πνεῦμα* hic de charismate divino intelligunt, maxima diligentia fovendo, ne abeat sive exstinguatur (v. 19.). Grot.: *πνεῦμα* est spir. s. in animis Christianorum habitans et si sollicite servetur ad mortem, immo et post mortem, ad resurrectionem usque animis adhaerens. Hieron. ad Gal. V, 16. Jud. v. 19. [2])

---

haud infrequens est, quum hominem tribus dicant constare partibus, ut ex brevissimo patet Marc. Antonini loco III, 16. *σῶμα· ψυχή. νοῦς· σώματος αἴσθησις. ψυχῆς ὁρμαί· νοῦ δόγματα.* Hebraeos vero non potest probari inter רוּחַ et נֶפֶשׁ distinxisse, qui tamen נְשָׁמָה de divino isto afflatu haud raro adhibent. Usus enim, qui postea invaluit cabbalisticus ad illa profecto, quo haec scripta sunt, tempora applicari nequit. Praeterea, Schöttgen. recte animadvertente, P. duas tantum, non tres distinguit animi facultates. Melius tamen libri Sohar. quadrat locus quidam (a Wolfio allatus. Cur. 382.) fol. 29. col. 114. „Beati sunt justi in hoc et futuro mundo: nam illi toti sancti sunt, *corpus* (גופא) illorum sanctum est; *animus* (נפשא) illorum sanctus est; *spiritus* (רוחא) illorum sanctus est; *anima* (נשמתא) ipsorum est Sanctum sanctorum.

1) Clem. Alex. post enumeratas novem animi facultates addit: *καὶ δέκατον τὸ διὰ τῆς πίστεως προςγινόμενον ἁ. πν. χαρακτηριστικὸν ἰδίωμα* Strom. VI. *Tertullianus*: „Spir., qui accedit animo Dei vel daemonis.“ Ita fere Iren., Tatian., alii, *Chrys.* (Theod. Theophyl.): *τὸ πνεῦμα τί φησιν ἐνταῦθα; τὸ χάρισμα. ἂν μὲν γὰρ ἔχοντας λαμπρὰς τὰς λαμπάδας ἀπέλθωμεν, εἰςελευσόμεθα εἰς τὸν νυμφῶνα· ἂν δὲ ἐσβεσμένας, οὐκέτι. — διὰ τοῦτό φησιν· ὁλόκληρον τὸ πνεῦμα. ἐκείνου γὰρ μένοντος ἀκεραίου, καὶ τοῦτο μένει.* Theodoret.: *ἕπεται δὲ αὐτοῦ ἡ φυλακὴ τῇ τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος καθαρότητι.*

2) Quam interpretationem, citante E. Bengel., Roosius secutus est in Fundamentis Psychol. e sacra scriptura collectae. Tubing. 1799. II. §. 12. „Potest anima etiam, quum regenita est, deliquium pati. Sp. S. i. e. nova indoles potest rursum decrescere vel plane exspirare, ut nil, nisi *τὸ ψυχικὸν* remaneat. Hinc optat P., ut in regeni-

Sed vix dubitari potest, universi hominis notionem, quae in *ὁλοτελεῖς* latitabat, hic per singulas ejus partes describi. Quare non facere possumus cum eodem doctissimo interprete, qui duplicis vocis usum pro mero ornamento habet oratorio, a quo tamen in vertendo paululum recedere videtur et concedere *mentem* significari atque *animum*, populari tamen usu a se invicem distinctos [1]). Quod nobis quoque prae ceteris placet. Haud tamen renuerim, si qnis, ut plerique veteres Lutherani iique orthodoxi (sit venia voci) theologi, sub *πνεῦμα* animum velit intelligere humanum quoad gratiam regenerationis spectatum (ut Calov.). Ita Walch. Observ. p. 108 — 14.

Ita quod alterum erat, *ψυχή* facile explicatur: complectitur inferiores scilicet animi facultates, quae hominibus cum brutis animalibus communes sunt, ut ait Beza, quae non, uti *πνεῦμα*, a contaminatione rerum terrenarum immunes sunt; non appetitus tantum et affectus, sed omnes animi sensus et affectiones, id quod mutabile hominibus inest, nostrum: *Herz* sive *Seele*. Quod cum ab altera parte intelligenti animo, tum ab altera corpori cognata est, et secundum hominis voluntatem vel rectam vel depravatam ad hanc illamve vergit. Haud male observant interpretes ad h. l., has tres partes jam in hominis creatione occurrere cum Gen. II, 7. 8. *corpus* dicatur *pulvis de* terra, *anima,* נֶפֶשׁ חַיִּים, *mens* sive *spiritus* נִשְׁמַת חַיִּים.

Totum bene declarat Zancchius: „Tunc totus homo integer est, et perfectus, quum neque mente cogitemus aut velimus, neque anima appetamus, neque corpore agamus, nisi quod Deo placet.“ In his omnibus iis optat,

---

tis spir. s. integer servetur“ *Pelag.*: „Gratia spiritualis quamvis in se semper integra sit, non tamen in nobis integra, nisi ab integris habeatur.“ Hic usus praeclare defenditur Philonis loco in Allegoriis: *Τὸ μὲν οὖν ἐμπνέον ἐστὶν ὁ Θεός· τὸ δὲ δεχόμενον ὁ νοῦς· τὸ δὲ ἐμπνεόμενον τὸ πνεῦμα.* Didymus de Spir. s. hanc sententiam reputare videtur, quum dicit: „Incredibile atque blasphemum, Apost. orare, ut Sp. s. integer servetur, qui nec immutationem potest recipere, nec profectum.“ cf. Greg. Nyss. ap. Theophyl.

1) Usteri p. 137. recte animadvertit hanc trilogiam nil nisi formulam esse, qua nihil docere velit Apostolus. cf. Krebs. Obss. e Joseph. p. 346. Verte: *Dafs ihr ganz, mit Geist, Herz und Leib heilig und unsträflich erhalten werdet bei der Ankunft unsers Herrn J. Ch.*

ut sine reprehensione semper sint, sive, ut habet Pelagius, *usque in diem judicii: quia non sunt tantum initia laudanda, sed finis* [1]). Aretius apud Calovium: „Hominis renati, inquit, tres sunt partes integrales: πνεῦμα, ψυχὴ et σῶμα. Spiritus est ἡγεμονικὸν h. e. ductor et gubernator, formans in renatis novos motus, voluntatem Dei subjiciens voluntati. ψυχὴ est ἐπιθυμητικόν, cui adduntur τὰ πάθη in genere; item sensitiva facultas, judicium, ratio non repurgata a Spir. S. Corpus organum est illorum: praebet enim instrumentum ad diversas actiones et est quasi σῆμα, carcer et sepulcrum animae. Hae partes integrales sunt renati hominis, quum hominis physici duae saltem sint ψυχὴ et σῶμα." In quibus ab hac expositione discedamus, supra jam est excussum.

Praeterea τηρεῖσθαι ἐν παρουσίᾳ i. q. εἰς παρουσίαν vel per hebraismum, vel praegnanti verbi usu pro τηρηθείη ὥστε εἶναι ὑμᾶς ἀμέμπτους ἐν παρουσίᾳ. III, 13.

24. Jam rationem affert, qua certo confidit, fore ut hoc votum, quod modo pronunciaverat, exaudiatur: *Verax et fidelis scilicet est, qui vos vocavit: is opus suum imperfectum haud relinquet.* Ipsa igitur vocatio quasi pignus est electionis eam sequi haud detrectantibus: qui vocavit ad integritatis perseverantiam, is vires quoque dabit, quibus id effici poterit, ὁ καλῶν pro ὁ καλέσας. Sequitur Apostolus, ut ait Koppius, linguae hebraeae in temporibus exprimendis penuriam. Tamen a lingua pura Hellenica idem usus non plane abhorret; substantivi scilicet naturam participium tum induit [2]). — P. Deum πιστὸν appellare consuevit, utpote foederi fidem servantem 2 Thess. III, 3. 1 Cor. I, 9. X. 13. Simile dictum auctoris Ep. ad Hebraeos X, 23. πιστὸς ὁ ἐπαγγειλάμενος cf. XI, 11. Hebraeis est נֶאֱמָן יְהוָֹה sive אֱמוּן Jes. XLIX, 7. ubi in Alexandrina habetur πιστός ἐστι ὁ ἅγιος Ἰσραήλ [3]). Bene universa sententia hebraice redditur: נֶאֱמָן הַקֹּרֵא אֶתְכֶם אַף יַעֲשֶׂה. Ambrosiast.: „Fidelem Deum dicit in promissis suis, ut, securi de praemio, recte versentur."

---

1) Iren. adv. haer. V, 6. copiose locum exponit (ap. Grot.) ubi etiam Tatiani locum invenies. Luther. apud Calov. p. 885.

2) Vel imperfectum est pro ὃς ἐκάλει ὑμᾶς, vel, quod hic melius esse videtur, in vocis solenni usu in substantivum mutatum. Ita κλέπτων Eph. IV, 28.

3) Theodoret.: πιστὸς ἀντὶ τοῦ ἀληθής. ὁ γὰρ ἐπὶ τὸ σῶσαι καλέσας τῷ ἀγαθῷ ὑμῶν συμπράξει σκοπῷ.

In voce *καὶ* breviloquentia quaedam inest: ut vocavit, ita *quoque* perficiet. Quae editio Complutensis hic adjicit: *ὃς καὶ ποιήσει τὴν ἐλπίδα ὑμῶν βεβαίαν* aperte glossam sapit, nec idoneis sustinetur testimoniis. Sensum etiam aliquatenus invertit: hic enim minus agitur de vocatione ad aeternam vitam, quam potius ad sanctitatem [1]. „Brevi hoc commate, Bengelii verbis utor, omnis solatii summa continetur. Vocatione si frueris: de fide ejus gaude, qui faciet."

25 — 28. *Conclusio epistolae*, qua v. 25. a Thessalonicensibus petit Apostolus, ut pro ipso velint Deum precibus adire, in quo Chrysost., Theodoret., Theophylacto [2]) magnum inesse videtur humilitatis et modestiae Pauli documentum. Idem saepius recurrit in Pauli epistolis 2 Thess. III, 1. Col. IV. 3. cf. Rom. XV, 30. *περί*, ut hic cum eodem verbo *προςεύχεσθαι* conjungitur Col. I, 3.

26. Omnes fratres osculo sacro amplectamini. *Sancta*, Ambrosiastrum audimus dicentem, *oscula sunt in salutatione Christiana; cetera carnalia sunt, quia quidquid sine Christo fit, carnale est.* Jejune Koppius explicat: quia Christiani erant, qui hoc modo salutandi. Malim, quia Christi nomine haec oscula consecrabantur, quia cum sacro Christianorum cultu aliquo nexu conjuncta erant Verus amor temporis locique distantia non coërcetur [3]).

Idem mos iisdem verbis recurrit Rom. XVI, 16. [4]) 1 Cor. XVI, 20. 2 Cor. XIII, 12. a quo non differt *φίλημα ἀγάπης* 1 Petr. V, 14. Quod osculum sanctum

---

1) Chrysost. singularem hic annectit de Pauli humilitate meditationem: *ὅρα*, inquit, *τὴν ταπεινοφροσύνην*, quoniam scilicet Paulus non exspectat fore, ut Deus propter preces ipsius eos servet, sed *ἐκ τῆς προθέσεως, ἧς ὑμᾶς ἐκάλεσεν· εἰ γὰρ εἰς σωτηρίαν ἐκάλεσεν, ἀληθὴς δέ ἐστι, πάντως σῶσαι βουλόμενος.*

2) Quum Theodoretus dicat *τοῦτο τέθεικεν, οὐχ ἵνα λάβῃ μόνον τῆς εὐχῆς τὴν βοήθειαν, ἀλλ' ἵνα καὶ αὐτοὺς μετριάζειν διδάξῃ*, ita ejus sententiam respuendam esse censemus, ut impium fere tale consilium indignumque veracitate Apostoli judicemus. — Chrys. in Homil. ad h. l. verbis sane gravibus et sensu vere Christiano Antiochenos hortatur, ut et ipsi pro ipso velint precari.

3) Chrys. *ἐπειδὴ φιλήματι αὐτοὺς ἀσπάσασθαι οὐκ ἠδύνατο, ἀπὼν, δι' ἑτέρων αὐτοὺς ἀσπάζεται.* cf. ejus Hom. XX. ad 2 Cor.

4) Wolf. in Cur. ad h. l. p. 290. libros affert de osculo sancto conscriptos, cui addas si placet insignem cl. Neandri locum Kirchengesch. I, 2. p. 424. 25.

quo Christiani, in sacris suis convenientes ac recedentes se excipiebant ac dimittebant, a Tertulliano dicitur *signaculum orationis.*

27. Multos offendit, quae hic legitur adjuratio, qua P. Thessalonicenses obtestatur, ut omnibus Christianis legant hanc epistolam, nec eorum cuiquam eam ignotam esse patiantur. In quo ante omnia quaeritur ad quosnam ab initio missa fuerit. — A vero non aliena esse videtur nonnullorum, ut Koppii, sententia eam ad presbyterium (Calixt.) sive ministros ecclesiae datam. Quamquam poterat etiam primum ad coetum quendam, quales nonnunquam plures in una urbe fuisse videntur (Col. IV.) data fuisse. Certi tamen quid in tanta rerum obscuritate constitui non potest, nisi Ap. timuisse, ne ii, quibus maxime destinata erat, eam non vel legerent, vel audirent, aut ne, ipsis literis occultatis, falsi de iisdem spargerentur rumores. Paulum vero jam plures tum scripsisse epistolas cum Koppio ex hoc loco nolo concludere; id ipsum, quod praeter solitum ad totum quendam Christianorum coetum scribebat, timorem hunc ei incutere poterat, maxime si accederent e loci natura ejusque cognitione faciles sane conjecturae, quae eventu comprobatae sunt 2 Thess. II, 2 III, 17. Posset tamen haec adhortatio ad omnes potius Macedoniae Christianos trahi, ut parum differat ab illa, quae Col. IV, 16. legitur. — Pessime vero Bengelius opinatur, in N. T. hanc epistolam primam omnium a P. scriptam, omnium instar lectioni publicae commendari, ut deinde Apocalypsis I, 3. in fine N. T. — Chrys. in eo putat Ap. tenerrimum erga Christianos amorem conspici, quod ne unum quidem eorum hac epistola vellet privari, ut ipsius salutatio et eorum fida memoria omnibus innotesceret; simili modo Ambrosiaster, „ut cognoscant et laudes et admonitiones suas per quas fiant perfecti [1]).“ — *ὁρκίζω ὑμᾶς τ. κ.* cum Grotio ita supplendum est, ut *νὴ τὸν κύριον·* duplici tamen accusativo jungitur Genes. XXIV: 30. Marc. V, 7. Act. XIX, 13. sed eodem sensu, ut non opus habeamus confugere ad Hebraicum הִשְׁבִּיעַ, quod cum sit forma Hiphil., per se ita usurpatur.

Si genuinum esset *ἅγιοι ἀδελφοί*, nec tollenda prior vox, nihil significaret, nisi: fratres Christiani, qui scilicet

---

1) Theodoret.: *πᾶσι τὴν ἐκ τῆς ἀναγνώσεως ὠφέλειαν πραγματευόμενος.* —

a mundo debent esse non contaminati et quasi seclusi, quae primaria est vocabuli *ἅγιος* significatio. Quod vero quum respuant praeter alios libros minoris momenti, boni Codd. *κοινῆς ἐκδόσεως* D. E. F. G. et praeclarus Vaticanus, qui textum Alexandriae recensitum purissime offert (refragantibus tamen A. C. aliis) e textu rejiciendum est. *Ἀναγινώσκειν* quum constanter significet praelegere, *πᾶσι* non pro Dativo commodi habendum, sed potius: *coram omnibus* vertendum esse videtur, ut igitur publica hic praecepta sit lectio, *omnibus auscultantibus*, ut addit Bengelius.

Praeterea monendum est, ne nimis ponderis quis putet inesse Pauli obtestationibus, qui iis fere uti consuevit, ubi commotiore est animo [1])

28. Gratiae Domini J. Chr. apprecatio in fine plerarumque epistolarum parum diversis recurrit verbis. *χάρις* cf. I, 3. „Res una voce illa significata totam salutem complectitur Act. XV, 11. et plus valet, quam orbis universus. In Domino J. Ch. gratiam vovet, quia extra illum nec gratia, nec salus — — quod signaculo vocis *Ἀμὴν* obsignat.“ Calov. sunt verba, quibus adjicimus, illud *Ἀμὴν* (אָמֵן) nihil esse, nisi veritatis dictorum confirmatio (ut Graecum *γένοιτο*), quae plerumque in fine votorum et doxologiarum poni solebat. —

1) Chrys. hic sub fine Homil. XI. pulchram habet expositionem de utilitate, quam mendici afferant Christianis januis adstantes p. 353 — 60. quod tamen, quam parum cum contextus verbis cohaereat, quisque facile videt. —

POSTERIOR

AD

THESSALONICENSES

EPISTOLA.

PARS PRIMA.

c. I.

Apostolus cum Thessalonicensium laude gratias agit Deo pro illorum profectibus v. 1 — 5. Tum sequitur promissio liberationis ex aerumnis rebusque adversis, v. 5 — 10, quam excipit votum pro Christiana illorum salute, v. 11. 12.

Simile igitur initium priorem epistolam in mentem revocat, a qua tamen haec in eo non parum differt, ut magis etiam ex affectu paterno profecta sit; praeterea hac non adhibita, per se vix intelligi potest, quum, quae in prioribus litteris vel male essent intellecta, vel parum explicita, ita exponantur, ut illarum ubique fere ratio habeatur. Quod in primo jam capite conspicere licet, in secundo tamen multo apparet luculentius.

Praemissa enim salutatione ab illa, quam in priori legimus epistola, non diversa, primum ad Thessalonicensium progreditur laudem vv. 3 — 5., quam 1 Thess. I, 2 — 10. multo habuimus copiosiorem. „Quoniam autem priore epistola fidem eorum et caritatem laudaverat, nunc praedicat utriusque incrementa.“ (Calvin.) Initium tamen idem fere est, nisi quod pro *εὐχαριστοῦμεν* significantius dicatur: *εὐχαριστεῖν ὀφείλομεν, καθὼς ἄξιόν ἐστιν*, ex quo videmus, haud exiguam Paulum percepisse laetitiam de nuncio, eoque optimo, a Thessalonicensibus ipsi allato. Quo majores in his intelligit esse profectus, eo impensius Deum laudat, qui omnia bona operetur et largiatur, suorum vero meritorum plane obliviscitur, quum sciret, ea quoque non ex se, sed a Deo derivanda esse. „Quum gratias agit Deo hoc nomine, ait Calvinus, ab ipso esse testatur non minus incrementa, quam initium fidei et caritatis.“ In quo Chrysostomus non sine causa modestiae Apostolicae documentum invenit, quum dicat: *ὅρα ταπεινοφροσύνης τὴν ὑπερβολήν!* Quum vero meritum nullis mortalium operibus conatibusve inesse recte judicemus,

tamen eorum esse, quae peraguntur, eorumque strenuitate perfici, nulli dubitamus. Deus enim ita omnia perficit in iis, qui ratione praediti sunt, ut, ni resistant, ipsorum excitet vires; quare merito de iisdem operibus dicas, et Deum ea perfecisse, et ab ipso homine profecta esse. Quatenus enim homo operatur quae per Christum Deo placent, ipse non jam agit, sed Christus, quem in se suscepit. Quo vero modo utrumque, quamquam, ut primo aspectu videtur, oppositum, verum esse possit, in dogmatum morumque doctrina exponendum est. Apostolum vero ea de re non dubitare, ex ipsa voce *ὀφείλομεν* et *ἄξιόν ἐστι*, *justum* sive *par* est [1]) concludere licet. Ita Demosth. *ἄξιον σιωπᾷν*, *aequum* est tacere. 2 Macc. VI, 24. In N. T. praeterea eodem usu non invenitur, qui tamen Graecis satis tritus est (cf. 1 Cor. XVI, 4.). — In eo, quod *πάντων* hic omissum, quod in priore epist. adjectum legebatur, eo minus hic argutandum est, quum postea fides ipsorum dicatur valde crescere *omnium*que caritas augescere [2]).

De ipsorum *fide* eo magis laetatur Ap., quod inter calamitates atque contentiones multas (1 Thess. I, 6.) tantum aberat, ut labefactata sit, ut potius laeto vigore creverit [3]). — *ὑπεραυξάνειν* non ita multum differt a simplici *αὐξάνειν*, nisi quod intensiorem reddat verbi vim. In versione Peschito simplex invenitur ܐܘܣܦ. — Paulum vero vocabulis uti solere quam maxime auctis, ad 1 Th. II, 17. exposuimus. Chrysostomus, quem Theophyl. ibi quoque haud raro sequitur, ubi in transversum agitur, miro commento diluvii hic infert similitudinem.

Hic etiam, ut in priore Ep., tria ista laudantur, quae Paulus ubique fere conjungere solet: *fides*, *caritas* atque *spes*, quae in voce *ὑπομονὴ* et in versu sequenti latere videtur, quamquam nomen ejus non occurrat. Ex quo intelligimus, tres istas notiones, Christiano homini sane gravissimas, Paulo, ut multis nostri aevi misellis sapientiae huma-

1) *δίκαιον*, ut exponit Zonaras sive *καθῆκόν ἐστι*.

2) Theodoret.: *Πάλιν τῇ εὐχαριστίᾳ σχηματίζει τὴν εὐφημίαν καὶ θαυμάζει μὲν αὐτῶν τὴν περὶ τὸν Θεὸν πίστιν, θαυμάζει δὲ τὴν περὶ τοῦ πέλας ἀγάπην. δι' ἀμφοτέρων δὲ τὴν τελειοτάτην αὐτοῖς ἀρετὴν μαρτυρεῖ.*

3) Schol. ap. Matth. *Πίστις ὑμῶν μὴ σαλευομένων ταῖς τῶν πειρασμῶν ἐπαγωγαῖς.*

humanae interpretibus, non esse locos communes sive tenues jejunasque categorias, quibus tolerabili ordine res exponantur hinc inde operose decerptae; sed radios a veritatis sole profectos, *πνεῦμα καὶ ἀλήθειαν*. — 1 Thess. I, 3. III, 6.

Fides firma [1], verus amor, spes certa tentationibus non minuuntur, sed firmiores etiam redduntur et sicut quercus, vento agitata, altiores agunt radices. — Fidei eodem nomine *caritas* subjungitur, inter afflictiones maxime colenda ac fovenda. „Considera, ait Theophyl., quod plurimum adversus afflictionem valeat: conjunctos, constructos, simulque firmatos esse, atque mutuis nexibus firmatos teneri". [2]. 1 Thess. IV, 9. Qui vero Dei causa diligit, is non hos amplectitur, illos vero aversatur, sed omnes amore suo complectitur [3]). Nec vero sine causa Paulus tam multus est in commendanda eorum caritate in *omnes* effusa; quum enim sciret, quam facile tum temporis accideret, ut Christiani se invicem diligerent, *exteros* vero aspernarentur, hac potissimum laude ad omnium hominum amorem eos excitare studet.

4. Doctoris summa laus posita est in discentium profectibus. 1 Thess. II, 19. 20. Quapropter Paulus: *ita*, inquit, *vos geritis, ut de vobis apud Dei ecclesias gloriari liceat*. Posteris etiam temporibus saepius commendat Macedonum fidem gratiamque spiritus in illos collatam. 1 Cor. VIII, 1. cf. Prolli. Saepius vero videmus Paulum suorum laudare profectus, in quo tenendum est, quod *Turretinus* animadvertit, esse „duo glorificationis

1) Chrysost. bene animadvertit fidem crescere ὅταν ὑπὲρ αὐτῆς πάσχομέν τι δεινόν. μέγα μὲν οὖν καὶ τὸ ἑστηρίχθαι (firmum esse) καὶ ὑπὸ τῶν λογισμῶν μὴ παραφέρεσθαι. ὅταν δὲ καὶ ἄνεμοι προσαράσσωσιν, ὅταν ὑετοὶ καταῤῥηγνύωνται, ὅταν ἐγείρηται πάντοθεν χαλεπὸς ὁ χειμών, ὅταν ἐπάλληλα τὰ κύματα ᾖ (quum cumulati fuerint fluctus), εἶτα μὴ παρασαλευώμεθα; οὐδενὸς ἑτέρου τεκμήριόν ἐστιν, ἀλλ' ἢ τοῦ αὐξηθῆναι, καὶ ὑπεραυξηθῆναι καὶ ὑψηλοτέραν γενέσθαι. — τὴν μὲν οὖν ἀσθενῆ καὶ ἀγάπην καὶ πίστιν θλίψεις κατασαλεύουσι, τὴν δὲ ἰσχυρὰν ἰσχυροτέραν ποιοῦσι.

2) E Chrys. verbis: Ὁρᾷς, ὅτι καὶ τοῦτο πρὸς τὰς θλίψεις συμβάλλεται, τὸ συμπεφράχθαι.

3) Chrys. humanum illum dicens amorem, qui alios amplectatur, alios respuat, adjicit: εἰ δὲ οὐκ ἔστιν ἀνθρωπίνη, ἀλλὰ διὰ τὸν Θεὸν φιλεῖς, πάντας φίλει. ὁ γὰρ Θεὸς οὕτως ἐπέταξε καὶ τοὺς ἐχθροὺς φιλεῖν· εἰ δὲ τοὺς ἐχθροὺς ἐπέταξε φιλεῖν, πόσῳ μᾶλλον τοὺς οὐδὲν λελυπηκότας.

genera, studiose distinguenda. Datur gloriatio culpabilis et gloriatio laudabilis. Gloriatio culpanda ea est, quae ex superbia oritur, quae gloriam nobis ipsis tribuit, et saepe levem et inanem aut nobis nullatenus debitam. Sed gloriatio laudabilis ea est, qua in Domino gloriamur, qua dona Dei sive nobis, sive aliis collata agnoscimus ac praedicamus, non eo fine, ut magnificemus, sed ut Deo ipsi gloriam demus, utque ejus dona magnificent et pluribus communicentur. Prioris generis est glorificatio eorum, qui ob divitias, dignitates, famam eruditionis, scientiae, sibi plaudunt et gloriantur. Posterioris generis erat gloriatio Apostoli, qui de donis Dei gloriabatur, velut quum gloriatur hoc in loco de fide et patientia Thessalonicensium, cujus se auctorem non dicebat, sed *gratiam Dei, quae erat cum ipso. Tanta est,* inquit, *fides vestra, ut nobis ipsis gratulemur de talibus discipulis.*" (p. 402.) Qua laude evangelii simul commendabatur vis et ὑπερ-γείασιν ἡμᾶς αὐτοὺς i. q. ἐμαυτὸν καυχᾶσθαι 2 Cor. XII, 5. hoc usu Paulo frequentissimum; unde *gaudendi* significationem illi cum quibusdam intpp. hic non tribuerimus. ἐν τινί, glor. *de* aliqua re, aut materia notetur, in qua verbum exserit effectum. Ita Gal. IV, 20. ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν I, 24. ἐδόξαζον τὸν Θεὸν ἐν ἐμοί, aliaque haud pauca exempla, quibus e profanis quoque scriptoribus multa addi possunt [1]. Proprie tamen est quasi gloriari *in* alterius persona, non *propter* eum, sive *de eo*. ὑπὲρ, propter 1 Cor. XV, 8. et alias saepissime.

Id, quo illi laudantur, est eorum constantia in fide tenenda et ex eadem profecta inter medias persecutiones et calamitates. ὑπομονή (1 Th. I, 3.) non ei tribuitur, qui primum tantum impetum fortiter suscipit atque repellit, sed ei potius, qui, quod difficilius esse solet, per longius temporis spatium in eadem sive malorum tolerantia, sive iniquitatum oppugnatione perseverat [2]. ὑπ. καὶ πίστις pro ὑπομονὴ τῆς πίστεως, quod sequentia verba docent, ἐν πᾶσι κ. τ. λ., quae aperte ab illa, non vero ab hac voce pendent. Quod Grotius recte observans,

1) Quod e Thucydide fecit *Bauerus* (in Philologia Thuc. Paul. p. 148.), exempla tamen ab eo congesta non accurate hunc usum referunt. Sed cf. Winer. (L. L. p. 160. a. 8.) II, p. 137. velim V. D. tales quoque formulas, quales καυχ. δόξ. ἐν attigisset.

2) Δεικνῦσι πολὺν παρελθόντα χρόνον· ἡ γὰρ ὑπομονὴ ἀπὸ χρόνου φαίνεται πολλοῦ, οὐκ ἐν δύο καὶ τρισὶν ἡμέραις. Chrysost.

idem dicit esse, ac ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος, quod in loco legimus e priori epistola allato. Aliquantum secus haec a Calvino accipiuntur, qui: „Caeterum, ait, non dicit se gloriari de fide ipsorum et caritate, sed de patientia et fide: unde sequitur *patientiam* esse *fructum ac testimonium fidei.*" „Nisi futura crederetis, ista minime sufferre velletis," habet Pelagius [1]). αἷς ἐνδέχεσθε ob praecedentem dativum, ex forma usitatissima, attractione, quam vocant grammatici.

5. Hic versus, in quo spei Christianae causa exponitur, arctiori vinculo cum antecedentibus connexus, grammaticis rationibus pluribus modis conjungi potest, quum ἔνδειγμα, quod sive nominativo casu sive accusativo positum esse apparet, nihil habet, quo referatur, nisi cum αἷς ἀνέχεσθε illud connectere velis, quod simplicissimum esse videtur. Alii tamen pro nominativo illud habent absoluto, alii vero supplere malunt ὅ ἐστιν sive ὥστε εἶναι sive, quod praestat, εἰς ἔνδ. Utrum vero accipias, eodem fere recurrit idemque est nexus cum superioribus, qui tamen haud facile ita constituitur, ut dubitandi non relinquatur occasio. Alio autem plane modo ii constituunt hujus loci rationem, qui verba ἔνδειγμα — Θεοῦ parentheseos signo inclusa, cum b. Zachariae pro interposita habent exclamatione. — Quidnam vero, si priorem tenuerimus verborum conjunctionem, id dicemus esse, quod probandum est, seu potius, quod signum est justitiae divinae? nam ἔνδειγμα, ut Phil. I, 28. ἔνδειξις, est *documentum sive argumentum, ex quo tuto aliquid colligi possit.* Nostram vero vocem, semel tantum in N. T. occurrentem Hesych. exponit per ἀπόδειξις [2]). Tria vero secundum grammaticam structuram liceret pro illo habere documento *aut* τὸ καυχᾶσθαι, *aut* verba τῆς ὑπομονῆς καὶ πίστεως, *aut* denique διωγμοῖς καὶ θλίψεσι. Primum omni caret veri specie; alterum vero a multis interpretibus tenetur. Ita Sebast. Schmidt in paraphrasi: „Quae constantia, inquit, et perseverantia in tolerantia et fide certum et vobis et nobis documentum atque argumentum est futuri Dei judicii" ct. Sensus tamen ita languidior;

1) Ita quoque Theodoretus: οἴδαμεν δέ, καὶ ὡς ἴστε σαφῶς τῶν κινδύνων τὰ ἆθλα, καὶ τὴν τῶν οὐρανῶν προσδέχεσθε βασιλείαν, τοῦ ἀγωνοθέτου τὴν δικαίαν ἐπιστάμενοι ψῆφον.

2) Schol. ἀπόδειξις καὶ ἔλεγχος. Significat potius *declarationem*, quam *exemplar*, παράδειγμα.

qui enim in fide inest documentum justitiae divinae, nisi hominem, quod Paulinae menti plane adversatur, ejusdem velis constituere arbitrum? Quare cum longe plurimis tertium tenendum esse videtur, ut *calamitatibus* nempe regni divini causa toleratis, probari dicatur justum Dei judicium. Id vero quo fiat modo, Calvinus praeclare hisce verbis exponit: „Si tenemus hoc fidei principium, quod Deus sit justus mundi judex, ac ejus officium sit mercedem cuique secundum opera sua rependere: hoc alterum sine controversia sequetur, praesentem *ἀταξίαν* esse demonstrationem judicii, quod nondum apparet [1]." Praesens igitur isque haud raro infelix piorum conditio *vadimonium* quasi est a Deo nobis datum, fore, ut aliquando suum cuique reddatur. „Tantum autem abest, quod bene animadvertit Wetstenius, ut homines pii, si vexationes patiantur, incipiant de justitia Dei, quae bona malis immittit, dubitare; ut potius probatiores atque confirmatiores reddantur, atque tam certa spe futuram gloriam praecipiant, quam certi sciunt, se nunc malorum patientia defungi." Ita quoque Flattius cum recentiorum plerisque. Ingeniosior quam verior Grotii explicatio videtur esse, dicentis: „Haec ideo a Deo fieri sinuntur, ut aliquando Deus materiam habeat demonstrandae justitiae suae. Rom. III, 25." Quod haud procul abesse videri posset a decreto absoluto, ni cognitum satis esset, Grotium ab eodem plane fuisse alienum. — — Ad posteriorem vero quod attinet conjungendi rationem, ea quidem sequentibus refelli videtur; scilicet *εἰς τὸ καταξιωθῆναι* minus apte ab *ἀνέχεσθε*, quam ab *ἔνδειγμα* pendere putatur, sive, quod eodem recurrit, a *δικαίας*, ut extremis verbis ad Thessalonicenses applicetur judicii divini justitia. Quam interpretationem sequens versus ita confirmat, ut dubitationi vix possit locus esse. *καταξιωθῆναί τινος* non tantum: *propter meritum aliquid accipere*, sed etiam in universum: *alicujus rei fieri participem;* alteram hanc significationem Graecis longe usitatissimam esse, quis nesciat? Luc. XX, 35. XXI, 36. Hoc sensu, Pauli doctrinae, ut Flattius recte judicat, unice accommodato, fere abundat. Pontificiorum igitur de bonis operibus meritoque ex iis

---

1) Chrys. *Οὐκ ἄρα οὖν ἀπὸ τοῦ δυνατωτέρους εἶναι τοὺς ἀδικοῦντας τοῦτο γίνεται, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ δεῖν οὕτως εἰς τὴν βασιλείαν εἰσιέναι.*

derivato sententia hoc loco minime confirmari, per se patet [1]). Etenim si priorem etiam tenuerimus sententiam, nulli dubitaremus nostram facere hanc Cajetani observationem: „Non dixit: *digni sitis*, quoniam non sunt condignae passiones hujus temporis ad futurum regnum, sed: ut *digni habeamur ab ipso Deo.*“ Quod praeclare explicatur his Hunnii verbis: „Quemadmodum Lydius lapis non *facit* aurum, sed *probat* aurum et *declarat:* sic crux et afflictio non efficit nos dignos saeculo altero, sed probat, simusne digni, vel secus. Et quando constantes sub persecutionibus reperimur, tum certe crux ea facto ipso probat, ostendit et declarat, nos esse vera minimeque simulata fide praeditos, quippe quum nulla formidine persecutionum, nullo adversitatum periculorumve metu aut sensu excuti nobis patiamur, et proinde esse nos ex eorum numero, quos Deus *in Christo* pro dignis reputat.“ — Hoc autem loco nil diserte, nec de dignitate ex meritis, nec de justitia e gratia profecta, exponitur.

Regnum Dei, cujus illi, quorum spectata est fides, participes fieri dicuntur, duplici sensu hic accipi posse videtur, ut *βασιλεία τοῦ οὐρανοῦ* aut regnum significet visibile a Christo quandoque in terra condendum; aut regnum illud coëleste, omnibus temporum locorumve limitibus exemptum, aeternum, externis conditionibus non obnoxium. Nam tertia, quam ferre solent significatio, qua religionem Christianam, tanquam Dei regnum in terris condendum, designat, hic saltem non obtinere, iis, quae statim sequuntur et insequenti maxime capite satis superque probatur. Ex ambabus vero prioribus expositionibus quaenam potissimum praeferenda sit, non dijudicari potest, nisi perpensa in universo hoc loco cogitationum serie. Si locum per se spectamus, facillimum sane est, de futura Christianorum in coelo felicitate cogitare, quae cum reditu Christi e coelo haud raro arctissime conjungi solet. Locorum tamen, quae in prima epistola legimus, collatio, maxime 1 Thess. IV, 13 — 18. de regno post visibilem Christi reditum condendo, suadere videtur, ut in prioris sententiae transeamus partes. Quamquam si

1) Wolfius in Cur. p. 384 ad Gatackerum provocat ad M. Antonin. XII, §. 5. p. 423. Aliter paulo Bauerus in Philol. Thuc. Paul. p. 300., qui, postquam animadvertit ἄξιος pro ἱκανὸς poni, ita locum explicat: „ut apti idoneique reddamini et possitis sancti et beati fieri.“

in eo imaginem aeternae felicitatis tantum inesse aliquis diceret, haud equidem renuerim. Ne tamen hic longiores simus, ad ea remittimus lectorem, quae hac de re in prooemio expósituri sumus. Illud tamen post Hammondum animadvertimus, hic de futuro potius, quam de praesente Dei regno agi, quod verba innuere videntur: *ὑπὲρ ἧς καὶ πάσχετε*, si ea cum eorundem in versu insequenti contulerimus explicatione. (cf. quae monuimus ad 1 Thess. II, 12.)

In secunda hujus capitis parte justitia exponitur regni divini v. 6 — 10., ita tamen, ut arctissime haec cum antecedentibus conjuncta sint versusque quintus transitui quasi inserviat.

6. 7. *Siquidem*, pergit Apost., *ita fert Dei justitia, ut illis reddantur calamitates, quibus nos afficiunt, vobis vero relaxatio a malis, quibus cruciamini, cujus consequendae nobis certissima affulget spes.* —

Εἴπερ, ut bene habet Pelagius, confirmantis est sermo non dubitantis; non est *διϭταγμοῦ, ἀλλὰ μᾶλλον βεβαιώσεως, ἀντὶ τοῦ· ἐπειδὰν δίκαιον παρὰ Θεῷ*, quae Theophyl. est explicatio [1]). Rom. VIII, 9. — *Δίκαιον* — *παρὰ Θεῷ* non de essentiali Dei justitia, sed de gratia potius erga homines intelligendum est, quae aequo jure beneficia hominibus confert; alias enim legeretur: *δίκαιος ὁ Θεὸς ὥστε ἀνταπ. κ. τ. λ.* — Hominum hic maxime spectatur natura, quae aequa bonorum malorumque compensatione non minus necessario ac cibo et somno indiget [2]). „Naturalis, ait Turretinus, connexio est vel saltem esse debet inter virtutem et felicitatem, culpam et poenam, et

1) Theodoret.: *Τὸ εἴπερ οὐκ ἐπὶ ἀμφιβολίας τέθεικεν, ἀλλ' ἐπὶ βεβαιώσεως· καὶ γὰρ ἡμεῖς εἰώθαμεν ἰσχυριζόμενοι λέγειν· εἴπερ τόδε ἀληθές, ὥσπερ οὖν ἀληθές.* Et sane res per se certissima cum conditione sive dubitanter prolata eo efficacius proponitur, quoniam audientis legentisve ita provocatur judicium. Quod Chrys. innuit, dicendo, pro *σφόδρα δίκαιον* illud poni; *τίθησι τὸ εἴπερ τοῦτο ὡς ἐπὶ ὁμολογουμένων, — — ὡς εἰ ἔλεγέ τις· εἰ μισεῖ τοὺς πονηροὺς ὁ Θεός — — ἵνα ἐκείνους ἀναγκάσῃ εἰπεῖν, ὅτι μισεῖ.*

2) *Athanagoras*: *Ἄνθρωπος ὡς ἐνδεὴς δεῖται τροφῆς· ὡς δὲ θνητὸς διαδοχῆς· ὡς δὲ λογικὸς δικῆς.* In voce *δικὴ* maxime *talionis* inest notio. *Theodoretus*: *λέγει τοίνυν ὅτι δίκαιον καὶ πρέπον τῷ τῆς δικαιοσύνης νομοθέτῃ, καὶ ἡμᾶς ὑπὲρ τῶν τῆς πίστεως ἀμείψασθαι παθημάτων, καὶ τοὺς ἐναντίους δίκας εἰςπρᾶξαι τῆς ἀσεβείας. Ἔσται δὲ τοῦτο κατὰ τὸν τῆς συντελείας καιρόν.* Luc. XVI, 25.

sapientia Dei non patitur, ut ea in perpetuum confundantur. Quum igitur quodammodo misceantur in hac vita, necesse est, ut in altera separentur, Deique sapientia discrimen illud omnino postulat." — Bene igitur Theodoretus observat, haec ideo ab Apost. scripta esse, ut inter afflictiones consolationem illis afferant [1]). — *παρὰ Θεῷ*, לִפְנֵי, Prov. XIV, 12., a Flattio bene redditur: *judice Deo.* — Nullum adesse zeugma, quum *ἀνταποδοῦναι* verbum sit, quod vocant, medium, non est, quod moneamus [2]).

7. Ut mala vobis inferentibus igitur justa poena, ita vobismetipsis mala ferentibus liberatio ab illis continget. Sic *ἄνεσις* etiam 2 Cor. VII, 5. VIII, 13. voci *θλίψις* opponitur; neque vero relaxationem solummodo a malis, sed, ut ait Bengelius, abundantiam quoque bonorum includit. Non multum differt ab *ἀναπαύσει* [3]), quae hoc sensu haud raro occurrit et in versione Alexandrina V. T., et in ipso N. T.; neque diversi sunt *καιροὶ ἀναψύξεως* Act. III, 20. — *μεθ' ἡμῶν*, mecum, cum ipso Paulo, non, ut Bengel vult, cum sanctis Israelitis, quod contextui parum respondet [4]). Paulus profecto de sua electione satis erat certus; nec, quod Bensonius apposite animadvertit, quisquam dubitabat de futuris praemiis a Deo ipsi destinatis. Nolim tamen Flattio accedere, qui mira distinctione aeternam dicit felicitatem eorum, qui fidem amplexi sunt atque tenent, divinam quasi requirere justitiam et veracitatem; ejus vero modulum liberum esse gratiae munus [5]). Immo, quod in alterum cadit, ad alterum quoque necesse est, liceat transferre. Nihil jure a Deo expetere licet: utrumque potius simul a Dei justitia procedit, quae Christi respectu habita, gratiae induit indolem; neminem enim prae ceteris diligit

---

1) *Ταῦτα γέγραφεν ὁ θεῖος ἀπόστολος τοὺς τὰ δεινὰ ἐκεῖνα καὶ χαλεπὰ ὑπομένοντας τῇ τῶν μελλόντων ἐλπίδι ψυχαγωγῶν.*

2) Kuinoel. Obss. ex Apocryph. p. 148. ita quoque Hebr. גָּמַל.

3) Hesych. *ἄνεσις· ἀνάπαυσις.*

4) Chrysost. verba *ἄνεσιν μεθ' ἡμῶν* ita exponit: *Ἰδοὺ καὶ ἑτέρα παράκλησις. τοὺς κοινωνοὺς γὰρ τῶν θλίψεων καὶ ἐν τῇ ἀνταποδόσει κοινωνοὺς ἔχειν φησί. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ μεθ' ἡμῶν· συνάπτων αὐτοὺς ἐν τοῖς στεφάνοις τοῖς τὰ μυρία κατορθωκόσι καὶ μείζονα.*

5) Flatt. Vorlesungen über die Briefe Pauli an die Philipper ct. p. 397. „*Die Seligkeit der gläubigen Christen fordert gewissermaßen die Gerechtigkeit und Wahrhaftigkeit Gottes; aber die Größe derselben ist freies Geschenk seiner Gnade.*"

tantumque bonorum in quemcunque transfert, quantum secundum suam naturam et animi conditionem quisque ferre potest.

Ἀποκάλυψις τοῦ κυρίου sensu haud differt a παρουσίᾳ (1 Thess. III, 13. IV, 15.), quae non sine causa ita vocatur, quum scilicet in eadem Christi non tantum erit vera praesentia, sed revelabitur etiam gloria ac divinitas. Eodem fere modo Col. III, 4. φανέρωσις dicitur Christi, similique consilio additur: τότε καὶ ὑμεῖς σὺν αὐτῷ φανερωθήσεσθε ἐν δόξῃ. Ita Lucas quoque XVII, 30 de die loquitur, quo υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀποκαλύπτεται. — Id quoque, Calovio annotante, inest, ut innuatur, Christum quamquam non jam revelatum, tamen non procul a nobis abesse, sed invisibilem potius inter nos versari. Matth. XVIII, 20. XXVIII, 20: Joh. XIV, 23. XVII, 21. sqq. — ἀπ' οὐρανοῦ Matth. XXVI, 64.

Aderit autem, *angelis*, *qui majestati ipsius inserviunt*, ut recte habet Grotius, sive, ex Sebast. Schmidtii interpretatione, *per quos potentiam suam exercet*, stipatus. Ita Lombard., Luther., Calvinus. — Id saltem constat, angelos istos adjecta voce δυνάμεως accuratius describi; nam eorum sententia, qui cum Drusio hanc vocem per Hebr. צָבָא interpretantur, non multum habet quo se tueatur, quamquam versionis Peschito Syr. confirmetur auctoritate, quae habet ܥܡ ܡܠܐܟܐ ܕܚܝܠܗ. Recte Flattius observat, ordinem verborum, ut ita accipiantur, alium esse debere: μετὰ δυνάμεως ἀγγ. αὐτοῦ. Vocem ita posse accipi ex Alexandrina V. T. versione probari potest Exod. VI, 26. VII, 4. Psalm. XXXII, 6. ita apud Daniel. VIII, 10. et Jes. XXXIV, 4, 2 Reg. XVII, 16. δυνάμεις τῶν οὐρανῶν. In N. vero T. non invenitur hic vocis usus [1]). Hic igitur, quum nec internae, nec externae rationes hanc interpretationem tueri videantur, alii, ut nuperrime Schottius, vocem δυνάμεως adjectivi vices agere putârunt (cf. v. 9.), ut, sicut 2 Petr. II, 11., angeli describantur potissimi. Quam otiosa autem hic potentiae angelorum esset significatio! quare αὐτοῦ malim cum δυνάμεως, quam cum ἀγγέλων arctius conjungere, ut in vetere Scholio factum videmus [2]), a quo Grotii non differt

---

1) Num Theodoretus stat ab horum interpretum partibus, qui dicit: ἡγοῦνται δὲ τῶν ἀγγέλων οἱ δῆμοι. — ?

2) Schol. ap. Matth. τῶν τῇ δυνάμει αὐτοῦ διακονούντων· idem tamen addit: ἢ τῶν δυνατῶν ἀγγέλων αὐτοῦ, τῶν ὅλων δυνάμεως ὄντων.

sententia, supra proposita. De loco in universum cf. 1 Thess. IV, 14 — 18.[1]

8. Christus igitur subito apparebit, angelis, potentiae ejus inservientibus, ipsum comitantibus, *ἐν πυρὶ φλογός*, in igne flammae i. e. inter ignes flammas circumcirca spargentes sive flammiferos; sensu parum differt, quod in quibusdam codicibus legitur, *ἐν φλογὶ πυρός*, *in flamma ignis*, ut habet Tertull. adv. Marcion. V, 16. Prior lectio tamen quum multo sit difficilior, posterior e corrigendi studio profecta facile agnoscitur, eque loco Ebr. I, 7. huc translata esse videtur. cf. Ps. CIV, 4. אֵשׁ לֹהֵט Jes. XXIX, 6., ubi Alex. habet *φλὸξ πυρός*, quod saepius legitur. Semel tamen, quamvis metaphorice, de irae excandescentia conjuncta leguntur vocabula *πῦρ φλογὸς* Sirac. VIII, 10. — Pesch. [illegible], rapida vehementia ignis, quod tamen utrum alteram lectionem adjuvet, an liberior sit interpretatio, quum prius videatur, tamen ita nolim dijudicare, ut pro certo hanc sententiam habere ausim. Quod si ita esset, vetus Latina et Syriaca, antiquissimae versiones illam lectionem sustentarent, ut videri possit haud raro obviam fuisse in antiquissimo textu non recensito. Ebr. X, 27. legitur *πυρὸς ζῆλος*, sensu parum diverso. — Imaginibus P. utitur sibi inde a puero assuetis, ut Messiae depingat judicium; quas proprio sensu non intelligendas esse, hoc etiam arguitur, quod Christus ipse, de quo in prolegomenis disputandum est, iisdem imaginibus constanter non usus sit. Quare haud scio, annon Theophylactus nimis distinctas hic invenire sibi visus fuerit notiones, quum dicat: in igne flammae i. e. ardente tantum, non etiam lucente. Peccatoribus enim ardens et urens tantummodo est ignis, non lucens; justis autem lucens tantum, non autem inflammans etiam urensve ignis est[2]). Recte Grotius dicit: „Omnibus Dei judiciis solet attribui flammeus ignis.“ Quare in talibus minime argutandum, inque singula non nimis anxie inquirendum.

---

1) Usteri l. l. p. 194. sqq. et quae in prooemio proponemus.

2) Simplicissima est Scholii ap. Matth. explicatio: *πῦρ γάρ, φησιν, ἐνώπιον αὐτοῦ προπορεύσεται.* Calvinus recte: „Qualis, ait, futurus sit *ignis* ille et ex qua materia, disputandum relinquo hominibus stulte curiosis; mihi tenere sufficit, quod docere in animo habuit P., Christum injuriarum, quas nobis reprobi inferunt, severissimum fore ultorem.“

Cum reditu Christi peccatorum poena conjungetur; quare *διδόντος* ad *Χριστοῦ* referendum est. *διδόναι ἐκδίκησιν* (i. q. *ποιεῖν ἐκδίκησιν* Luc. XVIII, 7. 8.) Latinorum fere respondet formulae: *poenas dare*. Sed *ἐκδίκησις* proprie est vindicta (Hesych. *ἀνταπόδοσις*), quare desumtum esse videtur ex Hebraico נָתַן נְקָמָה 4 Mos. XXXI, 3. Ezech. XXV, 14. [1]). Castalio bene transfert: *Supplicium irrogaturus nescientibus Deum.* Extremas tamen voces rectius transtulisset: *Deum negligentibus sive non venerantibus.* Falso Bengelius interpretatur: *qui in ethnica ignorantia de Deo versantur.* 1 Thess. IV. 5, qui usus quum haud raro (Gal. IV, 8.) occurrit, tum vero hic non adhibendus est. Rectius Grotius: „qui Deum non noscunt i. e. non agnoscunt, qui non magis eum curant, quam Pharao (Exod. V, 2.). — Qui Deum nihil curant, evangelio J. Ch. obsequium non praestant: ideo additur *καὶ μὴ ὑπακούουσι κ. τ. λ.* Minus obedientia intelligenda est, qua praecepta ad mores spectantia peraguntur, quam animus ad fidem excipiendam paratus. Innuuntur ii, qui fidei resistunt eique obstinate sese opponunt. Simili usu a Demosthene usurpatur haec vox de eo, qui ad coenam ab aliquo vocatus, invitationi cedit. Ita עֲנָוָה a Symmacho redditur *τὸ ὑπακούειν* Ps. XVII, 36, quod de pietate est intelligendum. Alii tamen non unum putant idemque describi hominum genus; sed, ut Grotius, perhibent Apost. primum de eorum poena locutum esse, qui e gentibus oriundi Deum plane ignorent, tum vero de iis, qui tanquam Judaei, ab eodem quidem vocati, tamen evangelio ipsis oblato restiterint. Rom. X, 16. (VI, 17. 18.) Utrumque vero non divelli potest, rectiusque Turretinus: „Hic, inquit, notantur judicandi et duo eorum ordines statuuntur. Ex una parte increduli et immorigeri, — — ex altera parte credentes et sancti." Cur ii hic excludantur, qui Christum ore tantum, non corde venerantur? qui sane non leniore saltem sententia judicabuntur. Chrysost. animadvertit, consulto peccata hic ad Deum, non ad ipsos Christianos referri, ut videant non ipsorum, sed peccatorum causa illos poena affici [2]).

---

1) Locus 2 Sam. XXXII, 48. hic non afferendus est, quum *διδόναι ἐκδίκησίν τινι* ibi alio modo intelligendum sit: ulcisci aliquem, non ab aliquo.

2) *θέα δέ μοι σύνεσιν. οὐκ εἶπεν ἐνταῦθα· τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς*

9. Qui poenam luent sive solvent (δίκην τίσειν usitatissima formula) eamque acerbissimam, damnationem scilicet aeternam, exitium nunquam desiturum, tempori quippe omnino non adscriptum. Unde variis depingitur imaginibus interitum significantibus sine exitu: „Saepissime vocatur, ut Turretini verbis utar, *mors* sive *mors secunda*; alibi *vermis, qui non moritur*; alibi describuntur illae poenae tanquam *tenebrae exteriores, in quibus sunt flatus et stridor dentium*; alibi tanquam *ignis, qui absumet adversarios.*“ Matth. XXIV. XXV. Notionem ita describit Ambrosiaster, nec male: „Quos omnes, inquit, praesentia Domini et gloria majestatis ejus igni exuret, ut debitas reddant poenas interitus in aeternum; semper sentientes, non tamen penitus deficientes, ut ipsa poena illos quodammodo generet semper, quo consumantur.“ Marc. IX, 44.

Id quidem certum est, maximas dirissimasque describi poenas, quod insequenti potissimum confirmatur versu. Putarim eas in ipsa Dei ira positas esse, neque tempore nunquam desituras, sed tempus ipsum excedentes habendas esse, ut huc quoque quadret, quod Christus alio respectu dicit eos, qui ipsum non susceperint, *jam esse* judicio obstrictos sive damnatos. Si peccatum ipsum, e libertate humana procedens spirituale quiddam est, ideoque tempore exemptum, idem de peccatorum poena statuamus, necesse est. Quod tamen longius prosequi consilii exegetici vetat ratio, quum Pauli potius sit aperiunda cogitatio, quam nostra inferenda; eum tamen nusquam video de ipsius peccati natura aliquid constituisse, quod his quaestionibus solvendis inservire possit. Id tamen ex ipso hoc loco concluditur poenam in eo potissimum sitam esse, ut a Deo removeamur; in hoc vero ipso peccatum inesse, quis dubitet; poena igitur ab ipso peccato non differre videtur, nisi humanae libertatis ratione habita; ut scilicet peccantes a Deo abducamur; poenam luentes, quum jam nostram intellexerimus miseriam, a Dei conspectu retineamur. Matth. XXV, 46. *Aeterna* poena conjungitur cum promissis aeternae vitae [1]. Non tamen

---

ἀλλὰ τοῖς μὴ ὑπακούουσιν, ὥστε εἰ καὶ μὴ δι᾽ ὑμᾶς δι᾽ ἑαυτὸν ἀνάγκη, φησί, τιμωρήσασθαι αὐτούς;

1) Turretin. p. 409 — 442 locos S. Scr. expendit hac de re gravissimos; in argumentis vero, quae affert, formularum externarum

infitias iri potest vocem *αἰών*, עוֹלָם haud raro de longa tantum duratione, non de aeternitate intelligendam esse; ita quoque *αἰώνιος* Jud. I, 7. de igne, quo urbes Sodoma et Gomorrha eversae sunt. Hic tamen posset metaphorice ab aeterna harum urbium eversione ad ipsum ignem translatum esse. — *ὄλεθρος* i. q. *ἀπώλεια* Matth. VII, 13. summa miseria, cruciatus 1 Thess. V. 3. Interitus usitatissima metaphora a Graecis et Romanis quoque scriptoribus ita usurpatur. Sic Tiberius apud Suetonium (vit. c. 68.): „Dii me Deaeque, inquit, pejus perdant, quam quotidie perire sentio."

Verba *ἀπὸ προςώπου κ. τ. λ.* a *τίσουσιν* pendent, non ab *ὄλεθρον*· potest vero et ita duplici modo accipi, ut tamen semper respondeat hebraico מִפְּנֵי אֵל. Primum enim *ἀπὸ* negativam sive *privativam* habet vim, sicut cum verbis *κρύπτεσθαι, φεύγειν* ct. conjungi solitum est (Apoc. XX, 11, VI, 16. XII, 14. ubi omittitur verbum). Praegnantem, si hoc statuerimus, hic habebimus verbi usum. — Ita Jes. II, 19. verba מִפְּנֵי פַּחַד יְהוָֹה וּמֵהֲדַר גְּאוֹנוֹ ab Intp. Alexandrino ita redduntur: *ἀπὸ προς. τοῦ φόβου κυρ. κ. α. τ. δοξ. τ. ἰσχύος αὐτοῦ*, quare P. ad hunc locum allusisse videtur. Neque tamen hanc rationem sufficientem putarim, ut vertamus: *procul a facie Domini*, nisi alia accedat causa; neque tamen e contrario contendere licet, verba *ἀπὸ τῆς δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ* tanquam nimis emphatica huic significationi plane non accommodari posse, quum haec verba ita accipi queant, ut iis circumscribatur Dei majestas. — Posterior autem ratio, qua praeverbii *ἀπὸ* *causalem* tenemus eamque usitatissimam vim, ut *ἀπὸ προςώπου* sit circumscriptio simplicis *ἀπὸ κυρίου* (Act. III, 20. ct.) et usui et contextui satis respondet, ut ei calculum adjicere non dubitemus. Negligendum autem non est, haud sine causa ita circumscribi, quum vocis, quae ita affertur, pondus maxime augeatur. Eo restringendum esse videtur Flattianae annotationis momentum, *πρόςωπον* nonnunquam *vultum severum*, iram, quae in facie appareat sive *indignationem* significare, ut 1 Petr. III, 12. Ps. XXXIV, 17.; in quo Vorstium, Bensonium, Storrium (Opusc. III, p. 322.), alios

---

non egreditur ambitum; ut, quae sibi contradicant, componantur, ne tentata quidem solutione, quae rei indaget interiorem veritatem. cf. Usteri etiam p. 218. 19., qui locos colligit tantum, non altius exhaurit.

habet praeeuntes. Cum gravitate quadam Dei effertur nomen ut Jerem. IV, 26. *ἀπὸ προσώπου κυρίου καὶ ἀπὸ προσώπου ὀργῆς θυμοῦ αὐτοῦ.* Sic *α. προσώπ.* respondet Hebraico מִלִּפְנֵי 1 Sam. VIII, 18. Ita sane utrumque membrum satis bene sibi respondet: „*punientur a Domino et a majestate ipsius vim suam exserente;*" id vero est, si unum per duo (*ἓν διὰ δυοῖν*) hic redditum esse accipiamus, *immensa ejus potentia.* „A justi conspectu, ait Pelagius, sententiam damnationis accipient [1]." In verbis nimis argutari videntur, qui sicut Crocius id huic loco censent inesse, ut adversarii solo adspectu perculsi, velut fulmine prostrati, ruituri sint in ignem. Sensum bene declarat Hunnius, qui dicit: „faciem *Dei* malis non lucere amabili fulgore gratiae, veluti piis lucet, sed irato aspectu nil nisi horribilem indignationem ipsis minitari. Sentient robur infinitae fortitudinis Dei, cujus intolerabili pondere longe prementur gravius, quam si vastum terrarum orbem suis cervicibus impositum haberent." *Δόξα τῆς ἰσχύος* plenior formula pro *δόξα ἰσχυρὰ*, sive *ἰσχὺς ἔνδοξος* [2], quae utraque eodem hic recurrere videntur, modo judicis descriptionem, potentia sua terrentis, teneamus [3].

10. Haec poena adversariis tum continget, quum Christus venerit, ut per sanctos suos i. e. *a se sanctificatos* gloria ornetur. *ἔλθῃ cum infinitivo propositi* (Vater.) [4] *ἐνδοξασθῆναι*, הִכָּבֵד sive, quod Koppius haud male confert, הִתְפָּאֵר, quod cum praepositione בְּ saepe significat: *gloriam consequi e meritis in aliquem* (Jes. XLIV, 23. XLIX, 3.), sive, quae Kuinoelii sunt verba (Obss. ex Apocr. p. 148.) laudem et gloriam sibi comparare ex alterius conditione vel misera, vel beata, cujus

---

1) Chrys. *Ἀρκεῖ παραγίνεσθαι μόνον καὶ ὀφθῆναι τὸν Θεόν· καὶ πάντες ἐν κολάσει καὶ τιμωρίᾳ γίνονται. ἡ παρουσία αὐτοῦ τοῖς μὲν φῶς ἔσται, τοῖς δὲ τιμωρία. — — ὥσπερ γὰρ πλοῦτος αὐτοῦ ἐστὶ τὸ εἶναι πιστούς, οὕτω καὶ δόξα αὐτοῦ ἐστι τὸ εἶναι τοὺς μέλλοντας ἀπολαύειν αὐτοῦ τῶν ἀγαθῶν.*

2) Munth. e Diod. affert locum (p. 284. b. *ἀναλαβεῖν τὴν πάτριαν ἰσχὺν τε καὶ δόξαν*) huic simillimum.

3) Damascenus: *Ἀληθῆ τὴν ἀνταπόδοσιν κατασκευάζων, ἐκεῖνο αὐτοὺς τὸ κριτήριον ἵστησιν, ἐν ᾧ πάντως δικαία ἡ ἀνταπόδοσις, εἴτε κακῶν, εἴτε τῶν ἐναντίων*

4) Winer. N. T. Gr. I, p. 134. 4. Particulam *ὥστε* hic non esse supplendam, per se patet.

sim auctor. Maxime de Deo usurpatur beneficiis in homines exsertis laudis materiem iis praebente. Satis igitur bene Materus: „*Ἐν* bis post passiva, neque *a*, neque *inter*, sed *ἡ δόξα*, *τὸ θαυμαστὸν* cernetur *in*, *per* sc. beatis redditis iis, qui etc. cf. v. 12." Chrys. *ἐν* = *διά*. Qui credunt igitur, non *spectabunt* tantum Dei gloriam, sed ipsi quoque eam *experientur*. Quae Apostolo ubivis summae exsultationis causa est. Quid, quod dicit, Deum ipsum gloria auctum iri per credentes; quidnam cogitari potest, quo hi ipsi magis illustrentur [1]). — *ἐν ἁγίοις αὐτοῦ*, בִּקְדֹשָׁיו, per quos ii sunt intelligendi, qui a mundi quasi contagio immunes, soli Deo vivunt; non tam qui nomen Christi profitentur, quam qui cum eodem interno nexu conjuncti sunt. 1 Thess. IV, 3 — 8. — *θαυμασθῆναι*, Sapient. VIII, 11. pro נִפְלְאָה Aquila Prov. XXX, 18. *ἐθαυμαστώθησαν*, pro quo Alexandrinus *ἀδύνατά μοι νοῆσαι*. Jes. LXI, 12. Quae praeter opinionem eveniunt solitumque modum et ordinem excedunt, admirari solemus. Haud reprobanda igitur versionis Pesch. interpretatio, quae verbum sic circumscribit ܘܢܚܘܐ ܬܕܡܪܬܗ, *ut ostendat miracula ipsius*, quum simpliciter vertere potuisset ܢܬܕܡܪ. [2]). — Sapientiam, benignitatem et potentiam Dei mirabimur in exemplo omnium, qui credunt. *πιστεύσαντες* parum differunt ab *ἁγίοις*, quos in priore habuimus periodi membro; nam *credentium* vocabulum latius quodammodo patere, quam *sanctorum*, hisque solos e circumcisione, illis e gentibus significari conversos, quis b. Bengelio dabit? Mera sunt, si vera est lectio, synonyma ad augendam loci gravitatem conjuncta. Theodoretus vero, nexu et sensu annuentibus, legit *μὴ πιστεύσασιν*, in quo ni fallor Ambrosiastrum sibi habet adstipulantem, qui his verbis utitur: „Ipse enim clarus et mirabilis videbitur in eos, qui credunt exemplo et fide

---

1) Theodoret.: *Ἔδειξε δὲ καὶ τῶν πεπιστευκότων τὴν περιφάνειαν, αὐτὸν εἰρηκὼς τὸν θεὸν ἐν αὐτοῖς δοξασθήσεσθαί τε καὶ θαυμασθήσεσθαι.* Chrys. putat, Apostolum hic dicere, id Dei fore gloriam, si potentes, qui Christianos ante male habuerint, eos jam honore videant affectos: *δόξα αὐτοῦ γίνεται· μᾶλλον δὲ τοῦτο δόξα ἐστὶ καὶ αὐτῶν, καὶ αὐτοῦ· αὐτοῦ μὲν, ὅτι αὐτοὺς οὐκ ἐγκατέλιπεν, ἀλλὰ λαμπροὺς ἀπέδειξεν· αὐτῶν δὲ, ὅτι τοσαύτης κατηξιώθησαν τιμῆς. — δόξα ἐστὶ τοῦ ἀγαθοῦ τὸ ἔχειν, οἷς τῆς εὐεργεσίας μεταδῷ.*

2) Beyren l. l. p. 12. De voce *θαυμάζεσθαι* cf. Kypkium T. II, p. 341. 42.

Apostolorum, quum fuerint coronati, testimonium reddentes illis evangelio in die Domini. *Severus* autem apparebit *incredulis*, quum aeternis poenis coartari coeperint." Tamen in contextu quum desideretur vocula *non*, poterat nostram sequi lectionem et ad praecedentia spectare. Negari saltem nequit, apud Irenaeum (Feu. Ard. p. 402. d.), Tertullianum, Cyprianum aliosque patres Latinos negationis nullum reperiri vestigium. Quapropter in recepta acquiescimus lectione, omnibus testimoniis comprobata, neque internis argumentis plane destituta; certe vox πᾶσι ita facilius explicatur, praesertim vero verba interjecta, parenthesi includenda, ὅτι — ὑμᾶς, nisi illam lectionem tenuerimus, justam ac simplicem non admittunt expositionem. Difficultate tamen ne ita quidem carent; ad quam solvendam primum teneamus necesse est verba extrema ἐν τῇ ἡμ. ἐκ. cum ἔλθῃ esse conjungenda, minime vero, quod Pelagius praefert cum Ambrosiastro, cum parenthesi. Hic enim quum dicat: „quia fidem habuit testimonium nostrum supra vos in illa die adventus Domini," eo interpretationis ipse arguit falsitatem, quod pro praeterito illum diem habere videatur, qui tamen omnium consensu etiamnum futurus est. — ἐπιστεύθη autem triplicem admittit interpretationem, aut fide acceptum aut creditum est (Gal. II, 7.), נֶאֱמַן, aut confirmatur testimonium nostrum, ita tamen, ut aoristus praesentis praeteritive vices agere possit. Quare reliquorum vocabulorum ante omnia prius requirendus erit sensus quam dijudicare liceat, quidnam hic potissimum praestat. Vox μαρτύριον possetquidem proprie accipi, ut testimonium eodem significetur, si liceret ἐφ' ὑμᾶς accipere pro, de vobis, de vestra fide, caritate et spe, tum vero futurum necessario hic poni debuisset [1]). Quare rectius illam vocem translato sensu eoque metaphorico accipimus, ut respondeat Hebraico תְּעוּדָה Ruth. IV, 7, sive עֵדֻת Ps. CXXVII, 12. CXIX, 31. Ita Sir. XXXVI, 14. XLV, 22. de legibus Hebraeorum usurpatur [2]). Quod translatum ad N. T. usum de ipsa

---

1) Nihilo tamen minus Damascenus, quasi futurum legeretur: Ἡ ἀλήθεια, inquit, αὕτη, ἣν μαρτυροῦμεν ὑμῖν, τῇ πίστει ὑμῶν καὶ ὑπομονῇ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ πιστευθήσεται.

2) Huc Zonarae quoque locus, ad Canon. 1. Conc. Nicaen. II, p. 211. (citante Schleusnero) conferri poterit: μαρτύρια λέγονται αἱ τοῦ κυρίου διαταγαί, αἱ διαμαρτυρόμεναι καὶ παριστῶσαι, πῶς δεῖ

doctrina usurpari posse facile intelligitur, quum de ea quasi testimonium esset reddendum (Act. XX, 21.). Non differt hoc sensu a *κήρυγμα* (Schol. ap. Matth. e Theodoret.) 1 Cor. I, 6. *τὸ μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ* II, 1. *τοῦ Θεοῦ* 2 Tim. I, 8. Male Flatt. cum Storrio (Opusc. II, p. 106.) faciens, parenthesin rejiciens, verba extrema cum verbis interjectis connectens, aoristum pro futuro accipiens, ita hunc locum interpretatus est: „Quod de salute vestra praediximus, id illo tempore eventu firmatum erit, ut fidem negare nemo amplius possit.“ Ita Syr. Pesch. ܘܬܬܗܝܡܢ ܣܗܕܘܬܢ ܕܥܠܝܟܘܢ ܒܗܘ ܝܘܡܐ, et fides erit testimonio nostro de vobis illa die. — *Ἐφ' ὑμᾶς* sic facillime resolveretur, quod neque significare potest: *a vobis*, nec simpliciter: *vobis*, ut Hebr. respondeat לָכֶם (Flatt.). Conferendum potius Hebr. עֲלֵיכֶם, ut possit verti *inter vos*, melius tamen redditur: coram vobis, apud vos (Luc. X, 9.) quod ex propria testimonii significatione explicandum est Luc. IX, 5. — Praeterea verbum *πιστεύειν* hic non licet alio sensu accipere, quam in participio *πιστεύσασιν*, quod ipsis parentheseos verbis inserendis occasionem praebuisse videtur. Quapropter priorem vocis *ἐπιστεύθη* usum praeferendum esse censemus. *Clario* itaque accedimus, qui vertit: „quia creditum est testimonium nostrum h. e. praedicatio nostra inter vos,“ proprie *apud vos*. Bengelius, qui praepositionis proprium usum mordicus tenens, circumscribit: *ad vos usque, in oriente*, alienum quid textui inferre videtur. — Optime Flacius in Glossa: „Quod vero quasi per parenthesin, inquit, interserit, suum testimonium erga illos creditum esse, videtur declarare illud praecedens: *credentibus*, quasi diceret, quae gloria etiam ad vos pertinet, quandoquidem credidistis nostrae praedicationi [1]). Sententia, quae ad omnes spectat credentes, hac parenthesi ad Thessalonicenses quoque applicatur; itaque supplenda est enunciatio: *ergo et apud vos illustrabitur, quia scilicet vos et ipsi credidistis* [2]).“

Jam

βιοῦν ἡμᾶς, καὶ οἱ παραβάται τῶν τῷ Θεῷ διατεταγμένων τιμωρηθήσονται. *Calvin:* „Testimonium vocat doctrinam, quia Apostoli sunt Christi testes.“

1) Ita quoque Chrysost. Theodoret., (*τὸ ἐν τῇ ἡμ.* etc. *τῷ ἄνω ἀποδοτέον*, ad superiora referendum est.) Theophyl., alii.

2) Bauer. Phil. Thuc. Paul. p. 193.

Jam vero quaeritur, quonam spectet mentio hoc loco facta judicii divini; quae quum pendeat a commemoratione malorum a Thessalonicensibus perpessorum vix dubitari potest, quin taedium morae et dilationis lenire impatientiamque fraenare debeat. „Finis est, ait Calvinus, ut pii quasi oculis clausis praetereant breve hoc terrestris vitae iter, semper mente ad futuram regni Christi manifestationem intenti. Quorsum enim pertinet mentio adventus in potentia, nisi ut spe transsiliant ad beatam illam resurrectionem, quae adhuc abscondita est?“

11. 12. Tertia hujus capitis pars votum continet, quo Apost. testatur, se semper pro illis preces fundere, ut regni divini fiant participes. *Quamobrem semper precamur* (1 Thess. V, 17. et quae ibi annotavimus) *vestri gratia, ut Deus vos vocatione sua dignos habere velit* sq. εἰς ὃ i. e. διὰ τοῦτο. Pesch. ܡܛܠ ܗܕܐ, propter justum scilicet Dei judicium, gloriamque veris ejus cultoribus destinatam, quae in fide constantes maneat. — ἵνα ἀξιώσῃ, ut v. 5. καταξιωθῆναι. Duobus vero modis accipi solet, quum verbum ἀξιοῦν primum significet *dignum habere;* tum vero *dignum efficere.* Prioris usus exemplum, quod solum est in N. T., legitur Luc. VII, 7. [1]) forte etiam Ebr. III, 3., posterioris vero praeter nostrum locum nullum exstat satis certum exemplum; attamen ἀξίως τῆς κλήσεως Eph. IV, 1. nihil est nisi: *sicut dignum est vocatione divina;* praetereaque haec verbi significatio satis certa. Unde factum est, ut plerique interpretes Syri hic secuti sint auctoritatem, qui habet: ܕܢܫܘܘܟܘܢ ܐܠܗܐ, ut dignos vos *efficiat* Deus, eademque voce ܐܫܘܝ utitur Col. I, 12. pro graeco ἱκανοῦν. Quo sensu Bengelius; „Ante vocationem, inquit, nulla dignitas in nobis, 2 Tim. I, 9. postea demum confertur nobis eo modo, qui mox describitur.“ At vero, quum confitear, hunc aptissimum esse loci sensum, Thessalonicensium, qui jamdudum erant vocati, conditioni accommodatissimum, tamen subit dubitatio, an liceat omnino hanc verbi statuere significationem. Quare malim: dignos habeat, ut incertum sit, an vocabulum κλῆσις reddendum: *qui vocentur,* an *qui vocati serventur.* κλῆσις 1) vocatio, 2) vocationis modus sive ratio, 3) illud ipsum, ad quod quis vocatus est. Ita hic regni divini significatur gloria. Phil. III, 14.

1) Hesych. ἀξιῶν· ἄξιον ἡγούμενος.

Eph., I, 18. IV, 1. Ebr. III, 1. cf. 1 Thess. II, 12. Articulo *τῆς*, ut Beza observat, est vis *ἀναφορικῆ*: *ista* vocatione. Benson.: *ταύτης*. Pesch. habet ܠܩܪܝܢܗܘܢ. — Apostoli sententiam satis bene exponens his verbis utitur Hunnius; „Sicuti gaudemus, Deoque grates persolvimus pro laetis initiis et incrementis evangelicae vestrae cognitionis et pietatis: sic vicissim memores humanae imbecillitatis et insidiarum Satanae, Deum indesinenter oramus, ut vos coelesti vocatione ad vitam aeternam dignos in Christo habitos, dignos etiam sub examine crucis inventos et declaratos, porro etiam potenti sua dextra confirmet, ne hac tam sancta, tamque beata vocatione excidatis unquam.“ Damascenus hic sententiarum eum constituit nexum, ut Apostolum orare putet sine intermissione, ne illi constantia in persecutionibus probata superbia efferantur et amittant, quae hucusque gesserint [1]). Neque sufficit Apostolo, ut fides eorum servetur integra; immo ejusdem a Deo expetit argumentum. Ante obitum neminem beatum, e Chrys. animadvertit Damasc. Inde addit: *καὶ πληρώσῃ*. De voce *πληροῦν* cf. Rom. VIII, 4. 2 Cor. X, 6. Navis haud raro Graecis dicitur *πληροῦσθαι*, ubi omnibus rebus providetur ad iter perficiendum necessariis et maxime nautis ac remigibus ad eam ducendam necessariis [2]). In universum de supplendis adhibetur quaecunque desunt; tum vero de omnibus bonis large in aliquem erogatis. Hic autem objectum sive res, quae in illos copiose conferenda est, duabus constat partibus; primum enim illis optat, ut Deus compleat *πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης*. *Εὐδοκία* proprie bonum propositum sive *beneplacitum* significat; est vero verbum medium, quod potest in sensum vel bonum vel malum, accipi; hic vero priorem obtinere, nemo dubitat. Sed de eo quaerunt, utrum hic de conferente an de collata gratia divina; utrum

---

1) Damasc.: Orat *ἐναγωνίους αὐτοὺς ποιῶν. προσευχόμεθα γάρ, φησιν, ἵνα ἀξίους ὑμᾶς τῆς κλήσεως ποιήσῃ. τοῦτο δέ φησιν οὐχ ἀναιρῶν τὸ ἐξ ἡμῶν, ἀλλ' ἵνα μὴ μέγα φρονῶμεν ἐφ' ἑαυτοῖς· ἀλλὰ καὶ εἰς αὐτὰ ταῦτα, ἃ ἐργαζόμεθα ἐκ συγχωρήσεως* (quae perficimus, Deo concedente) *συλλήπτορα καλῶμεν Θεόν, ὡς εἰ θαρσήσωμεν ἐφ' ἑαυτοῖς, ἅπας ἡμῶν εὐθὺς ἀναλυθῇ πόνος.* Etiam Chrys. *Ὅρα πῶς ἠρέμα αὐτοὺς καταστέλλει· ἵνα γὰρ μὴ τῇ τῶν ἐγκωμίων ὑπερβολῇ χαυνωθῶσιν, ὡς μεγάλα κατορθωκότες, καὶ ῥάθυμοι γένοντο, δείκνυσιν ὅ, τι ἔτι αὐτοῖς λείπει, ἕως ἂν ὦσιν ἐν τῷ βίῳ τούτῳ.*

2) Exempla collecta sunt a Schleusnero in Lex. N. T. s. h. v. (ed 1819. p. 591.)

de beneficio Dei, an de mutatione hominis ex eadem profecta cogitandum sit. Illud omnes fere antiquiores tenuerunt interpretes, hoc ex recentioribus quidam. Calvinus et Beza prius praeferunt, vocem explicantes per *gratuitam benevolentiam.* „Sufficiebat quidem, ait posterior, unicum εὐδοκ. nomen, ut omnia in solidum a gratia proficisci intelligeremus; sed quum sibi nunquam satisfaciat Apost. in Dei praedicanda bonitate, adjicit ἀγαθωσύνης." Ita vocem εὐδοκ. Chrys. explicat per ἀρεσκεία, πεῖσμα, πληροφορία, quod Deo placet, certum atque constitutum est [1]), Luc. X, 21. Eadem tamen amorem sive benevolentiam etiam significat. Phil. I, 15. 17. Rom. X, 1. Quare recentiores, in altero membro de fide agi in Thessalonicensibus operante, animadvertentes, hic quoque bonum opus innui putarunt, ex fide profectum. Ita Grotius verba hic cumulata sic resolvit: ἀγαθωσύνη, ἥ ἐστιν αὐτοῦ εὐδοκία, *omnis bonitas Deo grata* ut vocem tamen ipsam εὐδοκ. ad Deum referat [2]); quo comparari posset Hebr. רצון בשׂיבמם cf. Luc. II, 14. de ipsa re Hebr. XIII, 21. (Flatt.). Alii tamen, *Thoma* praeeunte, de sola humanae voluntatis mutatione locum interpretantur, quum Dei immutabile sit decretum. Ita Noesseltius [3]) collato loco Rom. XV, 27. interpretatur: beneficentia a benevolentia profecta, ut non Dei, sed Thessalonicensium in alios beneficentia intelligenda sit. Sed εὐδοκία constanti usu voluntatem designat aliquid decernentem sive aliquam rem prae ceteris eligentem, nunquam vero beneficentiam sive caritatem per se. Quare, si quis ad hominem haec trahenda esse existimet, εὐδοκίαν τῆς ἀγαθωσύνης ita conjungat, ut beneficentiae sive liberalitatis innuat studium animumque ad eas applicatum. Neque vero haec interpretatio difficultate caret, quae maxime quidem in usu verbi πληροῦν inest, quod paulo sic videretur ineptius positum; sed maxime quidem adjectivum πᾶσαν sensu ita carere videretur. Ex quo efficitur ad priorem rationem redeundum esse; quare cum Hunnio facimus, qui hunc constituit loci sensum: „Precamur, ait, illum supplicibus

1) Idem: ὡσεὶ ἔλεγεν· ἵνα τὸ πεῖσμα τοῦ Θεοῦ γένηται, ἵνα μηδὲν ὑμῖν λείπῃ. Schol. vet. πληρώσῃ πᾶσαν ἀγαθὴν βουλὴν εἰς ὑμᾶς ὁ Θεός. Schol. ap. Matth. e Theodoreto excerptum.

2) Sirac. I, 23. Ἡ εὐδοκία αὐτοῦ (τοῦ Θεοῦ) πίστις καὶ πρᾳότης.

3) Opusc. Hal. 1771. p. 271. 72. *Schott.*: beneficentia omnis ex benevolentia profecta.

votis, ut compleat in vobis *πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης omne beneplacitum bonitatis*, ut, quod de vobis ad regnum suum vocandis paterne statuit ab aeterno et jam in tempore clementer coepit exsequi, potenter posthac etiam misericorditer continuet et pleno tandem complemento feliciter omnibus suis numeris absolvat et perficiat. Non tamen hic subsistit, sed addit *πᾶσαν*, quia non solum ipsum salutis aeternae complementum, sed plurima praedestinavit ad illud consequendum necessaria. Illorum omnium completionem precatur Apostolus. Immo, quia benevolentiam in Christo exhibitam non satis potest extollere, addit vocem *ἀγαθωσύνης*, ut singularem atque omnibus modis absolutissimam Dei bonitatem declaret, quasi nominaret benevolentissimam optimamque Dei voluntatem." — Quum igitur hoc Dei decretum nec sit absolutum, neque tamen pendeat ab hominis merito; ejusdem additur proxima conditio: *καὶ ἔργον πίστεως*· „nam ea demum opera Deo placent, quae ex fide nascuntur" (Grot.). Formulam minus apte Calixtus explicat circumscribendo: „opus fidei *quasi structuram fidei et fabricam*, quam Deus ipse suo spiritu et gratia exaedificat;" significatur potius operatio in ipsorum Thessalonicensium animis coepta Phil. I, 6., cui opponere non licet Jo. VI, 29., ubi *ἔργον* ex antecedenti quaestione explicandum, neque ad unguem usque resecandum est. — Alii vero, sicut Noesselt. beneficentiam intelligunt e fide profectam [1]. Provocat ad locum ex epistola ad Philippenses, quem modo excitavimus, sed falso intellectum et ad 1 Thess. I, 3., ubi tamen de formula *ἔργον τῆς πίστεως*, paulo tamen aliter, atque hic adhibita, fusius diximus. Qui ita explicant plerumque per enallagen numeri *ἔργα τῆς πίστεως, bona opera*, intelligenda esse putant (Pesch. ܥܒ̈ܕܐ ܕܗܝܡܢܘܬܐ). Neque hic quoque desunt, qui pro *πίστις ἐνεργουμένη (δι' ἀγάπης* Gal. V, 6.) positum esse existiment, sicut Vatablus, et Zancchius qui fidem vivam intelligit cum omnibus suis qualitatibus et effectis. Flattius incertus haerere videtur, utrum hosce sequatur, an pleonastice *ἔργον* appositum esse (quam tamen sententiam omnino rejiciendam esse ad 1 Thess. I. 3. demonstravimus) an, quod parum differt, effectui (*Wirkung*) significando additum esse accipiat. Koppius tamen, quod plerumque

1) Damasc.: ἵνα ἐνδυναμωθῶσιν ἔργῳ δεῖξαι τὴν πίστιν.

ei contigit, ubi dogmaticis opinionibus a recta via non deflectebatur, verum vidit. Simplicissime Calovius: „Non opera complenda vel perficienda, sed fides, quae est ἔργον τοῦ Θεοῦ. Nunquam hic complentur opera; sumus enim in statu *viatorum*, non *comprehensorum*, ut loquuntur Scholastici. — Alteram igitur tantum attingit rei partem Chrysostomi, Theodoreti (Schol. ap. Matth.), Theophyl., aliorum sententia, qui ἐργ. τ. πιστ. nihil esse putant, nisi ὑπομονὴν τῶν διωγμῶν sive ἐν τοῖς παθήμασιν, quae sane e fructibus est fidei illius a Deo in nobis operatae. Bensonius quum sanctam vitam in universum, tum vero maxime patientiam in rebus adversis intelligit, quo metam et ipse non tangit, quamvis ab eadem haud procul abesse videatur.

Jam restat, ut quaeramus, quonam extrema verba ἐν δυνάμει referenda sint: utrum conjungenda cum verbo πληρώσῃ, ut adverbii locum teneant (Grot.) sintque pro δυνατῶς posita, an cum substantivo ἔργον, quo significetur vis divina naturam humanam per fidem plane immutans, ut reddi possit per: δυνατώτατον ἔργον κ. τ. λ. Prior tamen ratio, ut per se simplicior, ita locis commendatur, quales Col. I, 29. Act. IV, 7. 2 Cor. VI, 7., et ad sensum quod attinet Eph. I, 19. Arabs hic plenius additis pronominibus, habet: وعمل الإيمان به بقدرته, et opus fidei in *ipsum* (Deum) per potentiam *ejus*.

Praeclare hunc quoque locum Hunnius exposuit, cujus verba iterum nostra facimus: „Meminerat modo, inquit, totius illius boni, quod obtigit Thessalonicensibus. Nunc ejus principalem partem exprimit fidem, quippe quae sola ceu manus apprehendit et possidet omnia bona et dona spiritualia, qua permanente salva, salva et inconvulsa manet omnis nostrae salutis ratio, labefactata vero et exstincta ea, protinus amittuntur universa reliqua. Orat igitur speciatim, ut opus fidei compleatur in iis cum potentia h. e. ut fides in J. Ch. potentia et virtute Dei in Thessalonicensibus ad finem usque servetur inconcussa. Ceterum *opus* illam nominat respectu *Dei* operantis eam in nobis, quemadmodum et Joannis sexto (v. 29.) fides appellatur opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit.“ Addito adverbio *potenter* Paulus, ut Calvinus animadvertit, „innuit, fidei perfectionem rem esse arduam et sum-

mae difficultatis. — — Nihilo enim facilius est fidem in homine perficere, quam turrim ex aqua struere, quae soliditate sua procellas omnes et tempestatum impetus sustineat, et altitudine nubes superet; neque enim nos minus fluidi, quam aqua, et fidei altitudo coelos penetret necesse est."

12. Ita agere decet, ait Turretinus, quasi omnia a nobis penderent, ita orare, quasi nihil a nobis penderet. Sic nobis pro virili laborantibus, Deoque gratiam suam largiente, opus salutis nostrae feliciter perficietur." Quod si fiet, nomen Christi in nobis glorificabitur (v. 10.), sicuti nos in Christo glorificabimur. Precamur a Deo, ut animum vestrum ita mutare velit, „ut Christi nomen in vestris actibus (addimus: et fide, e qua proficiscuntur) clarum sit; et vos ejus signis et virtutibus gloriosi," quae Pelagii sunt verba, qui bene addit: „expetit a nobis, quod possumus et, quod non possumus, largiatur." ὅπως ἐνδοξασθῇ, quum in hac, tum praesertim in futura, eaque beata vita cf. v. 10. Grotio mala potissimum obversantur illis toleranda; quare: „Nihil gloriosius, inquit, quam optima de causa pati pessima." (Joh. XXI, 19.) — Ὄνομα τοῦ κυρίου, sicut שֵׁם יְהוָֹה in V. T. haud raro occurrit, circumscriptio esse potest vocis κύριος. Attamen Bengelio malim accedere, qui dicit: „Nos nil Domino, Dominus nobis salutem revera confert; inde *nomen* illius glorificatur in nobis: *nos* autem in ipso [1])." Cujus tamen sententia ita restringenda esse videtur, ut Pauli animo tale quid obscure obversatum esse putemus, quum hanc potissimum formulam redundantem eligeret. — ἐν ὑμῖν — ἐν αὐτῷ, „in vobis et in eo: ut summa illa conjunctio et participatio capitis et membrorum expressius declaretur." (Beza) Bene igitur G. Calixtus: „Quum Christo, ait, gloriosum est, tam praeclaros habere fideles, tum fidelibus, tam bonum et magnificum habere Dominum: sed Christus, sicut diximus, quidquid in fidelibus praeclari est efficiendo, et illis et sibimetipsi imprimis gloriam conciliat [2])." Jejunior est Koppius, qui, praeeunte Theodo-

---

1) Loca vide ab *Altio* allata in Gramm. ling. Graec., qua N. T. scriptores usi sunt. Hal. Sax. MDCCCXXIX, quae nuncipsum mihi affertur, p. 37. et add. p. 178. 2. Quae quum omnia huc non sint referenda, miror tamen, hunc usum a *Winero* silentio praetermissum, itaque e pleonasmorum numero plane ablegatum esse.

2) Damasc. confert locum Matth. V, 16.

reto, dicit: „Illa ipsa, quam tum nacturi estis felicitas, et Christo et vobis laudi erit atque honori.“ Etenim non tantum de futura piorum conditione, sed de ea quoque gloria aperte loquitur Apostolus, quam quisque Christianorum tanquam membrum corporis habet, cujus Christus est caput [1]). — *καὶ ὑμεῖς* scil. *δοξασθῆτε*, quod zeugmate in tertia persona latet [2]). — Joan. XVII, 22. Col. III, 4.

Quid majus cogitari potest gratiae divinae documentum, quam gloria, qua homines, sua natura peccatores, per Christum a Deo ornantur? Unde additur: *κατὰ τὴν χάριν κ. τ. λ.* [3]), quae verba non, quod Flattio placet, ad solam extremam periodi partem, ut comma post *ἐν αὐτῷ* sit delendum, sed potius ad universum precum Paulinarum contentum referenda sunt. — Quaeritur denique, quod hic tamen parum refert, utrum Deus et Christus hic una sit eademque persona, quod, quum desit articulus apud vocem *κυρίου*, facile aliquis putaverit, an differant; quod si prius nullum ex interpretibus contendisse video, eam arbitror hujus rei esse causam, quod *ἡμῶν* priori *τοῦ Θεοῦ* adjunctum, quodque Paulo solemne sit, nunquam filii gratiam salutem hominibus conferentem sine patris mentione commemorare.

Sententiarum in duobus his versibus nexum quasi internum earumque eam seriem, quam Paulus in animo tenuerit, quum hoc votum faceret, satis bene Th. Beza assequitur, his verbis usus: „Pulchre exprimit hic locus omnes illos salutis electorum gradus, qui commemorantur Rom. VIII, 30. Nam *εὐδοκ. ἀγαθ.* propositum, praedestinationem, vocationem denique complectitur [4]): opus fidei justificationem: quam demum sequitur glorificatio, ea-

---

1) Chrys. *Ταύτην τὴν χάριν ἡμῖν αὐτὸς ἔδωκεν ὁ Θεός, ἵνα δοξάζηται ἐν ἡμῖν καὶ δοξάζῃ ἡμᾶς ἐν αὐτῷ. — — πῶς δοξάζεται ἐν ἡμῖν; ὅτι οὐδὲν αὐτοῦ προτιμῶμεν. πῶς δοξαζόμεθα ἐν αὐτῷ; ὅτι δύναμιν εἰλήφαμεν παρ᾽ αὐτοῦ, ὥστε μηδὲ ἐκδιδόναι τοῖς ἐπαγομένοις δεινοῖς.*

2) Schol. ap. Matth. *ἐν αὐτῷ· οὕτως ὑμᾶς νευρώσαντι καὶ δυνατοὺς πρὸς πάντα καταστήσαντι.*

3) Damasc. *Καὶ τοῦτο δεικνυσιν ἐκ τῆς χάριτος ἔχοντας τοῦ Θεοῦ τὸ δύνασθαι τοσούτους γενέσθαι ἐν ἔργοις λαμπροῖς. κἂν γάρ τις ᾖ τέλειός, φησιν, ἐν υἱοῖς ἀνθρώπων, τῆς ἀπό σου λειπόμενος σοφίας, εἰς οὐδὲν λογισθήσεται.*

4) Etiam Usterius l. l. p. 174. animadvertit Paulum discrimen haud statuere inter *κλητοὺς* et *ἐκλεκτοὺς*, haud tamen scio, an recte.

que omnia non partim ex gratia, partim ex libero arbitrio et inhaerente justitia, sed ex mera Dei gratia in Christo in solidum."

PARS SECUNDA.

C. II.

Quum ita de futurorum spe illos consolatus esset Apostolus, jam convertitur ad exponendam omnium rerum consummationem [1]). Quae tractatis duobus quidem constat capitibus; primum enim vv. 1 — 12. prophetiam exhibet, qua Thessalonicenses signa edocet, Christi reditum antecessura; tum vero vv. 13 — 17. gratiarum actiones, cohortationes precesque addit, cum priore tamen expositione, arctius conjuncta. Hi tamen versus aeque bene tertiae, quam secundae huic parti accenseri potuissent.

a. Exponetur *primum prophetia*, quae sane est difficillima. „Omnes prophetiae, priusquam habeant efficaciam, aenigmata et ambiguitas sunt hominibus. Quum autem venerit tempus et evenerit, quod prophetatum est, tunc prophetiae habent liquidam et rectam expositionem." De hac vero quum multum disputatum sit, eventumne jam habuerit, nec ne, eadem illudi videretur Irenaei dictum (Haer. IV, 42.), quo modo usi sumus, nisi id quoque addendum esset, prophetiam tum demum omnium oculis apertam patere, quum tota per omnes et singulas ejus partes eventu comprobata fuerit. Quare interpretationem hic et sententiarum expositionem a rebus significatis omnino sejungendam atque illam solummodo hujus loci esse censemus, ut, quae de his habemus in Excursu, huic sectioni subjungendo, tradere malimus. Multi hunc locum illustrarunt, e quibus ex antiquis scriptoribus ecclesiasticis Augustinum nominasse sufficiat, qui tamen confitetur, se hunc locum non satis intelligere [2]). E recentioribus Grotium praesertim dignum habemus, qui confe-

---

1) Theodoret.: *Οὕτω τῇ ἐλπίδι τῶν μελλόντων ψυχαγωγήσας αὐτούς, εἰς τὴν περὶ συντελείας διδασκαλίαν μεταφέρει τὸν λόγον.* Etiam Damasc. *Ἦλθεν*, ait, *εἰς τὸ προκείμενον· τοῦτο δέ ἐστι τὸ μὴ ὑπάγεσθαι τῇ τῶν ψευδοδιδασκάλων ἀπάτῃ, λεγόντων ἠγγικέναι τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου τὴν δευτέραν.*

2) De Civ. Dei XX, 19, 2. Epist. CXCIX, n. 11.

ratur, quum in omnibus fere a vulgari recedat sententia: fidelissima autem est et sana Calixti expositio hac de re solito multo uberior.

Jam vero primum ad proximum singulorum verborum sensum exponendum accingamur. Versibus primo et secundo Apost. hortatur Thessalonicenses, ne falsis opinionibus exspectationibusque ratione carentibus se perturbari sinant.

1. Rogo vos, fratres, quod attinet ad Christi adventum ad judicium, ne concutiamini ct. [1]) Haec sententia non satis accurate videtur proposita esse, quum potius dicendum fuisset; *hortor vos*. Sed recte a Theodoreto annotatur: *τὸ ἐρωτῶμεν ἀντὶ τοῦ παρακαλοῦμεν ἀεὶ τίθησι·* quod tamen eo restringendum est, ut concedamus, id nonnunquam saltem ita adhiberi. 1 Thess. IV, 1. V, 12. (Steph. Thes. I. p. 1904.) Ad verbum a Syro versionis Pesch. auctore reddi poterat per ܡܦܝܣܝܢ ܚܢܢ, quo vulgo exprimere solet Graecum *παρακαλοῦμεν*. Praepositionis *ὑπὲρ* duplex ab interpretibus constituitur usus, qui in hoc loco possit obtinere, alii enim, iique plures, usitatissimam adsciscunt significationem: *quoad* sive *quod attinet ad* i. q. *περὶ* (Phavorin.) cf. varia lectio ad 1 Th. III, 2. — 2 Cor. V, 12. VII, 4. (VIII, 23. 24. IX, 2. XII, 5.) ct. [2]) Alii vero jurisjurandi formulam hac voce significari putant; ita Ambrosiaster et Pelagius: per adventum, ut posita sit pro *διά*. „Obsecrat eos, ne leviter et facile de adventu quasi imminentis Domini opinionem reciperent." Quod si vero quis dubitaverit, *ὑπὲρ τῆς παρουσίας* ab iis pro obtestatione accipi, is legat, quae a Pelagio adduntur: „quo nobis verius nihil esse sum certus." Ita cum Vulg. etiam Erasmus, Calvinus et Beza. Sed rectum jam viderunt Grotius et Zegerus, unde Michaelis suo jure miratur, Salmasium sive, ut alii malunt, Schlichtingium, qui sub Joannis Simplicii assumticio nomine Grotii refutavit commenta (in Crit. sacr. Lond.), illam interpretationem, coactissimum sane, recoxisse. E recentioribus omnes, ni fallor, hanc sententiam reliquere,

---

1) cf. Fleck. de R. D. p. 366. Kuinoel Obss. ex Apocryph. p. 149. sqq.

2) *Winerus* II, p. 135. hunc usum a propria significatione verbi *ἐρωτᾷν* derivare videtur. Quae ibi exponuntur lectu sane sunt dignissima. *Altius* l. l. p. 194. §. 80. fin. causam sibi videtur in eo invenisse, propter quam ct.; in quo tamen Winerus multo accuratior est.

nisi forte ex Romanis interpretibus unus alterve, vulgatae versionis auctoritati adstrictus, eandem amplexus est. — Exhortationis igitur causa est gloriosus Christi adventus, cui adjungitur ἡμῶν ἐπισυναγωγὴ ἐπ' αὐτόν, nostri congregatio ad eum (Hieron.). Vox ἐπισυναγωγὴ semel tantum recurrit in N. T. libris, Hebr. X, 25. ubi de concione adhibetur Christiana; 2 Macc. II, 7. 13. 14. 18. IV, 39. de populi Israelitarum congregatione usurpatur. Non differt a simplici συναγ. recteque Theodoretus animadvertit, hujus loci sententiam apertius in priori epistola declarari, ubi ἀπαντήσεως Christianorum in nubibus occurrat mentio (IV, 14 — 17.) et Matth. XXIV, 31. ὅτι ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ καὶ συνάξουσι τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων. Marc. XIII, 27. 30. Illo tempore omnes veri Christiani conjungentur cum Christo. Bene animadvertit Salmas. „Christi adventum et nostram ad eum congregationem poni tanquam relatum et correlatum. Praepositione ἐπὶ Ap. utitur pro πρός, non tamen eodem modo, quam I, 10. quum hic potius pendeat a praeverbio ἐπὶ in substantivo ἐπισυναγ. quod proprie congregationem ad aliquem, inclusa finis significatione, innuit. Quam procul a vero absit Hammondi et Schoettg. atque aliorum commentum, qui hunc locum de eversione Hierosolymorum et ἐπισυναγωγὴν de conveniendi libertate, Christianis sub Trajano concessa intelligunt, quisque facile videt.

2. A verbo ἐρωτ. pendet εἰς τὸ μὴ σαλευθῆναι. Hortatur illos, ut omnino se perturbari non sinant; ex quo apparet adverbium ταχέως proprio loco non esse positum; quum vero id Apostoli animo obverteretur, Christianis maximum esse dedecus, si celeriter, et sine ulla contentione virium se abripi passi fuerint, hanc notionem alieno loco inculcat. Flattius totam periodum inversam esse putat, ut conjungendum sit εἰς τὸ μὴ σαλευθ. ὑπέρ, cujus tamen insolentioris conjunctionis idoneam desideramus rationem, quare in ea persistimus, quae supra a nobis accepta est. εἰς τὸ i. e. τοῦ μὴ σαλευθῆναι, ne quasi maris fluctibus circumagantur (נוּעַ) (Matth. XI, 7.). Saepissime de animo adhibetur, affectibus, πάθεσι, maxime vero timore aut ira, agitato. Act. XVII, 13. [1]). Haud

1) Apud Arrian. Epict. III. 26. legitur: μὴ ἀποσαλεύεσθαι διὰ σοφισμάτων, sed νοῦς non objective id significat, quod scitur sive pro vero tenetur.

dissimile est Romanorum *cadere animo*, a quo tamen ea differt, quod νοῦς, mentem designat ratione praeditam, ut ἀπὸ τοῦ νόος verti possit: ne vos abripi patiamini a constanti Christianorum spe seu ab ea animi constantia, quae hominem Christianum decet, sive, quae Vateri sunt verba: „deturbari a justo rationis usu," sive, ut Turretinus habet, *a mentis tranquillitate.* Alii tamen νοῦν potius ad rectam intelligentiam trahunt, ad *fidem*, ut ait Pineda, *Evangelii, quam mente perceperint.* Phil. IV, 7. Apoc. XIII, 18., alii angustiori etiam sensu de sola cogitant Pauli doctrina bene intellecta; ita Salmasius: νοῦν, inquit, hic intelligo eam sententiam, quam ab Apost. jam acceperant. Quo sensu Bengel. confert locum Rom. XIV, 5. Versio Sahid. cum codd. D. E. (Hug Einleitg. in d. N. T. I. p. 419.) adjiciunt ὑμῶν, quod maxime favet priori interpretationi, quam nos etiam tenemus, quamquam nihil hic mutandum esse in aprico positum est. — θροεῖσθαι a praecedenti σαλεύεσθαι parum differt; proprie enim significat *turbari* sive perturbari, θορυβεῖσθαι (Albert. Gloss. p. 149.), indeque transfertur ad omnes animi *perturbationes*, Marc. XIII, 7. (cf. Luc. XXI, 9. πτοηθῆτε) quo usu ab illo plane non differt. *Facile vero accidit cupidioribus sciendi futura* (Bengel.), ut vanis opinionibus terreantur et in transversum agantur „per somnia, quibus praetexitur spirit. revelationis nomen." (Beza.)

Adjiciuntur praecipua artificiorum genera, quibus Thessalonicenses facile constantia possint exui. Ne turbemini, monet Apost., μήτε διὰ πνεύματος. Sub hac voce possis intelligere internum quid: *motus* scilicet *spir. divini*, qui falso perhibetur; sed externa hic intelligenda esse videntur, quod tum ex membris parallelis, tum vero ex interna loci indole concludere licet. Quare cum Flattio intelligimus: „*id quod revelatum divinitus esse dicitur;*" de vera autem revelatione hic non cogitari posse, non sane ambiguum erit reputantibus, divina oracula atque praecepta non posse sibi invicem repugnare. (1 Joh. IV, 1. 2.) Paulus itaque ψευδοπροφήτην, *doctorem, qui revelationem prae se fert* (Flatt.), in animo habet, quales sunt, 1 Tim. IV, 1. προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις κ. τ. λ. [1]). Praecipit igitur, ut non credant iis, qui

---

1) Chrys. allato loco 1 Thess. V, 19 — 21. explicat: κἂν τις πνεῦμα προφητείας ἔχων, τοῦτο (quod prope adsit dies Domini) εἴπῃ,

dicant, diem consummationis et Domini statim esse appariturum; nec si vaticinandi sive prophetiae donum prae se ferant [1]). — „Quum enim evangelium, ait Seb. Schmidt, et quidquid in eo a me vobis pridem praedicatum est, sit infallibilis et immutabilis veritas coelestis, quam Spiritus veritatis sanctus nos docuit, omnem spiritum, qui aliud quid docuerit, oportet esse spiritum falsum et nos ipsi, si aliud evangelium sive loqueremur sive scriberemus, deprehenderemur mendaces et mutabiles, quod per omnem modum a nobis absit." Falso a quibusdam *πνεῦμα*, renuente usu, ad oracula veteris Test. trahitur falso intellecta. Sed ii quoque a vero aberrare videntur, qui *ὡς δι' ἡμῶν* ad hoc quoque referunt membrum, haud quidem obstante verborum structura, sed tamen vocis *πνεῦμα* usu, quod nunquam singulare aliquod designat oraculum; quod si indicare voluisset Apostol. sine dubio voce *προφητεία* usus fuisset. — Recte vero *ὡς δι' ἡμῶν* ad *λόγου* et *ἐπιστολῆς* referri videtur quum *λόγοι* et *γράμματα* solemni usu conjungantur. Sunt quidem, qui cum J. D. Michaelis *λόγου rationis* accipiant sive *computationis* sensu, quasi Christiani e doctrina Judaica de magno Sabbato et maxime e Danielis oraculis Domini reditum regnique millennis initium constituere studuerint. Quod quum probari non potest, tum vero ea vocis *λόγου* significatio idoneis argumentis non sustentatur; ubi enim rationem significat, ibi nexu tantum computationis accipit vim, sicut Matth. XVIII, 23. Alii cum Grotio rumores intelligunt de Apostolo sparsos, tanquam aliud nunc dicat, quam antehac dixerit. Pelagius *sermonem* innui putat *dialecticae*, quem Chrysost. haud diverso sensu per *πιθανολογίαν* interpretatur. Tritus est hic vocabuli usus. Act. XV, 27. Tenendus tamen esse videtur prior nexus, quo omnis tollitur difficultas, si acceperimus, quod per se sane verisimillimum est, falsos doctores ad dicta Pauli vel inventa, vel mala explicatione contorta, provocasse. Fortassis locum 1 Thess. IV, 15. 17. perverterant atque omnino priorem epistolam falso fuerant interpretati, accitis, ubi

---

μὴ πιστεύσητε· rectius tamen adjicit: *ἢ τοὺς ψευδοπροφήτας οὕτω καλεῖ πνεύματι ἀκαθάρτῳ λαλοῦντας.* Ita quoque Theophyl. et.

1) Sic fere Theodoretus, qui dicit: *Παρεγγυᾷ τοίνυν ὁ θεῖος ἀπόστολος, μὴ πιστεύειν τοῖς λέγουσιν ἐνεστηκέναι τὸν τῆς συντελείας καιρὸν καὶ παραυτίκα τὸν Κύριον ἐπιφανήσεσθαι, μήτε εἰ προσποιοῖντο χρησμῳδεῖν καὶ προφητεύειν* (quem Schol. ap. Matth. exscribit).

testimonia deerant, suppositis Pauli sermonibus. Ex quo simul explicatur, quod additum legitur: μήτε δι' ἐπιστολῆς, in quo nonnulli tamen vestigium invenere epistolae cujusdam Pauli nomine ementitae [1]). Cujus tamen rei quum praeterea nullibi inveniatur exemplum, dubito, an, re ipsa id non flagitante, hoc statuere liceat; favere tamen posset huic sententiae locus III, 17. ubi Paulus signum indicat, quibus ipsius epistolae dignosci possint. Quamquam id fortasse timebat tantum, quum non jam accidisset, adversariorum scilicet dispiciens falsitatem. — „Tres illos modos, ait Calovius, Apostolus removet, tum *immediatae revelationis*, tum *Apostolicae praedicationis*, tum *epistolicae scriptionis*." „Solent enim, ut Ambros. utar verbis, tergiversatores, ut fallant, sub nomine clari alicujus viri epistolam fingere, ut auctoritas nominis possit commendare, quod per se ipsum recipi non potest. — — Sed ut locum aut occasionem fallendi, quam se putat habere, tamen non habeat impudentissimus Satanas, tempus et signa adventus Domini designavit: quia non prius veniet Dom., quam regni Romani defectio fiat et pereat Antichristus." — ὡς δι' ἡμῶν sc. εἰρημένου καὶ γεγραμμένης. — Silentio praeterire nolumus, in versione Syr. Pesch. membra inverso ordine inveniri: primo enim verbum, tum spiritum, exhibet.

Additur terriculamentum, quo utantur adversarii perturbandis eorum animis: ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ κυρίου. — ὡς ὅτι pro οἷον εἰ sive ὡς ἄν. cf. Alberti Obss. phil. p. 318., qui locum confert ex Isocratis *Busiridis laudatione* p. 433. qui de Socrate dicit: κατηγόρουν δὲ αὐτοῦ ὡς ὅτι καινὰ δαιμόνια εἰσφέρει, *quasi induceret* [2]). (2 Cor. V, 19.) pro ὡς ἐνισταμένης τῆς ἡμέρας, *tanquam si instaret*. — Particulae ὡς, ὅτι pendent a θροεῖσθαι, et verba μήτε — — ἡμῶν pro interjectis sive pro parenthesi habenda sunt. — ἐνέστηκε, impendeat, proxime instet. Rom. VIII, 38. alias ἤγγικε Jac. V, 8.; quibus minime negatur diem Christi prope abesse, sed

1) Chrys. Ἐνταῦθα δοκεῖ μοι αἰνίττεσθαι περιϊέναι τινὰς ἐπιστολὴν πλάσαντας δῆθεν ἀπὸ τοῦ Παύλου, καὶ ταύτην ἐπιδεικνυμένους λέγειν ὡς ἄρα ἐφέστηκε ἡ ἡμέρα τοῦ κυρίου, ἵνα πολλοὺς ἐντεῦθεν πλανήσωσιν. Simili modo Theophyl. et Oecum. cf. Fabric. Cod. Apocr. N. T. Vol. I, p. 916 — 18.

2) Winer. I, p. 206. II, p. 196. 6. Zeun. ad Vig. p. 562. b. (cf. Hermann. ann. p. 853.)

potius affirmatur, de eodem nihil posse constitui, quo nomine juste ii poterant vituperari, qui nihilominus illud auderent. Apostoli igitur, quae sententia multis hodie placet, non errasse videntur, quum diem Domini propriorem adesse suspicarentur; simul enim sciebant, *a nemine eam praevideri posse.* Itaque id solummodo tenuisse censendi sunt, Christianos quovis momento paratos esse debere, qui Domino obviam irent.

Quis etiamnum dubitabit, quum singula hujus loci verba accuratius inspexerit, Apostol. hic de solemni illo Christi reditu ad judicium novissimum habendum verba facere? Nonne παρουσία et ἐπισυναγωγή aperte notiones sunt, quas vocant, correlatae? Quomodo Thessalonicenses, quorum urbs tam amplo spatio ab Hierosolymis separata est, tam anxie exspectassent hujus urbis eversionem? Praeterea, etiamsi haec argumenta per se gravissima omiserimus, satis superque priorum litterarum comparatio doceret, etiam hoc loco, quo illa accuratius exponitur, ne errores ex ea nascantur; de alia re non cogitandum esse, atque in ista. — Simul vero tenendum est, tempus, quo vixerint N. T. scriptores, ab iis non ideo dici ἐσχάται ἡμέραι similibusve nominibus, quod exspectarent finem mox affuturum, sed ea de causa, quod in eo videbant ultimae periodi initium omniumque praedictionum propheticarum typorumque V. T. complementum. Quod si tenuerimus, fundamentum quasi habebimus, cui hujus loci expositionem superstruamus.

3. Ad omnes ejusmodi errores jam extenditur Ap. oratio, quum addit: *ne quis ullo modo vos seducat;* in quo tamen ejus animo non obversantur nisi falsae opiniones de Christi reditu sparsae. Sapientissime, quum de tempore nil certi dici possit, Paulus ea potissimum affert, quae exspectationem et impatientiam curiosorum quam maxime restringere poterant. Quum in priore epistola eos consolatus fuisset, qui de sorte suorum eorumque praematura morte abreptorum solliciti essent; jam eos potissimum reprimere videtur, qui curarum aerumnarumque praesentium taedio oppressi, cupidius rerum omnium extremam vicissitudinem exspectabant. Sperabat enim fore, ut, si viderent multo etiam atrociora ante Domini adventum toleranda esse, ipse dolorum praesentium sensus malorum exspectatione leniretur et spes futurorum timori misceretur.

Ex cohortatione, quae latet in verbo *ἐρωτῶμεν* simile quid supplendum, *ὁρᾶτε* sive *φυλάττεσθε*, ut Koppius habet. Prohibitivam autem particulam *μὴ* haud raro elliptice poni satis notum est. — *ἐξαπατᾷν* parum differt a simplici *ἀπατᾷν*, est tamen significantius: *fraudibus aliquem pellicere et capere.* Periculum erat, ne, si crederent, finem mundi jam instare, negligentius administrarent res hujus vitae, et ne, quum experientia se delusos vidissent, de veritate dictorum Apostolicorum et Evangelii dubitarent. 2 Petr. III, 3. sqq.

Ne fallantur, duo hic ab Apostolo proponuntur signa, quibus Christi adventum prope ingruere cognoscere possint; primo *ἀποστασία* quaedam, in qua appariturus sit *ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας κ. τ. λ.*; tum remotio obstaculi cujusdam, eam adhuc retinentis. Quo haec modo intelligi queant, mox videbimus; hic primum de ipsis Apostoli verbis inquirendum est. Ubi in limine statim nodus dissolvendus est haud parum implicatus. Verborum enim structura hoc loco aperte imperfecta est, ut aliquid supplendum sit; nam *ἐὰν μὴ* nihil habent quo referantur, cum Flattio (cf. Storr. Obss. p. 345.) vero non licet pro Hebraismo illud habere, ut, sicut אִם לֹא significet: *profecto, sane* (Ez. XVII, 19. *εἰ μὴ*. Num. XIV, 28. Ebr. IV, 3. 5.); hic enim usus non obtinet nisi in jurisjurandi formulis *εἰ μὴ* 1 Reg. XX, 23. solitam retinet significationem. Marc. VIII, 12. est aposiopesis, si non illa ipsa jurisjurandi formula (Winer. I, p. 174.). Praeterea in versionibus Graecis nunquam illa formula redditur per *ἐὰν μή*. Simplicissime igitur periodum constituimus, si initio cum Ambrosiast. suppleamus [1]): non prius veniet Dominus *οὐ δύναται ἐλθεῖν ὁ Χριστός*. *ὅτι* sub initium ideo additur, quod Apostolus, sibi conscius, sua haec esse verba, quondam ipsis dicta, hac recordatione commotus ea quasi excitat. Sic facile explicatur, quomodo *ἀποσιώπησιν* sive anacoluthon hic commiserit, quum scilicet duas constructiones permisceat dubiusque quasi haereat, utram eligat. — Is certe loci sensus, quem Pelagius constituit: „Nisi Antichristus (antea) venerit, non vèniet Christus." — „Quo certius illud est, ait Vaterus, eo magis tenen-

1) Damasc.: *Ἀδύνατον γὰρ τὴν παρουσίαν τὴν δευτέραν ἐλθεῖν μὴ προαποδεδειγμένου τοῦ υἱοῦ τῆς ἀπωλείας.* Recte Schol. ap. Matth. hoc supplementum his verbis indicat: *ἔξωθεν ἐν τούτοις ὑπακουστέον τὸ οὐκ ἐπιστήσεται ἡ παρουσία τοῦ κυρίου.*

dum, quum difficiliora, minusque definita sint, quae de *παρουσίᾳ* ipsa sequuntur. Ea quidem non modo attingitur, sed exponuntur ante eam adhuc eventura, ita tamen, ut non nisi significetur Thessalonicensibus notam jam esse (v. 6.) Apost. sententiam de eo, quo eventus illi retineantur."

Ἡ ἀποστασία, defectio, diverso sensu usurpatur secundum id, a quo quis defecerit; ita haud raro significat defectionem a civitate quadam, rebellionem, seditionem denique in republica motam. Hic vero vix dubitare licet, quin defectio a fide Dei Christique sacris intelligenda sit, quo sensu jam in V. T. libris invenitur, ubi maxime idolorum cultum, tum vero in universum scelestos cujuscunque generis. Ita Alex. ad 3 Reg. XXI, 13. ed. Breiting. *ἄνδρες ἀποστασίας* pro אַנְשֵׁי בְלִיַּעַל. Aquila Jud. XIX, 22. saepius; pro מַעַל, praevaricatio 2 Par. XXIX, 19., pro סָרָה recessio sc. a Deo. Jer. XXIX, 32. Alex. Ita Act. XXI, 21. 1 Macc. II, 5. *ἀποστασία* proprio sensu est defectio a religione Judaica; ex quibus videmus, eam pro peccato in universo haud raro usurpari. Veri tamen simillimum est, propriam hic significationem retinendam esse, ut adversarius quidam intelligatur, ex ipso ecclesiae Christianae sinu profectus. — Chrysost., Theodoret., Theophyl. *ἀποστασίαν* putant esse ipsum Antichristum, ita vocatum, *ὡς πολλοὺς μέλλοντα ἀπολλύναι καὶ ἀφιστᾷν.* Idem a Paulo praedictum legitur 1 Tim. IV, 1. Non vero ipsam hic putamus designari Antichristi personam, sed potius secessionem, cujus ille erit auctor et signifer. „Apostasiam P. vocat perfidam a Deo defectionem: nec eam unius hominis vel paucorum, sed quae longe lateque in majori hominum multitudine grassetur." (Calvin.) In hac igitur voce res in universum significatur, quae tum imaginibus declaratur ab iis parum diversis, quae in Apocalypsi prophetisque V. T., Daniele praesertim, inveniuntur [1]). — Articulus aut ostendit hanc apostasiam aliquid esse omnibus jam notum, aut, quod propius a vero abesse videtur, ut tanquam insigne quid et inauditum minoribus

1) Bene exponitur *ἀποστασία* in Schol. ap. Matth. *ἡ διὰ τοῦ ἀντιχρίστου ἀλλοτρίωσις τῶν ἀνθρώπων ἀπὸ Θεοῦ.* Minus bene e *Theodoreto* additur: *Ἀποστ. ἐκαλ. τὸν Ἀντίχριστον κ. τ. λ. ἀποστῆσαι γὰρ ἅπαντας τῆς ἀληθείας πειρᾶται.* Rufinus de Symbol. p. 551. b. et Aug. l. l. vertunt: *discessio.*

ribus discessibus opponatur. Ita Storr. (Obss. p. 122.) Hebraeorum articulo dicit superlativum posse significari, Flattiusque in judicandis sequentibus; ὁ ἄνθρωπος — ὁ *υἱός*, eundem seguitur. Ambrosiast. » homo *ille*.

Apertius declaratur *ἀποστασίας* illius ratio: apparebit scilicet et quasi *revelabitur* *ἄνθρωπος ἁμαρτίας*. *ἀποκαλυφθῇ* binas hic admittit interpretationes: possis enim aut de eo cogitare, quod cum divina luce etiamnum ex parte abscondita, simul adest vis tenebrarum, quae magis magisque cognoscetur, luce scilicet magis magisque patefacta; quare illud tempus, quo lux tenebras est victura atrocissima quoque tenebrarum revelatio praecedat. Sic Turret.: „Revelatio illa opponitur quibusdam initiis occultis, quae jam exstabant, ut docet Apost v. 7.“ Hoc latere in idea de certamine utriusque regni, Dei et infernorum, haud facile negabitur. Aut possis, quod cum antiquorum plerisque malumus amplecti, parallelismum Satanae cum Christo in hoc loco statuere. Ut servator [1]), induta natura humana, suo tempore a Deo ex aeterno consilio definito, apparuit, ita vis etiam infernorum homo fiet, isque *delinquentiae,* ut loquitur Tertullianus [2]). Est igitur *ἄνθρωπος ἁμαρτίας*, quae Chrys. et Theodoreti est interpretatio, quandoquidem natura homo est, qui omnem operationem diaboli in se suscipit [3]). Sicut Christus ab aeterno apud Deum fuerat, suo vero tempore revelatus est, ita diabolus jam diu cum suis daemonibus de nocendo hominibus consilia ceperat, quae tum demum exsequetur, quum tanquam *Antichristus* regnum in terra condet [4]). Paulus, quod Bengelius. animadvertit, ad locum Zach. IX, 9. 10. alludere videtur; sicut Christus *ju-*

---

1) Theodoret.: *Μιμεῖται ὁ τῶν ἀνθρώπων ἀλάστωρ τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν τὴν ἐνανθρώπησιν· καὶ ὥσπερ αὐτὸς ἀνθρωπείαν φύσιν ἀναλαβών, τὴν ἡμετέραν ἐπραγματεύσατο σωτηρίαν· οὕτως ἐκεῖνος ἄνθρωπον ἐκλεξάμενος.*

2) Schol. ap. Matth. *ὥσπερ ὁ σωτὴρ τὴν ἡμετέραν φύσιν ἀναλαβὼν τὴν ἡμῶν σωτηρίαν ἐπραγματεύσατο· οὕτως ὁ διάβολος, ἄνθρωπον ἐκλεξάμενος πᾶσαν τὴν ἐνέργειαν δέξασθαι δυνάμενον, δι᾽ αὐτοῦ πάντας ἀνθρώπους ἀπατῆσαι πειράσεται, Χριστὸν ἑαυτὸν καὶ Θεὸν ὀνομάζων κ. τ. λ.*

3) Chrys. *ἄνθρωπός τις πᾶσαν δεχόμενος τοῦ Σατανᾶ τὴν ἐνέργειαν*, quem Theodoret. et Schol. ap. Matth. verbotenus exscribunt.

4) Chrys., Theod., Theophyl., Schol. ap. Matth. Antichristum intelligunt, cujus haec appellatio neque hic, neque Apoc. XIII, 13. invenitur, descriptio vero satis perspicua, ut eum agnoscas, qui 1 Joh. II, 18. 22. IV, 3. nominatur.

stus, salutis plenus et mansuetus, ita iste impius erit *homo peccati, filius perditionis, oppositus et elatus.* — Homo peccati pro *insigniter* scelerato Hebraismus est satis notus. „Parum autem erat Apostolo, inquit Calovius, dicere *ἁμαρτωλόν·* dicit *ἄνθρωπον ἁμαρτίας*, qui totus immersus erit peccatis, gurges impietatis, sentina flagitiorum, mancipium simul et auctor peccati."

Idem vocatur *υἱὸς τῆς ἀπωλείας*, sicut Judas proditor Joh. XVII, 12. simili appellatione, Hebraeorum more et ipsa composita, ex qua respondet illi אִישׁ בְּלִיַּעַל. Simili modo Jes. LVII, 4. legitur יַלְדֵי פֶשַׁע, *τέκνα ἀπωλείας* i. e. homines pessimi ib. I, 4. legitur בֶּן־מַשְׁחִית. Quare hic est descriptio, *insignis illius impostoris, qui multos ad defectionem a religione Christiana sollicitabit,* ut Schleusneri verbis utar [1]). Pauci tamen, quorum agmen Flattius claudit, malunt *ἀπώλειαν* intransitive accipere de malo sive damnatione perferendo, sicut *ἔθνος ἀπωλείας* Sir. XVI, 9. gens a Deo internecioni et exitio destinata. Bengelius [2]), collato loco Apoc. XVII, 8. 11. utrumque conjungit, interpretatus; „Filius ille perditionis, qui et quam plurimos in perditionem dabit praecipites et ipse in profundissimam perditionem abibit." Primam tamen sententiam tenendam esse putamus, quum Apostolus non in eo jam sit, ut hominis illius Antichristi sortem, sed potius in eo, ut ejusdem consilia et *ἐνέργειαν* describat. — Si Koppio Apostolus hic Danielis locum XI, 36. spectare videtur, illud eo saltem restringendum est, ut prophetae verba ei, sed nescienti, in animo haeserint [3]).

Ex Flattii sententia, qui Storrii affert Obss. p. 92. incertum est, utrum hic de uno tantum, an de pluribus loquatur Paulus, de genere quodam nequissimorum homi-

---

1) De hoc usu vocabuli *υἱός*, quo Adjectiva circumscribuntur, ut Substantivorum teneant locum, cf. Winer. I, §. 26. not. 2.

2) Ita etiam Chrys. et ad verbum *Theod.* secutus Schol. ap. Matth.: *ὡς καὶ αὐτὸν ἀπολλύμενον καὶ ἑτέροις πρόξενον ἀπωλείας γινόμενον.*

3) Ejus loci verba haec sunt: *καὶ ὑψωθήσεται καὶ μεγαλυνθήσεται ὁ βασιλεὺς ἐπὶ πάντα Θεὸν καὶ ἐπὶ τὸν Θεὸν τῶν Θεῶν, καὶ λαλήσει ὑπέρογκα.* Hic omni annotatione abstinemus; modo lectorem monemus vc. *σέβασμα*, in quo inusitati quid inest, hic non legi. Vitringa ad Jes. XIV, 13. 14. ad hunc locum ab Apostolo alludi arbitratur, quod Wolf. in Curis non improbat; hic autem locus sensum quidem similem refert, in verbis vero plane diversus est.

num. Is vero, qui et nostrum locum et ea, quae in loco excitato (§. XX, 1.) afferuntur, inspexerit, non sane doctissimi viri partibus accedet; attamen minime negamus, posse hic, quae ipsa illius sententiae acies esse videtur, abstractum, summam mali vim, personam induisse, omniaque, quae ad diversos nequitiae antesignanos pertineant, in unum quasi caput per prosopopeïam translata esse. Eo quoque recurrit, quod Turret. animadvertit: „posse titulos illos notare non modo individuum aliquem hominem, sed et seriem aut successionem hominum, in eodem gradu et nomine constitutorum.“ Verum idne hic locum habeat, nec ne, ibi demum effici poterit, ubi omnia, quae de hoc Antichristo dicuntur, colligentur atque judicabuntur. Quare ad cetera transimus expendenda, quae hic ei tribuuntur.

Et vocatur quidem *ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα.* Haec autem in una notione conjungenda esse satis docet articulus semel tantum adhibitus; itaque, quum *ὁ ἀντικείμενος* notio sit alii adstricta sive ab ea pendens (*Relativbegriff*), quaerendumque sit: cuinam oppositus? alterum membrum statim respondet: Deo omnique numini. Quod ubi tenuerimus, singula non ita sunt difficilia intellectu. — Ille igitur non ad idololatriam populos seducet, sed potius ad se ipsum, id vero est ipsum malum divino honore afficiendum [1]. *Ἀντικείμενος*, proprie oppositus, nempe *τῷ Θεῷ*, quod pro zeugmate ex *ἐπὶ τὸν Θεὸν* desumi potest. Alii autem, sicut Simplicius sive Salmasius, defectionis auctorem sive seditiosum intelligunt erga Deum, quod tamen sensu parum differt. Vcb. שָׂטָן ab Aq. et Symm. Gen. XXVI, 21. Alex. Zach. III, 2. et a Chrys. 1 Reg. V, 4. redditur per *ἀντικείμενος*. Hic vero ipse diabolus non intelligendus est, sed ejusdem, ut Gomarus loquitur, *primogenitus* et *satelles* 1 Tim. V, 14. Luc. XIII, 17.; ita passim in versione Alex. pro אֹיֵב. „Notandum autem, ait Polus, Antichristum ejusque satellites non apertos, sed occultos et intestinos Christi hostes esse, qui sub Christi

1) Chrys. *Οὐ γὰρ εἰς εἰδωλολατρείαν ἄξει ἐκεῖνος, ἀλλ' ἀντίθεός τις ἔσται, καὶ πάντας καταλύσει τοὺς Θεοὺς καὶ κελεύσει* (Schol. *ἀναπείσει*) *προσκυνεῖν αὐτὸν ἀντὶ τοῦ Θεοῦ καὶ καθεσθήσεται εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ, οὐ τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς τὰς πανταχοῦ ἐκκλησίας*, cui addit Schol. ap. Matth. *ἐν αἷς ἁρπάσει τὴν προεδρίαν, Θεὸν ἑαυτὸν ἀποδεικνύναι πειρώμενος.*

nomine Christum oppugnant." Inde *μυστήριον ἀνομίας* vocatur v. 7. — *Ἀντικείμενος* igitur est, quisquis *ἀνθίσταται τῇ ἀληθείᾳ* 2 Tim. III, 8. — Parum differt Calvini sententia, qui tamen oppositionem ad Christum potius transferre videtur, dicens: „Duo epitheta, scelerati et filii perditi, primum exprimunt, quam horrenda sit futura confusio, ne rei indignitas infirmos animos percellat: deinde pios ad detestationem inducunt, ne degenerent una cum aliis. Nunc vero Paulus quasi in tabula depingit vivam Antichristi effigiem: nam ex his verbis colligere promptum est, quale sit ejus regnum et quibus in rebus consistat." Non vero satis est Apostolo, ut illum depingat tanquam Dei veritatisque adversarium; tantus est ejusdem fastus et immanis superbia, ut supra omne, cui divinum nomen competit, immo supra ipsum Deum optimum maximum sese efferat, *corde*, *lingua*, *stilo*, *factis*, *per se*, *per suos*, ut Bengelius depingit illius insanum furorem. Est ille quidem *ὑπεραιρόμενος κ. τ. λ.* (2 Cor. XII, 7.), quo composito Apostolus utitur, ut eodem exprimat *fastus ὑπερβολήν*. 2 Macc. V, 23. *ὃς χείριστα τῶν ἄλλων ὑπερῆρτο τοῖς πολίταις*, qui omnium pessime super cives efferebatur. — *ἐπὶ* (Winer. I. §. 45. p. 165. l.) indicat id, quod supra aliqua re evehitur sive eam excedit. —

Πᾶς λεγόμενος Θεός, quisquis Deus vocatur i. e. *omne quod divinum est*, quod divino afficitur cultu. Utrum paganorum hic includantur Dii haecque formula respondeat Hebraico אֵל כָּל־אֵל, certo non ausim constituere. Hoc sensu Tertull. adv. Marc. I. „Nam et idola gentium, inquit, Dei vulgo: sed Deus nemo ea re, quod Deus dicitur." Koppius tamen, Grotium secutus, qui ad priorem inclinat interpretationem et, collato l. 1 Cor. VIII, 5., *λεγόμενον* ideo adjectum esse putat, ne quis illos pro veris Diis haberi animum induceret, ni fallor, verum vidit. D. Michaelis et Bengelii interpretatio, qui de angelis et de magistratibus cogitant, qui in terra Dei vices agant, ideoque Dii nonnunquam vocentur (quod per se minime negamus. Exod. XXII, 7. 8. Ps. LXXXII, 1. 6.) contortissima sane est locique contextui repugnat. *Vet. Lat.* et Hieron. habent: *adversus omne quod dicitur Deus;* ex quo tamen an *πᾶν* pro *πάντα*, legerint non satis certo effici poterit. Calvinus legit *πᾶν τὸ* pro *πάντα*. Quum vero obstet librorum mss. auctoritas, in-

tactum relinquimus contextum. — *Σέβασμα* est aut omne id quod colitur [1]), quod censetur Deus esse, aut hoc, per quod Deus colitur, in quo Dei consistit veneratio. Priorem interpretationem plerique praeferunt, quibus membrorum nexus et aequalitas favent. Ita Severus et Theophyl. *εἴδωλα.* Sap. XIV, 20. *τὸν πρὸ ὀλίγου τιμηθέντα ἄνθρωπον νῦν σέβασμα ἐλογίσαντο,* nunc pro Deo habebant. Sic Phot. Cod. CXLII. *τὰ τῆς Ἑλληνικῆς θρησκείας σεβάσματα Θεοὺς κ. τ. λ.* Cujus usus N. T. etiam offert exemplum. Act. XVII, 23. ubi *σεβάσματα* absque dubio sunt idola. Quapropter primam objecti partem: *omnem, qui Deus dicitur,* magis extendi putamus addito: *et omnino quodcunque numen divinum.* Alii, qui lucos, templa, sacrificia, aras, deorum statuas intelligunt, usu non plane destituuntur, quamquam pauca tantum habeant exempla, quibus rem suam defendant. Nullum saltem iis est in V. et N. T. libris, nisi locum ex Actorum libro excitatum cum Syro velis interpretari domum cultus vestri (ܒܝܬ ܕܚ̈ܠܬܟܘܢ), quod tamen aperte est falsum. Id vero non negamus ab ethnicis scriptoribus illum usum non plane esse alienum, sicut Dionys. Hal. Antiq. V, 1. legitur *τῶν περὶ τὰ θεῖα σεβασμάτων.* cf. Suicer. Thes. II. p. 942., qui Clement. Alex. affert locum Strom. VII. p. 700., in quo traditur solum verum Deum *σεβάσματι καὶ σιγῇ μετὰ ἐκπλήξεως ἁγίας σεβαστόν, cultu* et silentio ct. colendum. Potiore autem usu cum nexu, qui in hoc loco obtinet, annuente, malumus vertere: *sese efferens supra omne quod divino nomine vocatur divinisque honoribus colitur,* quod tamen sensu parum differt a Koppii interpretatione: „Deorum omnium omnisque divini cultus superbus contemptor.“ Hieron. ad Algas.: „Extolletur supra omne, quod dicitur Deus, ut cunctarum gentium Deos et probatam omnem et veram religionem pede suo calcet.“ Longius a vero abesse videtur Salmasius, cui ille *homo est, qui omnia, divina simul et humana jura contemnat.* — Huc nihil pertinet, in quo aliqui interpretes tamen lapsi sunt, *σεβαστὸς* i. e. Augustus, titulum fuisse Caesarum Romanorum.

Omni numine divino spreto, ipse in medio templo considet seque Deum esse declarat. *ὥστε* minus hic consilium, quam sequelam innuere videtur. Pro *αὐτὸν* Gro-

---

1) August. contra adv. Leg. et Proph. II. c. ult.

tius mavult *αὐτόν*, cui Koppius adstipulatur. „Quod si enim verbum *καθίζειν* [1]) sensu neutro accipiatur pro *sedere*, quod ex vulgari lectione *αὐτὸν* fieri necesse est, tum partim *αὐτὸν* prorsus redundare, partim *εἰς τὸν ναὸν* pro *ἐν τῷ ναῷ* durissime dictum videri, est confitendum [2]). Contra *καθίζειν* transitive dictum vide 1 Cor. VI, 4. Eph. I, 20.“ Quibus v. d. rationibus permotus ejusdem sententiae accedere minime dubitamus, cui Syr. P. etiam favet, quae habet ܟܠܠ ܢܣܡܝܗ. — Ad loci vero sensum quod attinet, cum Augustino (de Civ. Dei. XX, 19.) fatendum est: „In quo templo ut Deus sit sessurus, incertum est; utrum in illa ruina templi, quod a Salomone rege constructum est, an vero in ecclesia (cf. Chrys., Theodoret.), Non enim templum alicujus idoli aut daemonis templum Dei Apostolus diceret. Unde nonnulli non ipsum participem, sed universum quodammodo corpus ejus i. e. ad eum pertinentem hominum multitudinem simul cum ipso suo principe hoc loco Antichristum intelligi volunt. Rectiusque putant esse, Latine dici, sicut in Graeco est: non in *templo* Dei, sed in *templum* Dei sedeat, quod est ecclesia.“ Omnia tamen et singula quum accuratius inspexerimus, ea nos nisi adigent, suadebunt saltem, ut aliquid allegorici sive symbolici in hoc loco inesse putemus. Quapropter nulli dubitamus sub illo Dei templo ecclesiam Christianam intelligere. Templi Hierosolymitani enim, quod solum praeterea hic dici poterat templi nomine, eversio idque nunquam restitutum iri, disertis verbis ab ipso Christo praedictum fuerat Matth. XXIV, 2. Bengelius illud templum intelligit, de quo legimus Apoc. XI, 1., quod tamen quum proprie minime intelligi possit, a nostra sententia parum videtur abesse. Tertullianus (Apol. c. 30.) de Romanis imperatoribus hunc locum intelligit, qui „a Deo sunt secundi, post Deum primi, ante omnes et super omnes Deus,“ in quo nostris temporibus nemo illi adstipulari debuisset. — Verba *ὡς Θεὸν* suspe-

---

1) In *sedendi* verbo, ut hoc obiter moneamus, illud inest, ut hoc templo tanquam suo potiatur; neque argutandum est cum D. Michaelis, qui dicit: *In dem Tempel durfte kein Sterblicher sitzen, sondern nur stehen oder vor Gott auf sein Angesicht fallen.*

2) Thomas quidem Magister recte docet: *τὸ καθίζω οὐ μόνον τίθεται ἀντὶ τοῦ ἕτερον ποιεῖν καθίζειν, ἀλλὰ καὶ ἐμαυτόν.* Tum vero non adjectum esse deberet *αὐτόν*, objectumque potius supplendum esset.

cta sunt, quum in multis bonis codicibus desiderentur a nonnullisque versionibus (Vulg.) patrumque expositionibus absint. Nexui vero ita sunt accommodata, ut bonum illa habeamus interpretamentum [1]. — Apostolus, quae Salmasii est observatio, ut in prophetiis mos est, obscuriore utitur loquendi ratione. —

Ἀποδεικνύναι τινά τι, declarare aliquem aliquid, ut *βασιλέα* (Herodian.), regem 1 Cor. IV, 9. hic, ut Chrys. bene observat, pro *ἐπιδεικνύναι πειρώμενον* [2]) i. e. *σπουδάζων Θεὸς νομίζεσθαι*, quae sunt Philonis verba de Caligula. — In quo nihil inest insoliti; sed miro modo a vulgari verborum structura recedunt verba *ὅτι ἐστὶ Θεός*, pro simplici *Θεόν*. Duplex quidem verborum nectendorum genus hic permisceri videtur; est enim *αὐτὸν* per attractionem in accusativum casum conversum pro *ἐπιδ. ὅτι αὐτός κ. τ. λ.*; tum vero dici debuerat *αὐτόν, ὅτι εἰμί*, ut propria reddantur illius verba. Facili vero commutatione utrumque conjungitur. *Altius* (Gr. §. 86. 1. n. 2. p. 228.) quidem ultima verba *ὅτι ἐστὶ Θεὸς* appositionis instar ad antecedentia *ἀποδεικ. αὐτόν, indem er sich ausweisen wollte*, sc. *als einen Gott*, quibus sententia finiatur, adjuncta esse putat. Quod a nostra sententia parum recedit, nisi quod A. attractionem neget hic statuendam esse; Wineri tamen habemus auctoritatem, quo nostram tueamur interpretationem (Gr. I, p. 186.); et confitemur nos non dispicere, quomodo significatio ejus, pro quo aliquis declaretur, in ipso objecto latere possit. Nam Vulgat. interpretatio: ostendens se, tanquam *sit* Deus, conjunctivum huic loco invito obtrudit.

„Haud existimandum est, fore, ut in medium prosiliat hominum quidam, qui clamet se Deum esse, creatorem coeli et terrae, aeternum et infinitae sapientiae et potentiae. Neque enim *mysterium* id esset, sed res ridicula, et insulsum istum Divinitatis candidatum mortales in carcerem compingerent, vel Anticyram migrare juberent. At, uti nos docuit Spir., mysterium peragetur, quod

---

1) Arianum quid inesse videtur in Theodoreti hac observatione: (ad v. 10.) *ὁ μὲν κύριος Θεὸν ἑαυτὸν προφανῶς οὐκ ἐκάλεσεν· ὑπὸ δὲ τοῦ πατρὸς ἀπεστάλθαι καὶ ἐντολὴν εἰληφέναι καὶ τὰ ἀρεστὰ ποιεῖν ἔλεγε τῷ Θεῷ καὶ πατρί. οὗτος δὲ* (Jo. V, 43. *ἄλλος ὃς ἔρχεται ἐν ἰδίῳ ὀνόματι*) *τοὐναντίον ἑαυτὸν ἀποκαλέσαι τῶν ὅλων Θεόν.*

2) Chrys. *καὶ γὰρ ἔργα μεγάλα ἐργάσεται καὶ σημεῖα ἐπιδείξεται θαυμαστά.*

in oculos et sensus omnium non incurrat.“ Haec Calixti verba ad illustrandum hujus prophetiae proximum sensum viam nobis aperiant. Quem in finem complectamur, quae ex iis concludi possint, quae huc usque de Antichristo illo lecta sunt. Ea vero haec fere sunt: 1) Magna defectio erit eaque ex ipso ecclesiae Christianae sinu profecta; 2) idque fiet per hominem quendam, qui prae ceteris peccator dici mereatur, multosque seducet, ut ad signa ipsius transeant. 3) Idem omnibus Diis se ipsum substituet, templumque Dei occupabit, Deum vel se ipsum nuncupans vel ejusdem saltem sibi arrogans auctoritatem, Deusque vocari haud renuens. 4) Non diu ante Domini παρουσίαν id fiet, unde excluduntur *a*) *Grotii* hypothesis, qui Caligulam, *b*) aliorum, qui in universum Imperatores Romanos eosque ethnicos intelligunt, *c*) *Hammondi* sententia, qui, ut assolet, hic etiam Gnosticos insectatur, *d*) *Clerici* opinio, qui de Hierosolymorum excidio cogitat, *e*) *Schoettgenii* commentum, qui Pharisaeorum, quantum fieri potest, auget potentiam et auctoritatem, quo tali praedictione dignos faciat. De iis quae nobis quidem hac de re a vero propius saltem abesse videantur, in fine hujus sectionis fusius tractabimus. Utrum vero de uno quodam homine, an de pluribus et praesertim de uno quasi ordine sive potentia quadam humana, quam serie quadam alter ab altero accipiant, hunc locum intelligere debeamus, primo quidem obtutu non satis liquet. Attamen id teneamus necesse est, unum saltem ex iis primas quasi partes acturum, ut in eum peculiari quodam sensu haec omnia quadrent. Cf. quae hac de re supra proposuimus.

5. Jam vero in mentem venit Paulo, quibusdam facile in his omnibus novi et inexauditi quid inesse posse; quare illis in memoriam revocat se sibi non contradicere atque harum rerum summam saltem jam olim, quum apud eos versaretur, iis tradidisse. „Forte non istas distincte et praecise circumstantias omnes hujus Apostasiae notaverat; sed tamen in genere praeierat.“ (Turret.) Unde facile accidere poterat, ut quis doctrinam sub nova forma traditam non pro vetere agnosceret sibique jam cognita. Fortassis etiam vituperatio quaedam in his verbis latet, quod tam cito eorum obliti fuerint, quae eos edocuisset, ut tales apud ipsos oriri potuerint dubitationes. Id Baumgartenius suspicatur. Etiam Calvinus: „Est haec paterna

exprobratio, quod oblivio rei tam seriae et utilis obrepserit. Male Grotius: „Non nunc primum haec dico, ne nunc me ista comminisci putetis lucrandi temporis causa," quem Simplicius refellit, qui bene dicit: „Ideo haec addit, ut, recordantes id ipsum se antehac ex Pauli ore audivisse, tanto certius ei rei crederent [1])." — Theophylactus ex hoc loco concludit, magna mysteria tradita esse, quae litteris non sint mandata. Etiam Calixtus: „Apparet, hic aliqua subticeri, quae coram quidem essent exposita, sed non ita tuto litteris credi possent. πρὸς ὑμᾶς 1 Thess. III, 4. i. e. παρ' ὑμῖν.

Mirari forte quis posset, haec mysteria inter prima doctrinae Christianae lineamenta habita fuisse; sed is temporum illorum secum reputet rationem, et Pauli mirabitur sapientiam.

6. *Nunc vero scitis, quidnam cohibeat illum ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας eumque impediat, quo minus in lucem prodeat.* Hic omnia sunt difficillima, quoniam Pauli sermones, quos ipse hic affert et quasi commentatur, nobis ignoti sunt.

Particula *νῦν aut* cum Bengelio et Storrio (Opp. III, p. 328. sq.) antitheton haberi potest τοῦ ἔτι in versu antecedente, ut vel ad ea referatur, quae vv. 1 — 4 ab Apostolo scripta fuerant, quibus ea dilucidius exponerentur, quae olim obscurius essent dicta, vel ad ea, quae ore quondam tradita, in memoriam solummodo revocanda erant; *aut* cum Koppio et Flattio illud pro mera particula transitiva habere licet: *igitur* seu *nunc igitur* [2]); *aut* denique in alienum locum, ut in loquendo haud raro accidere solet, translata est illa vox, ut conjungenda sint verba: καὶ τὸ νῦν κατέχον. Cujus vero transpositionis quum nullam videamus causam, quumque a stili Apostolici simplicitate ea ratio abesse videatur, quam primo loco posuimus, ut alteram potius teneamus, omnia suadent.

Difficillimum vero simulque gravissimum hic est definire, quidnam sit τὸ κατέχον. In verbo κατέχειν nihil quidem inest difficultatis, quum illud saepe occurrat *cohibendi retinendive* sensu, ut Chrys. explicat: τὸ κωλύον. Id quoque non ita difficile est judicatu, num persona

---

1) Chrysost. ἀναμιμνήσκει γοῦν αὐτούς, καὶ δεικνυσιν ὅτι οὐδὲν ξένον λέγει, ἀλλ' ἅπερ ἀεὶ ἔλεγε.

2) Matth. gr. Gr. §. 607. II, p. 1216.

quaedam intelligenda sit, an res, qua mali sive Antichristi etiamnum cohibeatur furor; nam insequenti versu idem appellatur ὁ *κατέχων*, quem ab isto non diversum esse, nemo, puto, negabit. Cur autem neutrum hic pro masculino adhibeatur, ejus rei Vaterus idoneam reddit causam: „alioquin enim, ait, proximum vc. *αὐτὸν* illuc, non ad *τὸν υἱὸν τῆς ἁμ.* referretur [1].“ Quaenam vero sit illa ipsa persona, an homo quidam sive hominum societas, an vero per prosopopoeïam ipsa divina gratia, de eo minime consentiunt antiquiores interpretes, nec recentiores [2]. Schoettgen. *preces Christianorum* intelligit, Koppius *ipsius Apostoli* studia. Patrum plerique de Imperio Romano cogitant. Ita *Tertullianus* [3]: „Quis, inquit, nisi Romanus status, cujus in decem reges abscessio dispersa Antichristum superducet, et tum revelabitur iniquus?“ Hieronym. ad Algas. quaest. 11. „Nisi fuerit Romanum imperium, ait, antea desolatum et Antichristus praecesserit, Christus non veniet. Non vult P. aperte dicere, Romanum imperium destruendum.“ Sic etiam Beda, Glossa ordin., Lombard., Anselm., Th. Aquinas. — Cautius *Augustinus* versatur in interpretando hoc loco: „Quid detineat i. e. quid sit in mora, ait, quae sit causa dilationis ejus, ut reveletur suo tempore, scitis,“ — quod accuratius a Pelagio definitur, qui dicit: „quae mora est, ut *non* veniat,“ — Ille autem pergit: „Quoniam scire illos dixit, aperte hoc dicere noluit. Et ideo nos, qui nescimus, quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id, quod sensit Apost., cupimus, nec valemus. — Ego prorsus quid dixerit, me fateor ignorare.“ Prae ceteris vero laudandus est Theodoretus [4]), qui modeste intelligit *Dei decre-*

---

1) Cf. *Bauer*. Phil. Thuc. Paul. p. 63. 2. a.

2) Chrysostomus, quem Theodoretus sequitur, jam observat hanc sententiarum diversitatem; hisce utitur verbis: *οἱ μὲν τοῦ πνεύματος τὴν χάριν φασὶν, οἱ δὲ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀρχήν*, quibus ipse accedit. *Εἰ γὰρ τὸ πνεῦμα ἐβούλετο εἰπεῖν, οὐκ ἂν εἶπεν ἀσαφῶς, ἀλλὰ φανερῶς.* Alteram addit rationem: *ἔδει ἤδη παραγενέσθαι, εἴγε ἔμελλεν τῶν χαρισμάτων ἐκλειπόντων παραγενέσθαι· καὶ γὰρ πάλαι ἐκλέλοιπεν.* Scilicet sola dona Sp. S. extraordinaria hic intelligenda esse liquet. Tum vero addit, Apostolum jure hanc rem aenigmatibus maluisse proponere, ne inimicitias erga Christianos excitaret, quum de Nerone ita loqueretur, qui esset *τύπος τοῦ Ἀντιχρίστου· καὶ γὰρ οὗτος ἐβούλετο νομίζεσθαι Θεός.*

3) De resurr. carn. c. 19. cf. 24. Apologet. c. 32.

4) Theodoretus postquam e Daniele exposuisset, quae de Impe-

tum, quod prohibet, quo minus appareat; quo autem modo Deus illud exsequuturus sit, incertum relinquere mavult.

Εἰς τὸ ἀποκ. κ. τ. λ., לְהִגָּלֹת אֹתוֹ בְּעִתּוֹ non finem seu rationem exprimit, sed potius a prohibendi notione pendet, quae latet in verbo *κατέχειν*. Koppius *hebraicam* hanc vocat gerundii constructionem, ut positum sit pro: *ἀλλ' ὁμῶς ἀποκαλυφθήσεται*. — *ἐν τῷ ἑαυτοῦ* (i. e. *ἰδίῳ*) *καιρῷ*, tempore ejus revelationi atque adventui, et divino quidem consilio, praestituto, nec prius. Ita *καιρὸς ἐμός*, Jo. VII, 6. *ὥρα αὐτοῦ* v. 30. Si Danielis oraculum hic etiam Apostoli animo obvertitur, quod veri haud absimile est, quarti (Romani?) regni tempus hic intelligendum esse videtur. (Dan. VII, 7. 19 sq.) [1]).

7. Videbat P. perniciosissimum malum, idque non futurum, sed suo tempore jam inter Christianos gliscens, quod vero tum propter vim quandam illud cohibentem in apertum scelus nondum erumpebat. Lessius [2]) et Koppius de morum vitaeque improbitate illud intelligunt, hoc tempore longe lateque sparsa: „hoc ipsum erat, quod metum animo Apostoli injiciebat, ne se ipso Christianis suis morte erepto, ista impietatis vis augeretur, sicque, quae oraculo prophetico praedicta fuerant, inter Christianos etiam eventu confirmarentur." Illud vero *μυστήριον τῆς ἀνομίας* ab *ἀποστασία* v. 3. parum differt, quod in causa est, cur illam interpretationem non admittendam esse putemus, quum potius non in universum *iniquitas arcana*, sed certum quoddam ejusdem genus debeat intelligi. *Ἀνομία*, si secundum etymon hanc vocem interpreteris, nihil aliud est, atque *ἀποστασία ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ Θεοῦ*. Ita 2 Macc. II, 44. *ἄνδρες ἄνομοι* ii vocantur, quorum

---

rio Romano proferri solent, suam sententiam his verbis breviter exponit: *Ὁ τοῦ Θεοῦ τοίνυν ὅρος νῦν ἐπέχει φανῆναι.* Tum in memoriam revocat, Evangelium per totam terram sparsum iri, priusquam appareat mundi finis. Schol. ap. Matth. *ἤτοι τὸ τοῦ Θεοῦ βούλημα ἢ τὸ κράτος τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχῆς.* Tum ipsa Theodoreti verba adduntur.

1) Chrys. *Ὥσπερ αἱ πρὸ τούτου κατελύθησαν βασιλεῖαι, οἷον ἡ Μήδων ὑπὸ τῶν Βαβυλωνίων, ἡ Βαβυλωνίων ὑπὸ Περσῶν, ἡ Περσῶν ὑπὸ Μακεδόνων, ἡ Μακεδόνων ὑπὸ Ῥωμαίων· οὕτω καὶ αὕτη ὑπὸ τοῦ Ἀντιχρίστου, κἀκεῖνοι ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ, καὶ οὐκέτι καθέξει. — καὶ ταῦτα μετὰ πολλῆς τῆς σαφηνείας ὁ Δανιὴλ ἡμῖν παρακατατίθεται.*

2) Less. de Fanaticismo in mores dissolutissimos flagitiaque deterrima erumpente, ad 2 Tim. III, 1. Gott. 1787.

v. 15. narrata fuerat *ἀποστασία*. cf. III, 5. 6. *ἄνομα ἔργα*, 2 Petr. II, 8. Turretinus „occultas quasdam intelligit artes, quibus illi magnae defectioni via parabatur.“ Pro *ἀνομία* Graeci saepius utuntur voce *παρανομία* [1]). — Non vero simpliciter dicit Apostolus *ἐνεργεῖται ἀνομία*, sed *μυστήριον τῆς ἀνομίας:* quod binis modis intelligi potest; aut ita, ut idem sit, quod *κεκρυμμένη ἀνομία*, sive, quae Theodoreti est interpretatio, ut sic eos vocaverit *ὡς κεκρυμμένην ἔχοντας τῆς ἀνομίας τὴν πάγην*, tanquam occultum habeant iniquitatis laqueum; sic 1 Tim. III, 16. *εὐσεβείας μυστήριον*. cf. Sohar. Genes. fol. 12. *Necesse est, ut homo se iis adjungat, qui unum Deum credunt* ולאפרשא לחמסטרה בישא, *et ut se separet a mysterio malo* (Schoettg. p. 845.); aut ita potest accipi, ut reddi possit per verba: *ἀνομία, ἥ ἐστιν μυστήριον*, quae peculiari quadam ratione ad nos delata, per se vero etiamnum occulta est. Prior interpretatio magis arridet, cui tamen rectius accipiendae illud inservire poterit, si teneatur *μυστήριον* tanquam potiorem notionem priorem hic occupare locum praetereaque magnificum quid inesse in vocis *μυστήριον* usu, quo hic igitur sceleris magnitudo inauditaque significetur turpitudo, quae etiamnum in occulto lateat [2]), defectio illa, quae non tantum occulta sit, sed adeo etiam cum Dei consiliis conjuncta, ut eam, donec haec eventu fuerint comprobata, intelligere nequeamus [3]). Ipsa *mysterii* appellatio verbo antecedente *ἀποκαλυφθῆναι* per oppositionem advecta esse videtur. — *ἐνεργεῖται* verbum medium hic, ut ubique apud Paulum, cum persona conjungitur (1 Thess. II, 13. Rom. VII, 5.); per prosopopoeïam scilicet, ut bene observat Bengelius, occultissimam hostis actionem significat. — *Μόνον ἕως*,

---

1) Cujus usus exempla affert Alberti in Obss. p. 474.

2) Luther. *Es reget sich schon die Bosheit heimlich.* Locus, qui hic conferatur dignissimus, legitur apud Joseph. B. J. I, 1, 24: *τὸν Ἀντιπάτρου βίον οὐκ ἂν ἁμαρτοῖ τις εἰπὼν κακίας μυστήριον*. cf. Casaub. exercitt. ad Baron. XVI, §. 43.

3) Flatt.: „*Eine* verborgene *Bosheit konnte sie Paulus nennen, inwiefern die schlimmen* Absichten *derjenigen, von welchen er spricht, verborgen (dem bei weitem grössten Theile unbekannt) waren, wiefern ihre Bosheit unter dem Scheine des Guten sich verbarg, unter dem Scheine guter Absichten wirkte, und etwa auch, inwiefern sie verborgne (den meisten unbekannte) unwürdige* Mittel *für ihren Zweck gebrauchten.*“

abruptum dicendi genus: *usque dum ille, qui nunc illum nefarium coërcet, e medio sublatus sit;* cum Erasmo *ἀποσιώπησιν* statuimus, quae plus significat silendo, quam si verbum explicuisset, quod hic e substantivo *κατέχων* supplendum est ὁ *κατέχων κατέχει* (quod ab Aethiope additur) ex usitatissimo Hebraismo [1]). Minus facilis, sed loci structurae magis accommodatus esse videtur alius hanc periodum resolvendi modus, ex quo adverbium *μόνον* alii constructioni originem deberet, quam Apost. coepturus erat, quae autem reprimitur sequente conjunctione ἕως, in quo *μόνον* respondet Latinorum adverbio *modo* [2]). Quo accepto transferri poterit: *modo ille, qui nunc cohibet eum, e medio tollatur, tum scilicet plenam efficaciam exseret.* Quod quidem loquendi genus minus accuratum, si id magis placuerit, vulgari sermoni possis accensere; quis enim nescit, quantam hic admittat licentiam in particularum usu? — *κατέχων*, idem quod supra erat *κατέχον*, non de certa persona intelligamus necesse est; potest intelligi hominum quoddam genus sive series. — *Ἄρτι* non cum *Jahnio* ad Pauli tempus restringendum esse putamus, quod v. 2. 1 Thess. V, 1. 2. repugnaret, aliisque locis, ubi tempus constitui posse a N. T. auctoribus diserte negatur. Nil vero cogit, ut de illo tantum tempore cogitemus, si ὁ *κατέχων* est hominum quoddam genus, sive *vis* quaedam, ut ita dicam, *spiritualis* simul cum ipso malo initium habens. Quo fit, ut nihil nos impediat, quo minus de illo intervallo cogitemus, quod superest, ἕως ὁ *κατέχων ἐκ μέσου γένηται*, ut illi igitur tempori opponatur, quo Antichristus, remoto illo obstaculo, sit apparituras. Ita universa haec vita per *ἄρτι* opponitur vitae futurae. 1 Cor. XIII, 12. (cf. 1 Petr. I, 6.) — *ἐκ μέσου γίνεσθαι* est formula Graecis satis usitata, ut pro Latinismo eam habere non liceat [3]). 1 Cor. V, 2. *ἐξαρθῇ ἐκ μέσου.* „Non tantum de iis adhibetur, qui intereunt, ut ait Grotius, verum etiam de iis, qui amoventur, praesertim quae antea impedimento fuere.“ Sae-

1) Cf. Storr. Obss.

2) Gal. II, 10. VI, 12.

3) Kypk. affert locos ex Achille Tatio II, p. 125. *Neque erit qui rem indicet, τῆς κλειοῦς ἐκ μέσου γενομένης* et Plut. in Timol. p. 238. *ἔγνω ζῆν καθ᾽ ἑαυτὸν ἐκ μέσου γενόμενος, statuit in solitudine degere e medio remotus.*

pissime tamen de *morte violenta* usurpatur, qua observatione Koppius sententiam suam defendere studet, Paulum ipsum hic esse *τὸν κατέχοντα*. Praeclare Calvinus explicat hujus loci sensum proximum: „Hoc mysterium iniquitatis, inquit, revelationi opponitur; quia enim nondum tantas vires collegerat Satan, ut palam Antichristus Ecclesiam opprimeret, dicit eum furtim et clanculum moliri, quod aperte suo tempore facturus erat. Jaciebat igitur tunc in occulto fundamenta, quibus postea aedificium superstrueret, ut factum est; atque hinc plenius confirmatur, quod jam dixi, non unum notari hominem sub Antichristi nomine, sed regnum unum, quod se in multas aetates extendit. Eodem sensu dicit Joannes (1 Jo. II, 18.) venturum quidem Antichristum, sed jam suo tempore *plures* fuisse. cf. Damasc. ad h. l. — Bene Flattius animadvertit, etiamsi ille *κατέχων* veros significet Christianos, tamen ex hoc loco concludi non posse, quondam tempus fore, quo omnes e terra evanuerint; fortasse devicti aufugient et a perpetrando Dei cultu perficiendisque consiliis humano generi salutaribus impedientur. Aliud enim obstat oraculum, quo Christus ipse promisit, regnum ejus in terra nunquam interiturum.

8. Tum vero iniquus ille, qui prae ceteris Satanae in terra futurus est propugnator revelabitur (v. 6.). *Ἄνομος* quis est, nisi auctor ille mysterii *τῆς ἀνομίας*? — Chrysostomum putamus ipsum attigisse Apostoli consilium, qui animadvertit, eum, quum primum scelesti illius annunciaverit apparitionem et imperium, statim adjicere consolationem, qua Christianorum reficiantur animi: *quem Dominus delebit spiritu oris ejus et conficiet splendore adventus ejus.* Quae verba consulto accuratissime Latiali sermone reddidimus, ut singulae voces textui Graeco responderent, ex quibus nempe appareat, parallelismum, quem vocant, huic loco inesse poëticum, ideoque sive, quae Koppii est sententia, ex vetere quodam oraculo, sive, quod Grotio multisque eandem secutis placet, e V. T. loco quodam, sed eodem liberius allegato, desumta esse. Quo fine Bengelius, Chrysost. praeeunte (ad Ps. XLIV.), locum confert Jes. XI, 4. *καὶ πατάξει γῆν τῷ λόγῳ τοῦ στόματος αὐτοῦ καὶ ἐν πνεύματι διὰ χειλέων ἀνελεῖ ἀσεβῆ.* Alii conferunt Ps. XXXIII, 6., ubi similiter conjunguntur *πνεῦμα τοῦ στόματος αὐτοῦ.* Quae sententia mihi quoque arridet, ita tamen, ut hunc locum

efformatum potius ad illa V T. loca, quam ex iisdem desumtum putarim [1]).

Quem defectionis auctorem *sat diu grassatum* (Bengel.) Dominus interficiet *τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ.* Haec verba ab interpretibus misere vexata sunt, nec mirum, quum singula fere multiplicem admittant explicationem, res vero ipsa e difficillimis sit. Pro *ἀναλώσει* nonnulli libri, Athan. (Ep. ad Serap. I, c. 6. p. 655.), alii, quorum tamen non sufficit auctoritas, legunt *ἀνελεῖ·* quod vero sensum non mutaret, quum *ἀναιρεῖν* significatione parum differat ab *ἀναλίσκειν*, *penitus delere*, cui imago inest ignis omnia consumentis [2]), sive venti stipulas vel glumas auferentis (Hos. XIII, 3.), ut Hebr. כַּלֵּה בְּרוּחַ פִּיו sive בְּרוּחַ שְׂפָתָיו legitur in locis e Psalmo et Jesaja allatis. — Sub voce *πνεῦμα* Athanasius et alii male intelligunt spiritum sanctum; immo usitatissimo anthropomorphismo, ut hac voce utar, Deo tribuitur halitus oris, isque potentissimus, ut omnia vi sua disjiciat ac disperdat. Eadem imagine minime insolita etiam *Plautus* utitur in Milite glorioso (I, 1, 16.): *Quojus tu legiones difflavisti spiritu ceu ventus folia.* (Sap. XI, 20.). A vera sententia non procul abest Theodoretus, qui dicit: *Loquetur tantum et scelerato isti omnino afferet interitum* [3]). Pelag.: *Coelesti imperio vel solo* illud scilicet perficiet. *Vaterus:* „verbo, jussu suo efficacissimo." — *Flattius* dubitat, utrum priorem, an posteriorem accipiat interpretationem [4]). Sed facilitatis, qua divina potentia omnes hostes devincit, sine dubio significatio inest, quod ex altero quoque videmus hujus periodi membro, in quo *sola* Domini *praesentia* adversarii conficiendi esse dicuntur. Job. IV, 9. Quapropter *Zachariae* quoque ingenioso commento, qui putat ventum istum hic ab Apostolo

---

1) Cf. de hoc loco Jo. Damasc. de Fide orth. IV, c. 26. Le Quien. p. 299, 300. qui tamen proximum locorum N. T. sensum non excedit.

2) Chrys. *Καθάπερ πῦρ ἐπελθὸν ἁπλῶς τὰ μικρὰ ζωΰφια καὶ πρὸ τῆς παρουσίας αὐτῆς πόῤῥωθεν ὄντα ναρκᾷν* (torpescere) *ποιεῖ καὶ ἀναλίσκει· οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς τῷ ἐπιτάγματι μόνον καὶ τῇ παρουσίᾳ τὸν Ἀντίχριστον ἀναλώσει.*

3) Theod.: *Ἔδειξεν ὡς ἐνῆν τὸ τῆς δεσποτικῆς δυνάμεως μέγεθος. ἐπιφανεὶς γάρ, φησι, οὐρανόθεν, φθέγξεται μόνον; καὶ πανωλεθρίᾳ παραδώσει τὸν ἀλιτήριον.*

4) *Durch sein geistvolles Machtwort oder durch den Hauch seines Mundes.* Calvinus, alii, *πνεῦμα τ. στ. verbum* interpretantur

significari omnia torrentem et animalia letifero spiritu occidentem, qui in Orientis regionibus saepe perniciosissimus est non plantis tantum et bestiis, sed etiam hominibus, non possumus palmam deferre [1]). — Post *κύριος* nonnulli libri mss. cum multis veteribus versionibus patrumque expositionibus legunt *Ἰησοῦς*; quod nomen quum antiqua interpretatione in textum irrepsisse videatur, tamen verum sine dubio loci sensum indicat; nam de Christo, non de Deo patre, hic esse cogitandum *παρουσία αὐτοῦ* docet, in sequenti membro commemorata, quae non potest referri nisi ad filium.

Idem fere aut saltem simile quid, ut jam animadvertimus, iis inest, quae sequuntur: Eum conficiet adventu ipsius illustri i. e. majestate divina pleno. *Καταργεῖν* proprie omni privare efficacia i. e. vim penitus infringere. 1 Cor. XV, 24. 26. — *Ἐπιφάνεια* in N. T. haud raro non differt a *παρουσίᾳ* (1 Tim. VI, 14. 2 Tim. I, 10. IV, 1. 8. Tit. II, 13.), nisi quod *splendidae* apparitionis tamen subsit notio, ut *ἐπιφάνεια καὶ βασιλεία* in aliquo ex locis modo allatis conjunguntur [2]). Hic vero *ἐπιφάνεια* gloriam sive splendorem audit, ex significatione Graecis usitatissima (Diod. XIX, 1.). „Graeci scriptores, Casauboni sunt verba [3]), *ἐπιφάνειαν* appellant apparitionem Numinis, quoquo tandem modo Deus aliquis suae praesentiae signum dedisse crederetur. Sic Diod. Sic. lib. I, ait, Isidem noctibus solitam apparere et somnia immittere, *φανερῶς ἐπιδεικνυμένην τὴν ἰδίαν ἐπιφάνειαν.*" — Quibus Kypkius locum adjicit, ubi haec vox de *divina majestate* adhibetur e Dionys. Hal. Ant. II, 68. *Vesta τὴν ἐπιφάνειαν ἐπεδείξατο ταῖς ἀδικῶς ἐγκληθείσαις παρθένοις.* Ita נוֹרָאוֹת, 2 Sam. VII, 23. a Graecis versionibus per *ἐπιφάνειαν* redditur. — Alias vero haud raro a *παρουσίᾳ* non differt [4]). Ita fere Syr. P. qui habet ܢܒܛܠܝܘܗܝ ܒܡܐܬܝܬܗ,

---

1) *Καύσων*, קָדִים (cf. Gesen. Lex. s. h. v.) sive רוּחַ זִלְעָפָה Rosenmüller Morgenland II, p. 236. sq.

2) *Ἐπιφαίνειν* Tit. II, 11. III, 4. Nemo miretur omnia exempla in epistolis, quas vocant, pastoralibus inveniri, in quibus formulae, ut ita dicam, technicae ab Apostolo adhibentur, in ceteris epistolis Paulinis non eodem sensu obviae.

3) Exercit. II. ad Annal. Baron. s. XI, p. 166.

4) *Koppius* hunc locum sic transfert: *Wegtilgen wird er ihn durch den Hauch seines Mundes, wird ihn vernichten durch die Majestät seiner Erscheinung.*

ܕܡܐܬܝܬܗ, *revelatione* apparitionis, *adventus* ejus. Arabs بظهور وروده *apparitione adventus ejus.* Quo loci sensus non immutatur, si cum Dionysio Areopagita [1]) hunc adventum ipsum per se putamus esse *ἔνδοξον καὶ ἀληθῶς ἔνθεον τοῦ Κυρίου ἡμῶν ἐπιφάνειαν*. Chrysostomus in ipsa victoriae facilitate cardinem hic verti putat [2]). Raphelius e Polybio afferens formulam *ἡ ἐπιφάνεια τῆς ἡμέρας*, ab ea imaginem putat esse repetitam, quod tamen e longinquo arcessitum est. — Ambrosiast.: *illuminatione*, August.: *illustratione praesentiae suae*. — Pelagius *splendorem* ad ipsum judicii terrorem trahens: „Quia sicut fulgur, inquit, ubique coruscabit in mundo, solutis commotisque elementis per ignem.“ *Erasmus* vero hic languidius ita explicat, „ut accipias claritate Christi advenientis obscuratum iri Antichristum.“ Non temperare nobis possumus, quin Hunnii verba, quibus hunc locum praeclare illustrat, apponamus, quamvis in singulis ab eo recedamus. „Christus, inquit, adversarium suum Antichristum primo destruet in hominum animis, qui sanctitatis opinione de ipso concepta occupati penitus et in illius religiosam adorationem absorpti fuerant. Destruet autem illum non armis externis; sed quemadmodum nequitia spiritualis erat, ipsis cordibus hominum altissime infixa: sic spiritualibus quoque armis, nempe spiritu oris sui, pugnabit adversus illum Christus eumque conficiet. — — Et abolebit eum claritate adventus sui. Palam innuit, Antichristum, licet detectum et in hominum innumerabilium animis debellatum, duraturum tamen esse usque ad illustrem Christi adventum alterum; ubi demum majestate gloriosissimae ipsius apparitionis prorsus sit abolendus, ita nimirum, ut toti regno ejus finis imponatur, ipse vero cum suo sodalitio praecipitetur in infernalem locum igne et sulphure ardentem.“

Praeterea hujus versus verba inde a pron. *ὃν* ita sunt interjecta, ut a nonnullis parentheseos signo includantur; in quo id saltem recti inest, quod initium v. 9. referendum est ad vocem *ἄνομος*, ut respondeat illi *ὅν*. cf. Rom. IX, 5. *ὧν* cf. v. 4.

---

1) Apud Euseb. Hist. eccles. VII, 24. p. 77. b. Vales.

2) *ἀρκεῖ παρεῖναι αὐτὸν καὶ ταῦτα πάντα ἀπόλωλε.*

9. Quum Apostolus Antichristi adventum in animo haberet, facile fieri poterat, ut Christi adventum ab eodem distincturus, hunc circumscriberet per ἐπιφ. τῆς παρ. — Antichristi regnum in terris conditum Thessalonicensium oculis vividis coloribus depingitur, ut ejus timor immoderatam eorum spem, qua Christi regnum amplexi fuerant, aliquantum temperaret. „Subjungit itaque Paulus descriptionem calamitatis uberiorem hoc consilio, ut ex opposito consoletur Thessalonicenses.“ (Bengel.)

Οὗ ἡ παρουσία ἐστὶ κατ' ἐνέργειαν pro *ὃς πάρεσται σὺν τῷ Σατανᾷ ἐνεργουμένῳ ἐν αὐτῷ*, in cujus adventu Satanas cum magna potentia operabitur. Sicut enim Deus in Christo operatur et in omnibus regni ejus civibus (Col. I, 29.), ita in malis diabolus vires suas exserit eosque regit (Eph. II, 2. *ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας*). Quidquid enim Deo contrarium est, et religioni Christianae, ad Satanam refertur auctorem. Hic autem singulis, quae Christo tribui solent tanquam regni sui regi et capiti, singula respondent, quae de auctore mali praedicantur: *δύναμις, σημεῖα, τέρατα*, sed ea non vera, sed mendacia (*ψεύδους*). cf. Act. II, 22. *ψεύδους* non ad unum tantum, sed ad tria ista referendum est, ut cum Arabe plerique faciunt interpretes. Quaeritur autem, utrum diabolus miracula vere perficere potuerit, ut *ψεύδους* de fine tantum sit intelligendum, non de ipsa miraculorum falsitate, quae Chrysostomi est sententia [1]), an Castalio rectum viderit, quum transferret: *quae prodigia videntur esse, quum sint praestigiae ac mendacia.* Mihi quidem prius Apostoli consilio multo accommodatius esse videtur. In quo tenendum tamen esse arbitror, neque illorum Satanae miraculorum veritatem ex hoc loco probari posse, quum Apostoli nihil hic referat dijudicare, an illa miracula, quondam ab Antichristo edenda vera sint, nec ne. Quare dubitare licet, quum miraculorum dona in ipsa ecclesia cessaverint, ea ab hominibus nequam quondam resuscitatum iri. „Id omne mera fraus erit, ait Turretin., mera fallacia, non vera oracula, quod nimis facile concedunt plerique Theologi. Ac

1) *οὐδὲν ἀληθές, ἀλλὰ πρὸς ἀπάτην τὰ πάντα.* Postea tamen dicit *ἢ διεψευσμένοις, ἢ εἰς ψεῦδος ἄγουσι.* Theodoretus vero alteram sententiam amplexus: *διδάσκει*, inquit, *ὡς καὶ τὰ ἐσόμενα οὐκ ἀληθῆ θαύματα* (sicut ψηφοπαῖκται, *Taschenspieler*).

sane si vera miracula patrare possent Pseudoprophetae, ipseque Antichristus, certe argumentum ex miraculis ductum plane aequivocum redderetur, nulliusque ponderis. Rursus hoc concesso, divina veracitas et sapientia non parum labefactarentur." Cf. tamen Apoc. XIII, 13. XVI, 13. 14. — Matth. XXIV, 24.

Parum differunt tria ista *δυνάμεις*, *σημεῖα*, *τέρατα*. *δύναμις* numero singulari tamen est vis miraculorum edendorum; *σημεῖα*, quatenus comprobandae inserviunt doctrinae sive missioni divinae; *τέρατα* portenta sunt, quae admirationem et stuporem excitant. De his autem vocibus plura afferre, neque est nostri consilii, neque hujus loci. — Jam vero ad explicandam formulam: *κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ* viam nobis munivimus. Posset per se quidem significare, quod placet D. Michaelis: *similiter ac si Satanas ageret;* sed illum scelestum supra jam vidimus Satanae futurum ministrum; quare rectius saltem Flattius: *adjuvante Satana,* quamvis linguae rationes postularent *κατὰ συνέργειαν* [1]). Praeterea ingenue fatebor, quidnam in hac sententia maxime mihi displiceat: Satanas eo modo tanquam singula quaedam, ut ita dicam, persona est, in regno infernorum illa quidem summae auctoritatis, non vero *rex ille mendacii, omnis mali fons,* ut in omnibus operetur, qui a Deo desciscunt, vis illa negationis, in qua nihil plane inest boni, quum penitus a Deo aversa, se ipsam quotidie destruat inque nihilum redigat. Sic ubi in sacra scriptura, maxime vero in N. T. describitur diabolus, ille ubique apparet. Quod si quis forte queratur, a nobis allegoricum sive personatum tantum admitti Satanam, eum relegamus ad id, quod doctissimus quondam praeceptor, isque grato animo semper colendus ac reverendus, Baumgarten-Crusius, de hujus materiae obscuritate affert iu Theologia biblica (p. 295 — 303.), ut quisque pro lubitu id possit tenere, quod ipsi maxime probetur. — Quapropter tertiam praefero interpretationem, quae ipsis verbis accuratissime respondet: *operante in ipso Satanae vi.* Cf. Eph. III, 7. Col. I, 29. Phil. III, 21. — Plerisque interpretibus Paulus hic praestigias artesque magicas innuere videtur. „Exstitisse vero etiam Apostoli tempore inter Judaeos et Ethnicos homines ejus-

---

1) De hoc praeposit. *κατὰ* usu cf. Bauer. Phil. Thuc. Paul. p. 150. 151. ubi transfert: conjunctus cum effectis per Satanam.

modi, qui vel fanatico furore correpti, vel lucri studio incitati falsis (saltem non divinis) miraculis adstupentem populum a doctrina Apostoli avertere studerent, exemplum Elymae praestigiatoris Actorum XIII, 8. commemoratum luculenter confirmat." His verbis adjicit *Koppius* locum a Schoettgenio collatum Sanhedrin fol. 17, 1. *Dixit R. Jochanan: Nemo inter assessores synedrii collocatur, nisi viri statura procera, sapientes, pulchri, senes,* ובעלי כשפים, *et magiae callentes sint ct.* Inde vides, quanti arcanas has artes Judaei fecerint [1]). „Multa, inquit Schoettg., talia Judaei de suis proferunt, quod montes et arbores eradicaverint, morbos sanaverint et id genus alia." De Satanae appellatione cf. 1 Thess. II, 8. Singularis plane est Syri interpretatio, qui, suppleta conjunctione adversativa γάρ, sic constituit loci initium: ܡܛܠ ܡܐܬܝܬܗ ܕܡܫܝܚܐ ܗܘ ܡܥܒܕܢܘܬܐ ܗܝ ܕܣܛܢܐ, *adventus enim Christi opus est Satanae;* οὗ igitur ad Christum refert, quod nullo modo ferri potest. —

10. Neque vero in solis miraculis constat regnum Dei aliisque spiritus sancti effectibus naturam excedentibus, sed etiam et maxime quidem, in *vitae atque doctrinae veritate.* Hinc Paulus adjicit, Antichristum esse venturum, ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας. Substantivo hic quoque, ut saepe, adjectum circumscribi putamus, ut explicari possint illa verba *in omnigena fraude injusta,* id vero est *improba,* ut impia non minus indicetur vitae ratio, quam doctrina a vero aliena. Ita 1 Cor. XIII, 6. ἀδικία et ἀλήθεια sibi invicem opponuntur. 1 Joh. V, 17. πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία [2]). — Rom. VI, 13. II, 8. 2 Tim. II, 19. — Ἀπάτη maxime callidam significat fraudem, quae nescio sese insinuat, πᾶσα, ut bene observat Salmasius, *omnes seducendi modos* significat potius, quam *multiplicem seductionem.* „Non enim vi et armis suam initio stabiliturus est auctoritatem filius perditionis, sed maxime seductione et fallaciis." (*Calov.*) —

Quaenam vero est causa, cur Paulus adjiciat ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις? Non sane dominatum in omnes exercebit impius ille, sed in eos tantum, qui se ipsos, spreta veritate et virtute, illi tradent; in eos igitur, qui perditione digni sunt, qui, ut ait Theodoretus, licet ipse non venis-

---

1) Eisenmenger. Entdecktes Judenthum. I. p. 150. 51.
2) Tittm. lib. de Synon. N. T. p. 48. et 20. 21.

set, salute tamen sese privassent [1]). Ipsius vero adventu ad apertum scelus Deique veri desertionem adacti, non jam habent, quo excusentur. Jo. V, 43. dicit Christus, Judaeos ipsum non accepisse, qui patris nomine venerit; quum vero alius venturus sit ipsius nomine, hunc illos accepturos esse. Dei igitur est voluntas, ut isti judicium suum ipsi quasi ferant. Hinc ἀπολλύμενοι vocantur, tanquam damnati jam essent. 1 Cor. I, 18. 2 Cor. II, 15. IV, 3. [2]) — *Flattius* verba ἐν τοῖς ἀπολλ. pendere putat ab ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας et transfert: *quod attinet ad perituros*. Melius tamen, cum verbo ἐνεργεῖται conjunguntur, quod latet in παρουσία κατ' ἐνέργειαν. Concise Grotius: *apud eos*, qui Evangelio credere noluerunt, ac propterea perituri sunt. *Turretin.:* „qui exitio digni sunt, adeoque certissime sunt perituri." — Causa additur, cur illi damnationi a Deo sint devoti. *Ἀνθ' ὧν, propterea quod*, secundum *Grotium* justam Dei retributionem significat. Luc. I, 20. XIX, 44. Act. XII, 23. ct. Syr. ܚܠܦ — Grotio ἀγάπη hic beneficium est, cujus tamen usus nullum in N. T. exstat exemplum (1 Joh. III, 1.?); unde cum Koppio aliisque malumus ἀγάπην δέχεσθαι ἀληθείας circumscriptionem habere pro simplici ἀγαπᾷν ἀλήθειαν, *studium veritatis suscipere* pro *studere*, *operam dare ei cognoscendae et tenendae* (Kopp.) i. q. πιστεύειν τῇ ἀληθείᾳ v. 12. [3]). — Ambigi tamen posset etiamnum, utrum ἀγάπη τῆς ἀληθείας *verum amorem* significet, ut hic quoque haberemus genitivum describentem, an veritatis amorem. Sin vero prius acciperemus, verbum δέχεσθαι pessime hic poneretur; ergo posterius amplectimur. Chrysostomi et Theophylacti mira est sententia, quum contendunt: Veritatis amorem Apost. vocare ipsum Christum [4]), a quibus Theodoretus parum recedit. Rectius vero ἀλήθεια ut saepissime, ita hic quoque meto-

---

1) Sic jam Chrys.: *Οἱ εἰ καὶ μὴ παρεγένετο ἐκεῖνος, οὐκ ἂν ἐπείσθησαν.* Theodoret.: *Οὐ πάντων κρατήσει, ἀλλὰ τῶν ἀπωλείας ἀξίων, οἳ καὶ δίχα τῆς τούτου παρουσίας σφᾶς αὐτοὺς τῆς σωτηρίας ἐστέρησαν.*

2) Chrys.: *Τί οὖν τὸ κέρδος; ὅτι αὐτοὶ οὗτοι οἱ ἀπολλύμενοι ἐπιστομισθήσονται.*

3) Thucyd. V, 32. *μὴ δεχομένων τῶν Ἀθηναίων*, recusantibus Atheniensibus.

4) *Ἀγάπην τῆς ἀληθείας τὸν Χριστὸν καλεῖ.* Theodoret.: *Ἀ. ἀλ. τ. κύριον κέκληκεν, ὡς ἀληθῶς ἡμᾶς καὶ γνησίως ἀγαπήσαντα.*

nymice interpretamur de veritate evangelica sive ipso Evangelio, Rom. II, 8. Gal. V, 7. quo sensu, Koppio monente, saepe opponitur τῇ ἀπάτῃ, τῇ πλάνῃ, τῷ ψεύδει. cf. v. 11. 12. Veritas, quae est in Christo Jesu, a Bengelio appellatur. cf. 2 Joh. 3. 4. 3 Joh. 3. 4. — δέχεσθαι significat libenter accipere ideoque gaudere acceptis [1]). Bene Simplicius annotat „amorem veritatis non recipere per pleonasmum quendam dici pro: veritatem non recipere, non amare, duabus loquendi rationibus in unam confusis." Vero amore igitur religionem Christianam isti, qui ad Antichristum deficient, nunquam susceperunt, ut salvi queant evadere sive salutem consequi. σωθῆναι opponitur ἀπολλυμένοις. „Non se propter incarnationis Christi obscuritatem excusent, divinis non credidisse virtutibus, quum homini crediderint, diabolica arte fallente." (*Pelag.*)

11. „Nolentes igitur salvari deseruntur a Deo." Qui veritati credere noluerunt, credant mendacio, eique non minus efficaci, quam veritas illa, quam antea susceperant. Error et peccatum ipsi sunt peccati poenae. Rom. I, 24. — Prov. I, 29 — 31. ubi v. 31. τῆς ἑαυτῶν ἀσεβείας πλησθήσονται [2]). Deus immittet, πέμψει, *sapienti*, ut Grotius ait, *permissu et directione* [3]). — Rom. IX, 18. ubi durius etiam de Deo legimus ὃν θέλει, ἐλεεῖ· ὃν δὲ θέλει, σκληρύνει. Exod. X, 20. „Mittet ipsis Deus efficaciam erroris, non quidem infundendo, sed non impediendo illum, ut credant mendacio [4])." Nullum scilicet malum hominibus infligitur, quod Deus non immittat (Storr. Obss. p. 28. multa e V. T. afferuntur exempla a p. 25 — 29.). „Ergo patietur, ait Turretin., oriri ἄνομον illum, non ipsum statim destruet, non impediet, quo minus multas artes adhibeat et multa prodigia fallacia exserat. Quare? Sapientissimo nempe judicio, ut illi qui Evangelii verita-

1) לא אבו, Prov. I, 30. Aquil., Sym. et Theodot. οὐκ ἐδέξαντο. cf. Kuinoel. Obss. ex Apocr. p. 157. Fleck. de Regno D. p. 102. not. ***).

2) Loca collecta sunt a Bensonio in paraphr. vertit Bamberger. 1761. p. 204. h.

3) *Theodoretus* (Cyrill., Theophyl., simil.) verba explicat per: Συγχωρήσει φανῆναι τὴν πλάνην. οὐ γὰρ αὐτὸς αὐτὴν πέμψει, ἀλλ' αὐτὸς αὐτὴν ἀναλώσει τῷ λόγῳ τοῦ στόματος αὐτοῦ. Jac. I, 13.

4) Andreae Kunodi Expos. dict. S. S. N. T. Pericop. evangel. respic. Witteb. 1700. 8. p. 565.

tem non amaverint, sed in vitiis et erroribus perstiterint, occasionem habeant impingendi in illum lapidem et gravissima impostura se mancipandi.“ Deus igitur eos incidere sinet in *ἐνέργειαν τῆς πλάνης* i. e. errorem efficacissimam, fraudes speciosissimas; alii tamen sensu parum diverso interpretantur vim, quae errorem operatur, *δύναμιν ἐνεργουμένην πλάνην*, *efficaciam erroris satanicam* (Seb. Schmidt.). „Ea vero fraus efficax est, quae alterum decipit; sed non nisi speciosa fraus alterum decipit, ergo *ἐνεργὴς πλάνη* (ita enim resolvi poterit) verti debet: fraus speciosa (Kuinoel.) [1].“ *Mendacium in damnum potens*, ut habet Petronius. — *Εἰς τὸ π.* consilium hic significat, non meram sequelam; nam ob id ipsum Deus illum *ψευδοπροφήτην* non reprimet, ut aperiantur hominum animi, improbi distinguantur a probis. Qui enim veritati nolunt obsequi, ii sponte in errores delabuntur. Id vero versu 12. additur.

12. „Operatio erroris, ait Ambrosiaster, est falsis fidem committere, ut, qui claritatem luminis diem esse consentire noluerunt, putent tenebras dici debere, ut possent, propensiori delicto rei facti, sine contradictione damnari veritatis inimici, fautores autem iniquitatis.“ *Ἵνα* effectum, non finem sive consilium indicat. Syr. ܘܢܬܕܝܢܘܢ *et* judicabuntur. Luc. XI, 50. — *κριθῶσι*, non, ut Flattio placet, pro *κολασθῶσι* [2]), est potius verbum medium, quod haud raro ponitur pro *ἵνα κατακριθῶσι*, ut condemnentur. Joh. III, 17. 18. 1 Cor. XI, 31. cf. v. 32. justo lenior hic est Grotius, quum vertit: *ut convincantur injustitiae*. — *Πάντες* non unus alterve, sed major hominum multitudo judicium Dei incurret; non tamen audiendus est Calvinus, qui suis commentis hujus loci exaggerat severitatem. „Quum dicit *omnes*, inquit, significat non excusari contemptum Dei *immensa eorum turba et multitudine, qui obedire Evangelio renuunt;* totius enim mundi judex est Deus, ut non minus de centum millibus, quam de uno homine poenas sumat.“ — Illi autem, qui Deo nolunt obsequi, furore quodam eo abripiuntur, ut ipso

---

1) *Τί γὰρ οὐκ ἐργάσεται τόδε;* (ille *ἄνομος*) *πάντα κινήσει, πάντα ταράξει· καὶ ἐπιταγμάτων ἕνεκεν καὶ φόβου φοβερὸς ἔσται πάντοθεν ἀπὸ τῆς ἐξουσίας, ἀπὸ τῆς ὠμότητος, ἀπὸ τῶν παρανόμων ἐπιταγμάτων.*

2) Chrys. *οὐκ εἶπεν· ἵνα κολασθῶσι (καὶ γὰρ καὶ χωρὶς τούτου ἔμελλον κολάζεσθαι), ἀλλ' ἵνα κριθῶσι, τουτέστι κατακριθῶσιν ἐπὶ τοῦ δικαστηρίου τοῦ φοβεροῦ.*

peccato delectentur. εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ potest vel mitiori sensu accipi: *acquiescunt* in malitia, vel paulo intensius: *libenti animo illi indulgent,* vel strictissime denique: *in iniquitate sibi complacent.* Neque dubitamus, quin hic sit sensus hujus formulae, quae accurate respondet Hebr. חָפֵץ בְּ [1]). Sic εὐδοκεῖν ἔν τινι. Matth. III, 17. 2 Cor. II, 10. 2 Sam. XXII, 20. Malach. II, 17. *Seb. Schmidt: cum bene placito suo approbarunt injustitiam doctrinae falsae.* — Quamobrem cum *Simplicio* in fine hujus loci non possumus non queri: „Proh hominum malitiam! Nonne Christus potius merebatur fidem, quam Antichristus! non Apostoli potius, quam Apostatae! non vera miracula, quam praestigiae! non veritas, quam mendacium! non Deus potius, quam diabolus!"

Ipsa hujus orationis conclusio evidenter satis probare videtur, voluisse imprimis etiam Apostolum admonere Thessalonicenses Christianos, ut sibi caverent a fraudibus impostorum, ut observat Kuinoelius.

---

1) Theophyl. ἠρέσθησαν καὶ προςετέθησαν ἀσμένως τῇ ἀδικίᾳ.

EXCURSUS,

quo accuratius exponitur, quisnam sit ille ἄνομος et κατέχων.

Jam vero quum singulorum versuum expositionem, quoad ejus fieri potuit, accurate persequuti simus, de hujus loci consilio ac sensu interno quaedam addamus necesse est. Quae tamen a reliqua interpretatione separanda esse duximus, quum nostras conjecturas nullo modo divinae Pauli sapientiae immiscere velimus. Quare, id quod in prooemio exposuimus, tenentes; illum Christi adventum a Paulo non visibilem habitum et prophetias Christi litterali sensu non intelligendas esse, ad binas istas quaestiones resolvendas, quas indicavimus hujus Excursus titulo, nos convertimus.

I. Quisnam est ἀντικείμενος iste, sive ἄνομος et ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας sqq.?

a. Inquirendum vero ante omnia, idemne sit atque Ἀντίχριστος ille 1 Joh. II, 18. 19. 22. IV, 3. — 2 Joh. 7. (cf. Apoc. XII, XIII, XIV, XVII.) Posset hac quidem voce sive aliquis designari Christi similis, sicut ἀντίθεος i. q. ἰσόθεος, sive is, qui jactat et prae se fert illam similitudinem: Sed in ipsis locis, quae a nobis allata sunt, Antichristi notio satis definitur: est igitur ὁ ἀρνούμενος, ὅτι Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν ὁ Χριστός, ὁ ἀρνούμενος τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱόν, est ψευδοπροφήτης quidam sive falsorum prophetarum genus (nam multi sunt ἀντίχριστοι), cui πνεῦμα inest, ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν. Multi πλάνοι venient; Christi incarnationem negantes; οὗτός ἐστιν ὁ πλάνος καὶ ὁ ἀντίχριστος. Ex quo facile patet, Antichristum Joanni esse sive hominem quendam, sive hominum genus Christo et religioni ejus vel aperta vi, vel tectis fraudibus sese opponens, ipsius vero Christi sermonibus praenunciatum (ἀκηκόατε ὅτι ἔρχεται), tanquam venturum ante ipsius reditum (ἐσχάτη ὥρα ἐστί — — ἠκούσατε, ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται), id vero est.

ante judicium, quod habiturus sit, novissimum. Sed jamjam adest ille Christi adversarius (νῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἤδη); quare verisimile videbatur Joanni finem mundi procul non abesse, quamquam certi quid hac de re constituere non auderet, quum tempus latere sciret unumquemque Christianorum. — Quis, quum hunc Antichristum (qui passim sub Pseudoprophetarum nomine notari videtur) cum ἀντικειμένῳ illo Paulino contulerit, ab hoc eum minime differre negabit. At vero quum certi nil in tali re definiri potuerit, itaque uterque eorum suas sequi posset conjecturas, abhinc cavebimus, ne ab altero ad alterum quid transferamus, id modo tenentes, et hunc et illum ea, quae in dictis J. Ch. obscurius proposita erant, ex suametipsius sententia exposuisse et uberius prosequutum esse.

b. Ante vero, quam ad Pauli transeamus loca, ea quoque accuratius inspiciamus, quae in Evangeliis ab ipso Christo de hoc ἀνόμῳ dicuntur, ipsius adventum praecessuro. Ex quibus tamen solis Joannis, Pauli ceterorumque Apostolorum hac de re sententias deductas esse, ideo pro certo affirmare non possumus, quod non omnes quidem Christi sermones descriptos esse, nemo est, qui neget. Poterant igitur plura ab ipso Domino proposita esse in λόγοις ejus ἀγράφοις, quamquam absque dubio luculentissima quaeque et salutis ordinem ac spem maxime illustrantia sine dubio descripta sunt. Quapropter ea exspectatione ad Evangelicas Christi orationes accedimus, etiam in hac re nos habere in illis praecipua capita praedictionum Dominicarum; quae res in exponenda *Pauli* doctrina eo plus habet ponderis, quum ille Christi sermonibus non interfuerit, sed potius ab aliis eosdem perceperit. — His igitur praemissis ad ipsas accedamus praedictiones a Domino hac de re propositas et ad nos translatas. Praecipuum sine dubio in his locum illa prophetia obtinet, quam legimus Matth. XXIV, ubi v. 7. discipuli a Christo signum expetunt, quo cognoscant, quando adventus ejus et mundi finis prope adsit. Quibus ille respondet, multos venturos ipsius nomine illosque decepturos esse. Multis enim iisque atrocissimis calamitatibus turbatis omnibus, multos falsos prophetas exstituros et non paucos decepturos (πολλοὶ ψευδοπροφῆται — πλανήσουσι πολλούς). Hic igitur non unum quendam habes sceleris auctorem, sed illos Pseudoprophetas (1 Joh. IV,

1.) sive πλάνους (2 Joh. 7.), quorum Joannes mentionem facit. Tum v. 15. Christus ad Danielis oraculum provocans (IX, 27.) dicit: Ὅταν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως ἑστὸς [1]) ἐν τόπῳ ἁγίῳ (2 Thess. II, 4.), prope aderit mundi finis. Tum eos hortatur, illud ne credant, si quis dicat: hicce Christus aut illic. Nam multi existent ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται, *magna edentes oracula et portenta*, ut, si fieri possit, electos quoque seducant. Quemadmodum enim fulgur ab Oriente ortus ad Occidentem usque conspiciatur, ita suum ipsius adventum comparatum fore. Ex hoc autem loco satis perspicue apparet Christum propriis verbis non loqui, sed imaginibus propositis id solummodo dicere, aliquando tempus fore, ubi V. T. vaticinia, et praesertim quidem Danielis oracula, eventum sint habitura. Id vero quando fiet, nemo scit (v. 36. 42.). — In loco, ubi eadem narratio a Marco refertur c. XIII., nihil est, quod in rem nostram afferamus, nisi quod distinctius etiam Christi reditus a templi Hierosolymitani eversione sejungi videtur, ita tamen, ut utrumque vinculo quodam connectatur. Non diversus est Lucae locus huic respondens XXI, 5 — 36., qui tamen pleraque ex iis omittit, quae huc pertinent. Etiam hic tamen legimus, templum eversum iri; ἀλλ' οὐκ εὐθέως τὸ τέλος. — Ex his quidem locis, prophetica eaque poëtica oratione florentibus, videmus Christi plus interfuisse, ut ad vigilantiam suos exhortaretur, quam ut disertas quasdam proponeret praedictiones. Quid? nonne discipulis suis apud Matthaeum dicit, antequam quaestionis solutionem illis proponat: βλέπετε, μή τις ὑμᾶς πλανήσῃ (v. 4.). Immo ipsam prophetiam non proponit, nisi eo consilio, ne quis ex electis perturbetur. (v. 24. 25.) Quare concludit γρηγορεῖτε, ἕτοιμοι estote, ignoratis enim, qua hora Dominus venturus est.

c. Ex hisce igitur elementis contexta est Pauli sententia de homine peccati sive adversario isto regni divini, quem Domini reditum praeparaturum esse, ex ipsius verbis persuasum habebat. Quaeritur autem, utrum P. de his rebus, sicut de religione Christiana in universum, divina revelatione edoctus fuerit, an potius ea tantum tradat, quae e Christi sermonibus ad se delatis percepe-

---

1) Ita Fritsch. corrigit pro ἑστώς, quod vulgo legitur, grammaticis vero rationibus repugnat.

rit? — Dubitant, nec injuria, recentiores interpretes de revelatione singulari, quae P. hac de re obtigerit, cujus ipse ne verbo quidem mentionem fecerit. Nullum adest vestigium, ait Usterius (p. 192.), P. aliquam vel doctrinam, vel γνῶσιν divinae cuidam tribuere instillationi; ἀπόκάλυψις illa, quae saepe ab eo memoratur ipsi oblata, primaria illa est revelatio, quod Jesus sit Christus a Deo promissus et ad summam Dei majestatem evectus. In quo tamen haud scio, annon a viro doctissimo vera revelationis internae negligatur notio, quae non certo quodam temporis momento infundi solet homini sed sensim pedetentimque animo ejus ita instillari, ut ex mentis humanae emergat penetralibus, quando spiritu sancto eotenus possidetur, ut non sui jam sit juris, sed totus lateat in Deo per Christum. Ita vero si inspiratus, liceat uti hoc verbo, fuit Paulus, quod nemo sane negabit, quidni a Spiritu novum quid poterat edoceri? Praeterea 2 Cor. XII. de visis et revelationibus narrat, quae *ipsi* (de quo illic verba fieri non dubitare licet) contigerint ante hos quatuordecim annos, id vero est, anno, ut nos computamus, XLIV nostrae aerae, novem igitur annis ante, quam hanc scriberet epistolam. Attamen, quum contendam, nil repugnare, si in hac re peculiarem P. obtigisse revelationem accipere quis velit, rem pro confecta nolo habere; quaerendum erat potius, utrum rationes nos *cogant* hoc statuere satis graves, sive, quod idem est, utrum *alio* modo loci Paulini explicari *nequeant*. Id nisi tentaverimus, Usterius summo jure nobis exprobrabit, nos velle opera supersedere Gordiumque nodum, qui resolvendus erat, gladio dissecare [1]). Quaestionem autem nobis solvendam si per singula capita persequi volemus, quaerendum est, utrum ex his Christi orationibus, temporis locorumque conditionibus, Danielisque et aliorum prophetarum oraculis omnia atque singula, quae a Paulo hic proferuntur de adversario illo et vi eundem continente, resolvi possint.

Quem in finem primo omnes locos perlustrabimus, ubi P. de illo adversario aliquid affert. Vulgo huc re-

---

1) *Wer sich aber die Sache leicht machen will, der mag jene* (übernatürliche Eingebung) *annehmen und sich dann der Mühe überheben, den natürlichen Zusammenhang der Dinge zu erforschen.* P. 193.

ferre solent locum Act. XX, 29., ubi Paulus ad ecclesiae Ephesinae presbyteros verba faciens dicit: *'Εγὼ οἶδα, ὅτι εἰςελεύσονται μετὰ τὴν ἄφιξίν μου λύκοι βαρεῖς εἰς ὑμᾶς, μὴ φειδόμενοι τοῦ ποιμνίου* ct. Sed hic aperte non agitur nisi de ecclesiae Ephesinae conditione et re mox eventura, a qua ut illi sibi caveant, hortatur Apostolus: iidem significari videntur falsi doctores, qui Ephesi jam aderant, quum Paulus Epist. priorem scriberet ad Timotheum. Summo vero jure ea praedictio hic confertur, quam legimus 2 Tim. III, 1. *Extremis scilicet diebus*, quae sunt Apost. verba, *tempora erunt gravia.* Prodibunt enim homines *φίλαυτοι, φιλάργυροι, ἀλαζόνες, ὑπερήφανοι, βλάσφημοι, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀχάριστοι, ἀνόσιοι, ἄστοργοι, ἄσπονδοι, διάβολοι, ἀκρατεῖς, ἀνήμεροι, ἀφιλάγαθοι, προδόται, προπετεῖς, τετυφωμένοι, φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι* (voluptatum, quam Dei amantiores, litoten sapit: *Dei contemptores;* nihilo tamen minus) *ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι.* Vident, hic non tam propriam, quae verbis fit, Dei abnegationem ejusque contemptum designari, quam potius mores, quibus homo Deum magis etiam offendit, quam si aperte profiteretur: *non est Deus.* V. 7. autem iidem disertis verbis dicuntur adversari veritati. (IV, 1 — 4.) Praeterea non tam de uno quodam falso doctore et adversario hic loquitur Apostolus, sicut in Epistolae ad Thessalonicenses alterius loco a nobis supra exposito. Sic quoque 1 Tim. IV, 1. sq. *a Spir. divino diserte praenunciatum esse dicitur, quosdam a fide quondam esse defecturos, attendentes ad spiritus mendaces et daemoniorum doctrinas, sub specie simulatae pietatis falsa loquentes, quorum tamen conscientiae notae inustae erunt, qui a nuptiis homines prohibere studebunt eosque cogent ab alimentis quibusdam abstinere.* Hi omnes an ad idem pertineant hominum genus, atque illi, de quibus in loco superiori ex hac epistola allato Apost. tractaverat, certo effici nequit; attamen neque hic de aliquo malorum quasi principe mentionem injicit. Ex quo facile concludat aliquis, quum hae tamen epistolae post illas ad Thessalonicenses scriptae sint, Paulum hac de re mutasse sententiam. At vero dicat aliquis, eum in Ep. ad Tim. non diserte, sicut in illis ad Thessalonicenses hac de re exposuisse, sed obiter potius eam attigisse. Nonne vero sat multis utitur epithetis, quibus pseudo-

prophetas et falsos doctores istos depingat; cur ab eorum pessimo ut sibi caverent, solum illos non hortatus fuisset? Quare eorum sententia praestare videtur, qui arbitrantur, Paulum in ipsis nostrarum Epistolarum locis ipsius mali vim magis magisque augescentem sub personae imagine depinxisse. Tum cum Christi orationibus locisque ex Joannis epistolis allatis Pauli dicta in omnibus consentiunt. Neque alius adest fons, nisi ipsa Christi dicta cum Danielis vaticiniis conjuncta eaque temporum locorumque conditionibus accommodata. Ita Lückius in Comm. ad 1 Joh. II, 18. (p. 143.) [1]) praeclare observat: Quemadmodum omnem salutem ad solum Messiam referre solebant, tanquam fontem, ex quo illa proditura sit, ita eadem theologia Judaica mala, quae ipsius regnum in terris antecedere debebant, ad Antichristi cujusdam personam annectere solebant [2]). Hujus igitur typica quaedam est significatio. Ex qua et Christi orationes, et loca, quae apud Paulum legimus, facillime explicantur. Scilicet persona omnino non significatur, sed mala tantum vis simul cum bono aucta. Ita vero intelligitur, quomodo Christus cum praedictione eversionis Hierosolymorum praedicata conjungere potuerit in eandem non satis convenientia. v. 29 — 31. Etenim simul cum singulari illo facto crescentis mali innuitur vis, ut illud hujus existat typus et quasi species; utrumque tamen ita distinguitur, ut duo hic significari haud obscure videamus, quum primum v. 6. dicatur finis post bella, quae praedicuntur, non jam affuturus, v. vero 14. postquam signa exponuntur iis similia, quae in epistolis nostris leguntur, addatur: *καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος.* Quum vero v. 34. omnia haec eventura dicantur ante hominum hujus aetatis mortem, id de illarum rerum, quarum initium est Hierosolymorum eversio, horam vero et tempus ne

---

1) Cf. Usteri p. 195.

2) P. 143. *Als sicheres Vorzeichen von der Ankunft des Messias dachte man sich eine böse, schwere Zeit, voll Sittenverderben, Pseudoprophetenthum, Krieg und Verwüstung und dergl., wodurch die Erscheinung des Messias ebenso sehr äußerlich gehemmt, als innerlich beschleunigt werden würde. Wie nun alles Heil an die Person des Messias geknüpft war, so fing man auch sehr bald an, sich alles Unheil der bösen bedrängnißvollen Zeit als antimessianische Gewalt und Macht in einer idealen Person, einem Widerspiel des Messias vereinigt zu denken, welches man späterhin den Antichrist nannte.*

ipse quidem novit Dei filius (Marc. XIII, 32.), decursu ac serie sine dubio intelligendum est. Non absque magna sane vi et gravitate antea dixerat Christus: *coelum et terra quandoque interibunt; nec tamen mei sermones interituri sunt.* Itaque innuit se rem quandam proponere spiritualem, non externam quandam prophetiam, quam potius dixisset *completum* iri. Prophetia enim sua ipsius natura interit, non tantum quum irrita fit, sed etiam quum effectu completur. Nolim tamen pro certo affirmare, etiam Paulum hos Christi sermones eodem modo intellexisse; quamquam varia ratio, qua has profert prophetias, temporumque longius spatium, quod ante adventum statuere videtur in altera ad Thess. Ep., si cum priori illam contulerimus, id saltem probare videtur, tale quid Pauli animo obversatum fuisse. Futura quum nunquam clare et distincte conspiciantur, sed non nisi obscure et quasi sub diluculo, ut prima tantum lineamenta ejus duci possint, facile ita haec confundi poterant, ut duo illa, Hierosolymorum eversio et mundi interitus regnique Messiani victoria, confunderentur inque unam eandemque imaginem coalescerent. Singula autem Paulinae sententiae capita infra data opera delineabimus.

d. Antequam vero ulterius procedamus, ea quoque conferamus, quae a Petro et Juda in rem nostram afferuntur, ne ab aliqua parte negligantur, quae ad eam exponendam quiddam facere possint. 2 Petri III, 1 — 10., si modo genuina est haec epistola, *irrisores* (ἐμπαῖκται) dicuntur prodituri esse, propter longam promissi adventus moram contemnentes praedictiones. Tum vero eadem admonitio sequitur, quam 1 Thess. V, 2. legimus, subito scilicet diem Domini venturum omniumque rerum affuturum finem. — Iidem a Juda v. 18. dicuntur *ἐμπαῖκται κατὰ τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι.* Ex his igitur nil novi discimus, nisi forte id, ut inter omnes illius aevi Christianos sparsa fuerit sententia de improbis quibusdam hominibus res Christianas ante mundi finem turbaturis.

e. Jam vero singula, quae apud Paulum hac de re inveniuntur, in unum quasi corpus colligenda sunt. Erit igitur ille Dei *κατ' ἐξοχὴν* adversarius ex ipsa ecclesia profectus, sed ab eadem deficiens, e peccato oriundus, ad peccatum ducens homines, Deo, immo cuique numini divino sese opponens. Quid, quod se ipsum Deum declarat? Apostoli tempore idem exsequi consilia sua jam

coeperat, ita tamen, ut a nemine satis dignosceretur, immo mysterium potius esset, sive, quod idem est, omnes lateret, ut veram ejus naturam, quae in ipso malo posita est, non jam liceret videre, quum adhuc a vi quadam contineatur, ipsum arcente, ne erumpat. Id vero e medio quondam auferetur, tumque apparebit, Satanae sustentatus viribus, adeo ut miracula edat, inque omnibus imitetur regni divini conditorem, sed peccati et mendacii spargendi causa, ut is haberi possit regni malorum quasi princeps. Quod Deus eo fine non impediet, ut illi, qui veritatem nolunt amplecti, sibimetipsis pariant damnationem nullamque jam habeant excusationem. — Haec vero omnia sine praeconcepta opinione intuenti per se, puto, apparebit, hanc descriptionem imaginibus involutam, ad genus quoddam falsorum doctorum, eorumque improborum hominum, referendam esse; quod hujus oraculi ipso initio eo maxime indicari videtur, quod a significatione notionis abstracta illud incipit, quum Apost. primo loco dicat ἡ ἀποστασία, non ὁ ἀποστάτης. Eodem modo τὸ κατέχον et postea ὁ κατέχων. Quod iis locis eximium in modum confirmatur, quos ex utraque ad Timotheum epistola contulimus.

Quare verum in hac re *Koppius* videtur assequutus esse, qui Excursum, quem interpretationi Epp. ad Thess. addidit, secundum, hisce verbis aperit: „Causa difficultatum, in quas, tam graves, optimisque interpretibus inextricabiles visas, omnis loci hujus interpretatio impedita fuit, iterum in *hoc uno* contineri videtur: quod locum Apostoli cum rerum in ecclesia gestarum eventu comparare, atque ex hoc illum vel plane interpretari, vel saltem quodammodo illustrare interpretes voluerunt. Quum enim post elapsa fere duo annorum millia solemnem Messiae adventum nondum apparuisse intelligerent, et tamen post ἀποστασίαν, cujus initia secundum v. 7. jam tempore Apostoli clam jacta essent, apparituram eum esse Ap. docuisse videretur; en, interpretes alii de ἀποστασία cogitare coeperunt, quae adhuc quodammodo durare dici posset; alii vero, improbabile illud judicantes, ne errasse tamen Apostolus videretur, omnino non de *adventu Christi extremo,* verum potius de *Hierosolymorum eversione* locum omnem interpretandum esse existimarunt." Utrumque hunc difficultatis expediendae modum ille perhibet ex male intellecta orationis propheticae natura et indole pro-

proficisci. Si enim hic locus ex oraculorum prophetico-rum genere esse concedatur, quod omnes interpretes faciunt, ipsaque orationis sublimitas satis indicat: inde sequitur, „neque hoc loco in singulis sententiis verbisque Apostoli eventum, qui iis respondeat, operose quaerendum; sed sublimiori spiritui, qui in quolibet vaticinio est attendendus, nonnulla tribuenda; maxime vero de tempore, quo res praedictae eventurae dicuntur, nihil accuratius, quam Propheta ipse expressa oratione significandum existimaverit, esse constituendum." — Haec in universum quidem vera, sed eo tamen restringenda sunt, ut apta ex ipso rerum eventu quaeri possit interpretatio, ita tamen, ut in rebus quae evenerint, cogitationis potius, quam singulorum lineamentorum, ut ita dicam, quae imaginem constituunt, quaeratur similitudo. Quare praecipuae tamen interpretum sententiae de hujus prophetiae vi ac valore breviter exponendae erunt, modo antea viderimus, quid sibi velit *ὁ κατέχων* hic memoratus.

2. Multo quidem propositu facilior, ad judicandum vero aeque difficilis, ni implicatior etiam, est quaestio de eo, qui *contineat* istum improbum sive Antichristum; quem, sicut hunc, Apostolorum temporibus jam exstitisse, ex ipso nostro loco certo satis concluditur; ex quo tamen simul apparet, tempus quondam fore, ubi, illo e medio sublato, adversarius iste aperte et triumphans quasi prodibit. Ergo intelligitur obstaculum aliquamdiu duraturum idque Thessalonicensibus cognitum. Multorum autem est sententia, Paulum prudentiae rationibus compulsum, tam obscure de hac *vi retinente* verba fecisse, ne scilicet odio et persequutionibus suos exponeret. Potestas quaedam innui videtur, ea vero per se nec bona, nec mala, nec lucis, nec tenebrarum regno adscripta, sed media quasi extraque illam oppositionem tamdiu posita, quam res Christiana non cum ipsa contendere coacta sit.

3. Superest, ut diversae de *homine peccati* et *illum cohibente* examinentur sententiae. In quo tamen ne justo fusiores simus, eas, quae satis jam rejectae aut per se parum sunt verisimiles, non nisi brevissime attingemus.

I. Ex horum quidem numero est *Grotii* sententia, qui hanc prophetiam ex parte ad Caligulam imperatorem, qui duodecim annis ante scriptam hanc epistolam fato functus est, ex parte vero ad Simonem Magum refert, itaque ex arbitrio dissecat, quae de uno tantum dicuntur.

κατέχων vero ipsi est Vitellius, Syriae et Palaestinae procurator; *παρουσία* supplicium, quo Judaei afficiendi sunt in excidio Hierosolymorum [1]).

II. Parum ab eo recedit Wetstenius, cui *ἄνθρωπος τῆς ἁμ.* est *Titus* (!) domusque Flavia (Joseph. B. J. VI, 6, 1.), sub quo Romani deorum statuas in templum intulerint; *μυστήριον ἀνομίας* eo refertur, quod ille jam sub Cajo in spem imperii venerit Suet. Tit. c. 4.; *κατέχων* est Nero (!!) [2]).

III. Hammondus, sicut assolet, gnosticos intrudit, ad quos defecerint Christiani (*ἀποστασία*), quorum principem et ipse Simonem Magum constituit, qui sit homo ille peccati. *Ἡμέραν τ. Χρ.* sive *παρουσίαν*, non annuente usu, *adventum Chr. ad supplicium de Judaeis sumendum interpretatur; ἐπισυναγωγὴ ἐπὶ Χρ.* illi est *major in coetibus Christianis, ad Christum colendum institutis; coëundi libertas; τὸ κατέχον* pax Christianorum, nondum ad Ethnicos digressorum, cum Judaeis, quorum causa passim etiam ritus Mosaicos observare solebant. Non opus est, ut post Clericum, Turretinum et Koppium hanc refutemus opinionem [3]).

IV. Schoettgenius, qui et ipse in Hor. Hebr. et Talm. *παρουσίαν* de Hierosolymorum eversione intelligit, per *ἀποστασίαν* magnam illam putat designari Judaeorum defectionem, qua instigantibus Pharisaeis, nam *Pharisaeismus et Rabbinismus ei sunt verus Anti-Christus,* interitum suum sibi ipsis paraverunt. *τὸ κατέχον* nil, nisi Christianorum preces. *ἐπισυναγωγὴ ἐπὶ Χ.* denique est confirmatio in religione Christiana post Judicium Christi de Judaeis peractum. Quae quam parum loci nostri indoli respondeant, non opus est monere, quum praesertim Schoettgenii interpretatio eo semetipsam videatur refutare, quod strabonis quasi prae se ferens naturam, non illa tantum tempora, sed simul ecclesiam Romanam, Antichri-

---

1) Satis refutatur haec sententia a *Simplicio* in Crit. sacr. Calov. in Bibl. illustr. et Kopp. Exc. II. ad h. epist. judicat, *deesse huic conjecturae in hypotheseos gratiam susceptae, fidem et praesidium ex historiarum monumentis repetitum omne.* p. 136. Turretin. p. 483 — 93. Quo modo Grot. chronologiae succurrat, in prooemio attigimus.

2) Kopp. l. l. p. 134.

3) Hammond. Paraphr. ed. Cleric. lat. vert. 1699. fol. Turretin. p. 493 — 501. Kopp. p. 128.

stumque papalem respexerit. In quo tamen vir doctissimus verum quid, typicam scilicet talium oraculorum naturam, tactu quodam interiore justoque sensu naturali ductus, suspicatus esse videtur.

V. Multo vero probabilior est Clerici sententia, modestissime tamen et dubitanter proposita, quae nuperrime Usterii quoque assensu novum nacta est praesidium (p. 197 — 200., ubi integra etiam Clerici verba recuduntur). Ἀποστασίαν ille quidem suspicatur vocari *defectionem* illam magnam Judaeorum, qua imperii Romani jugum excutere frustra conati sint; ἀνθρ. τ. ἁμαρτ. sunt Judaei rebelles, maxime vero *Simon*, non Magus, sed *Giorae filius* (*Joseph.* B. J. II. fin.) quos Josephus ἀθεότητος aperte insimulat. Auctoritas autem procerum Judaeorum et metus Romanorum fuere τὸ κατέχον; versu vero 7. μυστήριον τῆς ἀνομίας, quod fieri incipiebat hoc tempore, erat in eo situm, ut specie libertatis populi Judaei, immo et observationis accuratioris legis Mosaicae, nequissima regnandi libido occultaretur, donec auctis viribus, quod clam quaesitum erat, tandem pateret. Quam sententiam, qui accuratius cognoscere volet, is Clerici inspiciat ad Hammondi N. T. notulas et Usterii bellam sane expositionem, sed nihil novi afferentem, qua confitemur nos quidem minime persuaderi. Quibus vero rationibus commoti, hanc etiam interpretationem rejiciendam esse ducamus, nunc exponendum est. Quae in his fere versantur capitibus.

1. Παρουσία tum per se non adhibetur de Hierosolymorum eversione, nisi ubi typice illa tanquam adventus Christi extremi primus quasi proponitur actus, tum vero omnis posterioris ad Thessalonicenses epistolae ratio docet hanc ἡμέραν τοῦ κυρίου non posse aliam esse, atque illam de qua Apost. 1 Thess. IV, 13 — 18. exponit. Ille enim locus male intellectus, quod ipse non negat Usterius, alteri epistolae scribendae occasionem dedit. Huic quidem objectioni Clericus occurrit, observando ab Apostolis, praeeunte ipso Christo, Hierosolym. excidium cum extremo Christi adventu conjungi, ut qui ab altero timuerit, solatium ita accipere potuerit. Sed aperte quod Apostolus exponit ad omnes spectat Christianos, non ad eos solummodo, qui Judaeam inhabitabant.

2. Ἀποστασία aperte defectio est, non a Romanis,

sed a re Christiana. Demus vero, ne in re, de qua tamen disputari potest, nimis insistere videamur, demus eam rebellionem posse hic significari, quomodo quaeso, ejus duces tantis contumeliis afficiuntur? Quoniam etiam praeter illam defectionem futuri erant homines nequissimi, respondet adversarius. Sed hiccine ipsa impietas in illa defectione sine dubio inest; quare defectionem illam a rebellione contra Deum omneque quod veneratur, non diversam esse, veri saltem est simillimum, quum id suadeat loci indoles? Quidnam praeterea agant isti homines, quid Thessalonicensium intererat, quum ipso bello non imperium accipiebant, sed eo potius, quod ipsis superfuerat, privabantur?

3. Praeterea quam coactum est πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα ad magistratus referre, quoniam rectores populi nonnunquam vocabantur Dii. Cur P. ne semel quidem proprio verbo usus fuisset. Emphasis quoque quae his verbis inest, minime negligenda. Non minus displicet, si illi rebelles se ipsos dicuntur declarare Deos; quando id quidem fecerunt? quando in templo *sedebant* i. e. Deorum sibi arrogabant sedem et auctoritatem? Inquies forsan, non omnia hic ad unguem resecanda esse: pro arce bellica eos habuisse templum satis constat: id quidem verissimum; sed vergere debebant singula verba eo magis ad propriam expositionem; non ab ea toto coelo recedere. Etiam μυστήριον ἀνομίας invito tantum ad hanc cogitur rationem, si de Simonis in Acrabatena toparchia tyrannide, quam, occultius tamen, collectis latronibus, exercuerit, exponitur. Quo denique modo fallacia his tribui possunt miracula?

4. Quid denique Thessalonicensium illa seditio tanti intererat, ut de illa aut tam anxie et sollicite inquirerent, aut tantum timerent, ut eorum status hac re perturbaretur. Nec tamen ignotum illis erat, quid ex Apostoli mente esset τὸ μυστήριον τῆς ἀνομίας et ille κατέχων (οἴδατε).

Quare etiam hanc explicationem penitus rejiciendam esse putamus; simulque e rationibus, quas proposuimus, id efficitur, ut non possit ulla interpretatio admitti, quae prophetiam ad solum Hierosolymorum excidium restringere conetur [1]).

---

1) Cf. Turretin. p. 501. sq. qui hac de re legi dignissimus est.

VI. Ab hoc parum recedit doctissimi Angli sententia, cui ἄνομος ille tota est Judaeorum gens (Jes. XI, 4.), κατέχων Claudius imperator, huic genti apprime favens. Quae sententia, quum argumentis supra allatis satis refellatur, Turretini malumus afferre judicium de omnibus hujusmodi expositionibus. Adversus illas scilicet „praejudicium est satis firmum (*un préjugé assez fort*) ex eo, quod nemo *veterum* illas expositiones protulit, et quod eventus, qui vulgo est clavis Prophetiarum, animos ad eas non deduxerit. Non dicimus argumentum hoc esse invictum; sed fatemur, quod si adeo non evidens sit, mirum est ab eventu manifestatum non fuisse [1])

VII. Omissis solutionibus, quae Apostolicum aevum excedunt, permultis, ut de *Muhammede* [2]) et *ecclesia Protestantium* aut *Luthero*, quae Pontificiorum quorundam est sententia [3]), ad illam nos conferamus, qua Pontifex Romanus Antichristus esse statuitur [4]).

Veteres interpretes, ut Irenaeus, Tertullianus, Chrysostomus, Theodoretus, Basilius Magnus, alii, Antichristum putarunt illis temporibus necdum venisse, sed etiamnum exspectandum esse, quamquam ex uno quasi ore Neronem ejusdem haberent typum sive imaginem singula, quae in ipso appáritura sint, praeformantem. Variis autem vividisque coloribus ita illum depingunt, ut quidquid mali cogitare possis, in illum unum conveniant. Ὁ κατέχων vero plerisque est imperium Romanum, quod adversarium illum ecclesiae Christianae nequissimum continet, quo minus erumpat, in qualiacunque scelera.

His igitur superstruentes patrum sententiis ecclesiarum reformatarum plerique interpretes et ipsi sub illo *retinente τὸν ἄνομον* nihil aliud intelligunt, nisi imperium Romanum, quod certis finibus cohibuerit potestatem papalem, donec ab Odoàcero e medio tolleretur, itaque An-

1) p. 508 — 15. Whitby Comment. et Paraphr. in N. T. Lond. 1703. fol. 2 Voll.

2) Turretin. p. 515. Benson. p. 240.

3) Benson. Paraphr. Exc. II. germanice vertit Bamberger. p. 241. sq. ubi ceterae quoque excutiuntur hypotheses.

4) Haec sententia a tam multis tamque copiose proposita est, ut unum tantum alterumve interpretem afferre conducat. Cf. *Calixti*, *Turretini* (p. 522 — 30.), *Bensonii* expositiones. Bengel. Gnom. (p. 985 sq.) — (cf. Kopp. p. 119 sq.) Flatt. (p. 425 sq.) Tychsenii, ministri cujusdam in Holsatia, contortam refellit opinionem.

tichristo occasionem praeberet, impium ipsius regnum condendi. Alii vero, quum viderent terrenum sacerdotum imperium non ita crevisse, usque donec, auctoribus Pipino ejusque filio, Carolo magno, Francorum regibus, ditiones quaedam a Graecorum imperio avulsae illis concederentur possidendae. Alii vero ad illum demum tempus hanc prophetiam malunt referre, qua Henricus quartus, renovati imperii Romani Caesar, a Gregorio VII. conculcaretur sive in universum ad paparum Romanorum et Imperatorum longa et vehementissima certamina. Tum quidem imperium Romanum non plane eversum, sed tamen ita diminutum est, ut non jam esse potuerit κατέχων. Itaque illi conjecturae eventus parum respondet; quod idem valet de eorum sententia, qui de Paschalis II., Innocentii III., aliorum Pontificum cogitant immani sane arrogantia; ubi enim nunc est imperium Romanum? Attamen ipsa quoque curia Romana aliquantulum, quod negare haud licebit, in melius est mutata; saltem non aucta, sed potius diminuta.

Praeterea bene in pontificem Romanum ejusque regnum omnia quadrant, quae de *improbo* leguntur in eo loco, in quo explicando versamur. Quare in contentionibus, quae saeculo decimo et undecimo Imperatores inter et papas Romanos agitatae sunt, qui pro Imperatoribus verba faciebant, aperte dicebant Papam *eum esse, qui debuit sese extollere supra omne id, quod vocatur Deus.* Valdenses postea et Albigenses, Viclefius omnesque fere reformatores, ut Plinii verbo utar, rerum ecclesiasticarum idem senserunt. Quomodo singula in Papatum conveniant, ex ipso loco demonstrabimus, ut lector intelligat, pontificem Romanum, nisi ipsum Antichristum, tamen ejusdem esse consanguineum.

1. *Ἀποστασία.* Quis magis unquam a Christi religione defecit, ipsius tamen simulans venerationem? In duobus enim capitibus posita est redemptionis summa: primo in liberatione a legis Judaicae gravissimo jugo; at vero ecclesia Romana novum imposuit jugum, idque multo etiam gravius. Tum vero redemptio complectitur liberationem a peccato, quae in ecclesia Romana ex opere fit, quod vocant, operato, sacerdotali scilicet absolutione, quae vel argento coëmi potest (*nundinatio indulgentiarum*) [1]. Sed non ad Judaicam tantum illa ecclesia re-

---

1) *Chemnitii* examen Conc. trid. P. IV. c. 3. Digna est, quae

lapsa est servitutem, sed ad Ethnicam etiam idololatriam, Christi venerabilem sane matrem sanctosque (ex parte κατ' ἀντίφρασιν ita dictos) cultu, nisi pagano, tamen minime Christiano prosequuti, delapsi, maxime si consuetam ecclesiarum praxin, crassis superstitionibus refertam, respicias.

2. Ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, υἱὸς τῆς ἀπωλείας, modo collective hoc dictum esse existimas, ad nihil satius applicari poterit, quam ad papas Romanos. Quis unquam scelestior fuit *Sergio* III. († 911.), *Joanne* XII. († 965.), *Bonifacio* VII. († 985.), *Benedicto* IX. († 1044.), *Joanne* XXII. († 1334.), *Alexandro* VI. († 1503)? quibus tamen multi adjici possunt facili opera. Nihil dicemus de *Nicolai* I., *Gregorii* VII., *Innocentii* IV., *Bonifacii* VIII., aliorum, imperitandi cupidine et intolerabili arrogantia, quum haud ignoremus, eos temporum rationibus quodammodo excusari, quin etiam ex parte justificari posse, quum publica rerum conditio nonnunquam strenuam requirat manum rectricem. Attamen, quamvis multa detrahamus, tamen horrenda remanet flagitiorum et cujuscunque generis peccatorum summa. Praeterea imperium, quo conscientiae et mentes hominum fallaciis adstringuntur, ut veritas summum est hominis bonum, sine qua reliqua in nihilum rediguntur, omnique privantur vera dignitate, ita est maxime abominandum ac nefarium. Quapropter, etiamsi inter pontifices Romanos viros bonos, immo optimae indolis fuisse lubenter confiteamur, haud tamen dubitamus papatum regnum ἀνομίας et ἀπωλείας habere [1]).

3. Nemo vero magis meretur vocari ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα. Quod si imperatores ac reges terrestres intelligeremus, nonne papae Romani orbis terrarum affectabant, non in rebus tantum spiritualibus, sed in externis etiam negotiis, summum imperium auctoritatemque super omnes reges tanto spatio elatam, quanto coelum differt a terra. Quisnam ignorat pontifices Romanos jus sibi arrogasse reges constituendi et removendi, subditos absolvendi a

---

hic legatur, Historia articuli de indulgentiis in conc. Tridentino receptis. *Sarpi*. vers. Rambach. VI. p. 368. 69. *Planck* Gesch. des prot. Lehrbegr. I. p. 30. sqq. (ed. 1781.) cf. Excerpta e *Laurentii Banckii* Taxa S. cancellariae Romanae, apud Bensonium l. l. p. 244.

1) Cf. Calixt. Exp. litt. p. 24 — 33.

jurata fide, immo filios adversus patres excitasse atque docuisse, sua auctoritate impune naturae vincula posse solvi? Instar omnium dictum *Hadriani* quarti sufficiet decerptum ex Epistola ad Episcopos Germaniae, quae in *Aventini* legitur Annalibus l. VI. „Per nos imperat, ait iste, imperator; quod habet, totum a nobis habet. Sicut Zacharias transtulit imperium a Graecis ad Teutonicos: ita et nos possumus ab Allemannis transferre ad Graecos. Ecce in potestate nostra est, ut demus illud, cui volumus, propterea *constituti a Deo supra gentes et regna, ut destruamus, evellamus, aedificemus et plantemus.*" Ne vero longiores simus in re, quae eheu! tanta impudentia se ipsam prodit, ut probatione non indigeat, ad alterum potius nos convertimus. Possuntne igitur papae Romani tantae insimulari amentiae, ut supra omne, quod vocatur Deus aut Numen se ipsos extulerint?

Ante vero quam ad singula procedamus, in universum animadvertendum est, etiam de eo, qui non aperte profitetur, se Deum esse, tamen dici posse, eum divinam sibi arrogare auctoritatem, modo ejus et opera et venerationem illi debitam sibi sumat. Mysterium hic peragi, observat *G. Calixtus.* „Haud igitur existimandum est, inquit, fore, ut in medium prosiliat hominum quidam, qui clamet, se Deum esse creatorem coeli et terrae, aeternum, et infinitae sapientiae et potentiae. Neque enim mysterium id esset, sed res ridicula et insulsum istum divinitatis candidatum mortales in carcerem compingerent, vel Anticyram navigare juberent. At, uti nos docuit Sp. S. mysterium peragetur, quod in oculos et sensus omnium non incurrat. Cuniculos aget ille adversarius, et non quidem ita nude et jejune se Deum dicet, sed ea tantum sibi arrogabit, quae sunt Dei ac sine sacrilegio ac blasphemia alteri tribui nequeunt: interim nomen potius et auctoritatem Dei, quam vel suam ipsius, vel cujusquam alterius prae se feret, seque Dei jussu et instinctu agere quid agit.". His igitur suppositis, si de Papatu Romano quaerimus, multa sane sunt, quae in hanc rem afferamus.

Supra Deum sese extollit, qui sua auctoritate Dei praetendit mutare vel infringere leges. Jam vero Baronius, testis non sane spernendus in Annalibus (T. IV, ad a. CCCLXXIII §. 21.) scribit, „ab *arbitrio* Romani Pontificis pependisse fidei decreta sancire et sancita mu-

tare [1])." Praeterea vota etiam et juramenta Deo facta et invocato nomine divino praestita solvere qui sibi arrogat, is profecto supra Deum evehi studet. Quid? ἀναμαρτησία sive infallibilitas, quam affectant Papae, nonne solius Dei est? — Terra vero non contenti, proclamabant etiam, sibi inferorum, sive, ut proprio vocabulo rem efferamus, purgatorii competere imperium. Immo eo usque procedebant amentiae, ut ipsis quoque angelis mandata injungere non vererentur, omnem scilicet Christi potentiam in se translatam esse asserebant [2]). Sic in bulla *Clementis* VI. de anno Jubilaeo (1350.) haec leguntur verba: *Prorsus mandamus angelis Paradisi, a purgatorio penitus absolutum in Paradisi gloriam introducant* [3]). Quae quum spuria sit, tamen saepe a Romanis theologis eadem doctrina attingitur.

4. Jamjam nihil deesse videtur, ut Pontifex Romanus consedisse in Dei templo, seque ipsum Deum professus esse dici possit; *ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ καθίσαι, ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ Θεός.* — „At ecce Dei appellationem (non temperare nobis possumus, quin longiorem describamus e Calixto locum, hanc materiam, ut nobis quidem videtur, exhaurientem) et quidem in ipsis glossis approbatis juris Pontificii ex editione *Gregorii* XIII! *Credere dominum Deum nostrum papam — non potuisse statuere prout statuit, haereticum censeretur* [4]). Haec non expungunt Magister, quem vocant, palatii, ceterique libris expurgandis an depravandis intenti, homines, alioquin adeo emunctae naris, ut Erasmum aut Melanchthonem viros doctos appellari ferre nequeant, sed ejusmodi elogia, ubicunque deprehenderint, eradi ac deleri jubeant. Neque est, quod a poëticis ele-

---

1) Cf. Chemnit. Exam. Conc. Trid. V. I. p. 93. med. (ed. Francof. 1716.)

2) Sarpi. VI. p. 50. 58. *Gieseler* Kirchengsech. II, 2. p. 209. f. (235. u.) Sanctos, angelos honore aequat, auctoritate sicut Apostolos superat Papa tanquam Dei ipsius Christique vicarius. cf. Innoc. III. Epist. 326. ad Faventin.

3) Cf. *Gies.* K. G. II, 3. p. 256. not. Haud tamen scio, annon forte haec bulla experimenti causa ab ipsa Curia Romana secreto sparsa esse possit putari.

4) *Zenzelini* Gloss. ad Extravag. *Joann.* XXII. Tit. 14. de verborum Significatione. c. IV. fin. cf. *Gieseler* K. Gesch. Vol. II. s. 3. p. 98. e. — 100.

gantiis et grandiloquentia excusationem vel praetextum inutuentur. Absolute enim *dominum Deum nostrum* dicit glossa et *sambucam citius caloni aptaveris alto, quam* glossatori isti poëticum dicendi genus. Similiter *Nicolaus* I. in Epistola ad Michaelem Imperatorem, ex qua capitulum VII. distinct. 79. ita incipit: *Satis evidenter ostenditur a saeculi potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem, quem constat a pio principe Constantino Deum appellatum. Nec posse Deum ab hominibus judicari manifestum est.* Si Deum in poëtico aut alio etiam lato sensu acceperit, nulla fuerit consequentia. Rectissime igitur Fridericus II. in Epistola ad Othonem, Bavariae ducem, apud *Aventinum* Annalium lib. VII. „*Pontifices,* ait, *Romani affectant dominationem atque divinitatem, nempe ut ab omnibus haud aliter, immo magis quam Deus timeantur.*" In concilio Lateranensi (1512 — 17. sess. IV.) ecclesia lacrymans ad Julii II. pedes provoluta eum implorat, tanquam *alterum in terris Deum.* Praeterea quae legantur digna sunt Bellarmini de hac re verba [1]). Dixerat enim *Gerson* in considerat. XI. „Ne sequatur scandalum pusillorum, qui aestimant *papam esse unum Deum, qui habet potestatem omnem in coelo et in terra.* Respondet *Bellarminus: Teneant pusilli et simplices papam Deum quendam esse, et potestatem omnem habere in coelo et in terris. Deo plus placet eorum infirmitas et simplicitas, quam firmitudo eorum, qui prudentes sibi videri volunt, proindeque auctoritatem Vicarii Christi, ut mos est nostrae aetatis sectariis omnibus, deprimere conantur.* Exiguum quid est, *Papam pro Deo in terris haberi, quum de* omnibus principibus *in Psalmo dicatur: ego dixi, Dii estis. Nec inconveniens est dicere Papam potestatem omnem habere in coelo et in terra, quum Christus ipse dixerit: Quodcunque ligaveris super terra, erit ligatum et in coelis. Quod tamen a veris et doctis Catholicis sane et recte intelligitur. Et ut rem paucis complectar, credo dici posse et recte dici, tam eximiam esse summi Pontificis dignitatem et*

---

1) Respons. ad Tract. et Resolut. circa valorem excommunicationis Jo. Gersonis in Vol. Opusc. de causa Venet. ed. August. 1606. p. 468. cf. Cocceji Opera. T. VII. in illustrium locorum de *Antichristo* agentium repetitione p. 44.

potestatem, ut pauci ejus sublimitatem et splendorem capiant et assequantur. Potest enim totum illud facere, quod ad deducendas in paradisum animas necessarium est; removere omnia obstacula, quae mundus et daemon fraudulenter et dolose opponunt.

5. Haec vero, quum accuratissime in ecclesiam Romanam quadrent, minus facile est, cetera huic accommodare sententiae. *Τὸ κατέχον* sit imperium Romanum. Num id Pauli tempore retinebat sacerdotum Romanorum arrogantiam et imperitandi libidinem? Minime! Quum haec enim scriberetur epistola, nondum aderat ecclesia Romana, nondum institutus fuerat hujus urbis episcopus. Ponamus vero Paulum de eo errorum genere verba facere, e quo illa ecclesia propullulavit: quomodo contineri tantum diceretur, ne erumperetur, quum vel maxime non nisi prima germina tum temporis affuisse putare possimus, quae ne tam cito augescerent, sane non erat timendum. Praeterea nullo modo post eversum Romanorum imperium tam celeriter imperium obtinuisse dici potest paparum potestas. Qua denique ratione tum jam haberi potuisset *μυστήριον ἀνομίας ἐνεργούμενον*, improbitas occulto augescens et vires suas exserens?

6. Nihil vero magis iterum convenit ecclesiasticae historiae, quam adventus Antichristi cum Satanae potentia. Cujus enim sunt immania flagitia, haereticorum poenae capitales, quaestiones in eosdem horrenda impietate habitae, quibus *inquisitionis* nomen inustum est, tantae fraudes, tantae cupiditatum sentinae, in atrocissima scelera erumpentium, quibus commaculatus est Papismus, nisi Satanae? Ubi falsa miracula; ubi omne fraudis genus (*ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας*) crebriora quam in ista ecclesia. Ubinam lacrymae per fraudem eliciuntur e cavis signorum oculis; ubi aves hoc ipso aevo vivificantur in sartagine atque avolasse dicuntur? Sed quid singula commemorem: nihil deest mendaciorum (quorum ipse diabolus pater est), nihil fallaciarum: quin immo perfectissimum et subdolum malarum artium et machinarum *systema* a pontificibus vafrisque sacerdotibus excogitatum est, quod summo jure Satanae dixeris regnum. Ne tamen quis imprudenter putet, me haec probra in *Ecclesiam Catholicam* conjicere, monendum esse duco, hanc ad veram pertinere Christi ecclesiam, et, quamquam teterrimis maculis

adspersa sit et ipsa, tamen toto coelo a *Papismo* distare: hunc, non illam designari ex omnibus, quae proposuimus, cuique, qui de tali re judicium ferre potest, sponte patebit.

Haec respicientes argumenta, quae sine ira et studio proposuisse nobis videmur, negare non possumus, tam multa ad Sacerdotum Romanorum seriem apte non posse applicari, ut alia quaedam quaerenda sit explicatio. Quare octavam addere placet sententiam, eamque ab iis profectam interpretandarum prophetiarum principiis, quae supra exposuimus.

VIII. Mihi igitur cum Koppio adversarius ille *principium* esse videtur sive *vis spiritualis evangelio contraria*, quae hucusque tamen in Pontificiorum Romanorum operibus ac serie luculentissime sese prodidit, ita tamen, ut omnia etiam mala, quae in ecclesia - compareant, ad eandem Antichristi ἐνέργειαν sint referenda. Ejus vero παρουσία i. e. summum fastigium, quod Christi reditum, qui nihil aliud est, nisi regni divini victoria, antecedet, futurum adhuc esse videtur, quum illud tempus procul etiamnum abesse putemus, ubi omnes terrae incolae in eo erunt, ut ad Christi sacra transeant. *Κατέχον* vero cum Theodoreto putarim esse Dei voluntatem illud Satanae regnum cohibentem, ne erumpat, et, si mediae spectantur causae, Apostolorum tempore maxime imperii Romani vis, et quovis aevo illa resistentia, quam malis artibus, quae religionem subvertere student, privati commodi et honoris augendorum cupiditas opponere solet. Cuique tamen relinquimus, ut hanc sententiam ad singula capita vel applicare studeat vel omittat. Id tantum nostri officii esse putamus, ut ostendamus, quam brevissime id fieri possit, Apostolorum jam tempore eorum malorum, quibus ecclesia postea contaminata est, prima saltem initia exstitisse.

1. Periculum erat ab initio, ne multi Christiani ad ritus Judaicos relaberentur, libertatemque omitterent Christianam; cujus rei initium epistolae Pauli ad Galatas datae, nec non epistola, quae ab incerto auctore ad Hebraeos scripta est, luculenta sane sunt documenta, quibus multa singula loca addi possunt. Ita in ecclesiam Romanam caeremoniarum totiusque sacerdotii ordo e Judaeorum cultu transiit et ita quidem, ut in eo maxime poneretur salutis spes.

2. Paganismus hic illic cum religione Christiana misceri coepit, quod in gnosticis maxime quidem obtinebat et in iis, qui morum integritatem externumque decorem negligebant. (1 et 2 Cor. alias.) Praeterea extra ecclesiam, exceptis tantum Judaeis et quibusdam philosophis omnia idolis subjecta et ex parte foedissima superstitione oppressa fuisse, satis constat. Illa morum impuritas, haec idololatria, quam mature in ecclesiam irrepserint, quantaque lue eam affecerint, nemo ignorat. Quam longe lateque sparsa fuerit praestigiarum fides nocentissimis caerimoniis obnoxia, e Taciti ac Suetonii historicis libris satis superque patet. Hinc ex parte saltem derivari poterunt falsa miracula, quorum ecclesia permagnum prae se fert numerum [1]).

3. *Γνώσεως ψευδωνύμου* et falsae *ἀσκήσεως* exempla deprehenduntur in doctoribus istis ecclesias, Colossensem et Ephesinam (ut videmus ex Epistolis ad Timotheum datis), perturbantibus. Quid? nonne Romani quoque de sublimiore quadam cogitant perfectione, quae sacerdotum maxime sit, et consistat in abstinentia a cibis quibusdam et in vita caelibe. Itane lex scribitur, ut incorruptae naturae, ita etiam Deo contraria? Quod ipsa prodit Pontificiorum inconstantia: eo enim, quo sine peccato uti licet, abstinere nullum potest esse meritum, ni *causae internae* accedant. Aliud est, si quis sponte, animo ad summum bonum converso, a terrestribus rebus retrahitur; id minime esse vituperandum et nos concedimus: id vero quarundam tantum naturarum, nequaquam vero cujusdam ordinis; neque lex est, sed interna, ut ita dicam, necessitas. Quare naturae, id vero est divinam, legem pervertunt Pontificii, sicut Apostolicis jam temporibus nonnulli homines, praecipue quidem, ut videtur, in Aegypto, ubi Essenorum societas maxime florebat. — 1 Tim. IV, 1. sq.

4. Huc etiam pertinet *Angelolatria*, quam passim obtinuisse Apostolorum temporibus (Col. II, 18. Apoc. XIX, 10. XXII, 8. 9.) e multis probari potest locis.

5. Etiam Fastus ille a religione Christiana omnino alienus nonne e Judaismo, qualis Apostolorum fuit tem-

---

1) Qui dubitat, is adeat Acta Sanctorum, quorum ingens moles nonnulla quidem bona, sed innumeras simul ineptias et foeda facinora continet.

poribus, et e Paganismo invectus est? In eo vero depravationis radix et summa est, ut homines plerique externis caeremoniis, quam spirituali ac vero cultu, qualis summo Numini, Deo optimo maximo decet, eum venerari malint. Cujus rursum inclinationis non alia est causa, quam *aeternae salutis nunquam exstinctum desiderium* cum *depravatione humana.* Quare hanc, si placet, dicas Antichristum, quae sententia ab ea, quam proposuimus, parum diversa est, illud vero salutis studium *τὸν κατέχοντα.* Quod si ita hujus loci constitueris sensum, magis etiam a proprio sensu est recedendum.

Quid autem mali dici potest, quod non e pravitate voluntatis humanae originem trahat, quae primo quidem in occultis animi penetralibus habitare, tum vero vires suas paulatim magis magisque solet explicare. Et initio quidem pugnat cum salutis desiderio eodemque continetur, donec errores, cupiditatibus conjuncti, hominem eo abripiunt, ut nequissima quaeque facinora peragenda non reformidet. Idem in humano genere obtinere videtur, ut pravitas primum pugnans cum meliore hominis natura sive salutis desiderio, modo emergat, modo deprimatur. Quum vero mali vis se auxerit, illa non desistit ab impugnando illo melioris status desiderio, donec illud penitus devicerit. Tum e medio sublata est vis continens soliumque regium occupat *ἐνέργεια τῆς πλάνης*; jam peracta est *ἀποστασία*, adest *ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας* sive Satanas in multifariam formam conversus; summa imis miscentur; neque auxilium adest nisi in ope divina, nisi in Christi apparitione ad judicium.

---

b. Paulus, quum de Christi adventu exposuisset signisque, quibus dignosci posset, quando ille exspectandus esset, jam redit ad gratiarum actionem, quam I, 3. inceperat, a qua tamen hic locus eo differt, quod non tam de profectibus Thessalonicensium agitur, quam de gratia divina, quae eosdem elegerit, ut participes essent gloriae Domini J. Ch. — Hi igitur versus a 13 usque ad 17 tanquam epigraphus sunt eorum, quae de ejus apparitione supra legebantur. Flattius, praeeuntibus Chrys. [1]), Da-

1) Chrys. *Κατέσεισε τῶν ἀκροατῶν τὴν διάνοιαν, οὐκέτι ἐποίησε*

masc., aliis, haec verba ita cum v. 10 — 12. conjungit, ut Apostolus Thessalonicenses hortetur ad gratias agendas, quod ipsi divino beneficio non ex eorum sint numero, qui tanquam reprobi ibidem depingantur, quodque sincera mente evangelium acceperint ac sequuti fuerint. *Agnoscite quanta bona Christianis prae ceteris hominibus contigerint, summoque studio impense quaeratis, ut eadem semper teneatis!* Et rectius quidem sic constitui videtur loci nexus, ac si cum Bengelio huic loco *solatium inesse* statuimus post *praedictionem rerum tristium.* Quid, quod hae ipsae praedictiones potius veris Christianis consolationi esse solent inter miserias hujus aevi? — Possis tamen utrumque conjungere, quod facit Theophylactus: „Quum horribilia quaedam, ille inquit, explicasset, et quae possint auditoris animum conturbare, nunc horum lenit corda, ita commonefaciens: Sunt quidem aliis ista horrori, his, inquam, qui perditi sunt, in quos et plurimum habent daemones ditionis, nobis vero gratiae sunt Deo pro vobis agendae, quandoquidem vos ipse elegerit et caritate complexus sit. Si vero ipsi pro vobis Deo habemus gratias, longe magis id ipsum factitare debetis et in proprium commodum Deo grates referre."

Etiam hic igitur videmus felicissimum fuisse internum Christianorum Thessalonicensium statum; id quod ipsis suis verbis innuere videtur Apostolus, quum blandissimo primum utatur alloquio *ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ κυρίου*, tum vero statim incipiat ab eorum electione salutifera [1]). — Sicut isti, qui exitio digni et devoti sunt, cum Antichristo arctissimo vinculo conjunguntur, ita cum Domino sive Christo illi, ad salutem vocati, ideoque Christo (1 Thess. I, 4. *ὑπὸ Θεοῦ.*) dilecti. Num vero ob id ipsum ipsos laudat? Minime. Ad Deum potius dirigit eorum animum, a quo solo pendeat eorum salus. *Θεὸς εἵλατο*

δεινὰ τὰ παρόντα νομίζειν, ἀλλ' εὐχαριστίας ἄξια. διόπερ ἐπήγαγεν κ. τ. λ. Sequuntur versus nostri verba.

1) Baumgarten: *Nach einer so harten Materie will Paulus mit Fleiſs liebreich handeln, daher er nicht nur den Beisatz* Geliebte *hinzufügt, sondern sie* von dem Herrn Geliebte *nennt; damit er sie* theils *der vortheilhaften Liebe, Geneigtheit und Gutthätigkeit des Herrn versichert,* theils *die Quelle aller der Wohlthaten entdecket, daraus ihnen so viel Gutes zugeflossen, damit sie zur Dankbarkeit und Gegenliebe gereizet würden.*

ὑμᾶς, vos elegit, ut mundi contagio separati ipsi essetis addicti. Olim Israelitae fuerant populus electus [1]), quae tamen electio sensu etiam sublimiori ad Christianos pertinet (ἐκλογή, 1 Thess. I, 4.), quos ipse Deus dignos reddit hac electione, ut possit eos perducere ad gloriam. — „Cur Deus, inquit Turretinus, ad tanta bona vocasset et adduxisset, nulla in ipsis causa fuerat. Etenim antea gravissimis erroribus vitiisque immersi fuerant non secus, ac ceteri Judaei atque Gentiles; neque profecto veritates evangelicas ex se ipsis detexissent, nec sua deposuissent vitia, si sibi ipsi fuissent relicti.“ In hoc vero ipso causa inest, cur P. addiderit ἀπ᾽ ἀρχῆς [2]), ab initio i. e. ab omni inde aevo, ab aeterno, 1 Joh. I, 1. ὁ ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς (cf. Joh. 1, 1. ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος et v. 2. Epistolae Joanneae ἡ ζωὴ αἰώνιος) [3]) II, 13. Ita Jes. XLIII, 13. apud Alex. legitur ἐγώ εἰμι ἀπ᾽ ἀρχῆς, quod nihil significare potest, nisi Deum ab omni aevo fuisse. Quapropter aliorum non placet sententia, qui collatis locis Phil. IV, 15. 1 Joh. II, 7. 24. vertunt: *inde a prima religionis Christianae propagatione in illis regionibus.* Bene Ambrosiaster: *Hoc loco*, inquit, *personat praescientia Dei, qui scit omnium mentes ante nativitatem eorum.* Beza: *ante jacta mundi fundamenta.* Ad aeterna igitur Dei consilia de iis ad salutem perducendis, quos praevidet credituros esse, referendum est. ἐξελέξατο ἡμᾶς πρὸ καταβολῆς κόσμου Eph. I, 4. ubi hujus electionis additur finis atque conditio εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους κατενώπιον αὐτοῦ. Ita hic quoque additur primo quidem εἰς σωτηρίαν, ad salutem consequendam per Christum nobis paratam (1 Thess II, 16. ἵνα σωθῶσιν V, 8. ἐλπίδα σωτηρίας. cf. I, 11.); tum vero ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, sicut 1 Petr. I, 1. 2. vocantur Christiani ἐκλεκτοὶ κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ πατρὸς ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος. Genitivus hic aut potest esse significatio causae

---

1) Deut. VII, 6. בְּךָ בָּחַר י״ לִהְיוֹת לוֹ לְעַם סְגֻלָּה מִכֹּל הָעַמִּים, te elegit Deus, ut esses populus prae ceteris gentibus ipsi carus (proprie populus *possessionis*).

2) Pro ἀπ᾽ ἀρχῆς nonnulli libri msc. legunt ἀπαρχὴν aut ἀπαρχᾶς, quod utrumque ex falso intellecta vetere scriptura continua ἀπαρχῆς profectum esse videtur.

3) Cf. Lücke Commentar über die Schriften des Evang. Joh. III. p. 81. sqq. Withii Oecon. Foed. III, 4. §. 21. sq.

sae efficientis: *sanctificatio, cujus auctor est spiritus sanctus;* aut adjectivi loco est pro ἁγιασμὸς πνευματικός, quae explicatio tamen ab illa parum differt, nisi quod in ea hominis conditio magis respiciatur, quam ejusdem causa. Utra vero hic aptius adhibeatur, effici non poterit, nisi antea viderimus, quomodo haec verba superioribus sint annectenda. Triplex autem constitui potest nexus; primum enim, quod plerique faciunt interpretes recentiores, sicut *Koppius* et *Flattius*, arctissime conjungi possunt cum voce σωτηρία: *salus, quam adipiscimur illa sanctitate, quae a spiritu sancto tanquam fonte profluit* (1 Thess. IV, 3.); alii cum voce εἵλετο illud connectunt, idque duplici modo, ut ἐν vel *instrumentum* designet, vel *conditionem*. Grotius, qui priorem sequitur interpretationem, πνεύματος habet pro genitivo causae efficientis sive auctoris, ἀληθείας vero pro genitivo objecti. Quomodo separavit illos Deus? quaerit ille et respondet: „Sanctificando eos per spiritum suum. Et quomodo pervenitur ad illum spiritum? *Per* fidem habitam evangelio.“ Ita quoque Chrysostomus: Ἰδοὺ τὸ ἐν πάλιν διά ἐστιν [1]). Praestare autem videtur posterior interpretatio propter nexum, qui hunc inter et insequentem versum intercedit: *sub conditione* [2]) *sanctificationis*, quae electionis est documentum, spiritualis sive per spir. s. operatae, cujus effectus est vera fides, qua evangelium amplectimur. Ἁγιασμὸς a cl. Michaelis proprio hic accipitur sensu: segregatio, qua efficitur, ut homines in populum coalescant a Deo electum, quod apud Ethnicos, (cur non apud Judaeos quoque?) fieri non poterat, nisi communicatione spiritus sancti. Quae interpretatio melior saltem ea, quam b. Koppius proposuit, qui *ipsum intelligit virtutis studium per sp. s. in Christianis effectum et excitatum.* Sed hic, ut 1 Thess. IV, 3., causam, in melius mutatam animi indolem, cum ejusdem confundere videtur singulari

---

1) Eam quoque cum Chrysost. scholia graeca tuentur interpretationem, in quibus legitur: διὰ τοῦτο δὲ πρῶτον εἶπε τὸν ἁγιασμὸν τοῦ πνεύματος, δηλῶν ὡς οὐδὲ ἐπιστεύσαμεν, εἰ μὴ ἡ χάρις του πνεύματος ἡγιάσατο.

2) De hoc usu praep. ἐν cf. Eph. IV, 4. (Winer. II. p. 137.) ab *instrumento* haud rara est translatio ad *conditionem*, sine qua aliquid fieri non potest; quare monendum est, ne novam constituamus praepositionis significationem, quum haec ejus immutatio in cogitatione magis, quam in vocis insit usu.

quodam effectu; nec negamus virtutis studium esse ex optimis quidem ἁγιασμοῦ fructibus. Eidem ἀλήθεια, אֱמֶת, *vera est religio ab Apostolo tradita;* quae quidem significatio haud raro occurrit in N. T. libris. 1 Tim. II, 4. (Tit. I, 1. huc non pertinet.) 2 Cor. IV, 2. aliisque locis. Tum πίστις ἀληθείας fides esset evangelii. Attamen ex analogia antecedentis ἁγιασμὸς πνεύματος suadere videtur, ut etiam hic intelligamus πίστιν ἀληθινήν, quae non differt a fide evangelica, qua tamen magis indicatur hominis interna conditio, quam evangelium divinitus institutum [1])

„In summo duo hic agit Paulus, inquit Calvinus: fidem enim confirmat, ne pii metu perculsi deficiant, et eos ad gratitudinem hortatur, ut pluris Dei erga se misericordiam aestiment." Quae sane est causa, cur hic electionis mentio facta sit. Illi enim ad eas ipsas gratias agendas quam maxime obstricti erant, siquidem ipsorum conditio Apostolo ejus rei causam praebebat; „sed et ipse Paulus ob caritatis vinculum, ob intimum, quo eos prosequebatur, affectum bona ipsorum pro suis reputabat, nec aliter, quam pro suis, gratias agebat." (Turretin.) Plurali autem solum Paulum hic significari e pronomine ὑμᾶς facile probatur.

14. Ἐκάλεσεν, 1 Thess. IV, 7. 1 Petr. I, 15. εἰς ὅ, ad electionem atque animum, quo eadem digni evadimus. Hoc versu vocatio, qua eligimur cum effectibus ejus ob oculos ponitur. — εὐαγγέλιον ἡμῶν, 1 Thess. I, 5. evangelii doctrina a me tradita. — Scopus igitur summo hominis studio dignus est salus per J. Ch. nobis parata. περιποίησις, 1 Th. V, 9. σωτηρίας, ut hic δόξης: ut acquiratis *gloriam*, aut qualem habet Christus (Grot.), aut quae per Christi merita in vos confertur. Hunc genitivi similitudinis usum *Flattius* tueri studet locis Hebr. XI, 26. 2 Cor. X, 1. Ut illic de ὀνειδισμῷ Christi legitur, quem Moses Aegypti Thesauris praetulerit, ita hic e contrario gloria Christi opponeretur; sed confiteor, mihi illum Ep. ad Ebraeos locum ita potius interpretandum esse videri, ut quae Moses fecerit, omnia ad futurum referenda sint

---

1) Διὰ τί, quaerit Chrysostomus, οὐ πρότερον εἶπε τὴν πίστιν, ἀλλὰ τὸν ἁγιασμόν; ὅτι καὶ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν πολλῆς αὐτῆς ἔτι δεόμεθα, ὥστε μὴ παρασαλευθῆναι. Ὁρᾷς πῶς οὐδὲν αὐτῶν δεικνύων ὄν, ἀλλὰ τὸ Πᾶν τοῦ Θεοῦ.

Messiam. Locus autem ex Ep. ad Cor. huc plane non pertinet, quum τὸ ἐπιεικὲς τοῦ X. sit aliquid in ipsa ejus natura positum. Nihilo tamen minus non is sum, qui negct genitivum posse adhiberi ad significandam similitudinem [1]). Ita Pelagius: „Ad hoc, inquit, vocati sumus, ut Christi gloriam acquiramus. Scimus enim, quoniam, quum apparuerit, similes ei erimus (i. e. nos sim. ei futuros)." Hic vero usus quum poetarum maxime tum huic loco minus accommodatus est; P. enim, postquam *suum* dixisset evangelium, significare saltem volebat, quo id factum sit mediatore. *Aethiops:* *ut* vivatis in gloria Domini. Quare genitivo hic auctorem indicari putamus. Luc. II, 9. Ab his tamen recedunt Chrysostomus et, ni fallor, Theodoretus etiam atque Ambrosiaster, qui *gloriam* hic intelligunt, *quam Christus ipse per fideles suos sit consequuturus* [2]). Sic jam Syr. ܠܬܫܒܘܚܬܐ ܕܬܗܘܘܢ ܠܡܪܢ, *ut gloria sitis Domino nostro.* Quid, quod Bauerus etiam (Phil. Thuc. Paul. p. 37.) existimat, εἰς περιποίησιν κ. τ. λ. aliter explicari non posse, quam de liberatione, quae fiat ad gloriam J. Ch. *eo consilio, ut J. celebretur.* — Δόξα, כבוד, idem fere, quod σωτηρία, felix status, in quem transferentur quondam Christiani. 1 Thess. II, 12. βασιλεία καὶ δόξα; contrarium est ὀργὴ εἰς τέλος. v. 16. cf. Col. III, 4. Quum Christus apparuerit, tum vos etiam cum illo φανερωθήσεσθε ἐν δόξῃ. — Joh. XVII, 24. Luculenter hunc versum circumscribit Seb. Schmidt. hisce verbis: „Ad quod omne etiam certissimo voluntatis et electionis suae argumento vocavit vos per praedicatum vobis Evangelium Ch., nobis (tanquam ministro) commissum, eum in finem utique, ut acquiratis futuram gloriam Domini nostri J. Ch., quam omnibus fidelibus suis daturus est."

15. Pergit Apostolus: *Constantes igitur estote, fratres, et tenete traditiones sive id, quod vobis a me traditum est, aut sermone vobiscum collato, aut litteris.* ἄρα οὖν, consequentiae ex antecedentibus significatio:

1) Matth. gr. Gr. §. 316. p. 623. f.

2) Chrys. οὐ μικρὸν τοῦτο, εἰ αὐτοῦ δόξαν τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἡγεῖται ὁ Χριστός· δόξα γὰρ φιλανθρώπου τὸ πολλοὺς εἶναι τοὺς σωζομένους. (Theodoret.: ὥστε καὶ ἐφ᾽ ὑμῖν αὐτὸν παρὰ πάντων ὑμνεῖσθαι.) Schol. ap. Matth.: δόξα γὰρ Χριστοῦ τὸ πολλοὺς εἶναι τοὺς μέλλοντας σώζεσθαι διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ.

Quum tanta electione digni sitis habiti, ejusdem tenete conditiones [1]). στήκετε, Gal. V, 1. Phil. IV, 1. 1 Cor. XVI, 13. ex metaphora satis usitata, a rebus bellicis repetita. — καὶ κρατεῖτε, *constanter tenete;* a Flattio haec verba conjunguntur, ut prodeat figura grammatica, quam vocant, ἐν διὰ δυοῖν. Κρατ. τὰς παραδόσεις non differt a κατέχετε τὰς παραδ. 1 Cor. XI, 2. illa tenete, quomodo vobis ea tradidi, καθὼς παρέδωκα. Quaenam vero sunt illae traditiones? Pontificios hoc loco tueri sua de traditionibus commenta, nemo sane mirabitur [2]). Contendunt enim, non omnia, quae ad salutem necessaria sint, in libris sacris contineri, quum Apostoli nonnulla viva voce potius docere maluissent, ut, e manu in manum tradita, ad futura deferrentur saecula. Ita Paulus Judaeorum imitatus fuisset usum, qui Mosem contendunt praeter legem scriptam oralem etiam traditionem ad suos detulisse. Sed παράδοσις per se nihil est, nisi quod aliquis nobis tradidit, ex usu vero verbi Hebr. קִבֵּל (Chald. קַבֵּל, Syr. ܩܰܒܶܠ) de doctrina maxime adhibetur alicui injuncta, quae sive in cognoscenda, sive in perficienda aliqua re versatur (sive *theoretica* sive *practica*). Quare de more adhibetur a majoribus tradito Marc. VII, 3. Matth. XV, 2. παράδοσις τῶν πρεσβυτέρων Gal. I, 14.; tum vero de praeceptis moralibus, infra III, 6.; sed hic cum Theodoreto [3]) παραδόσεις de Evangelii doctrina intelligimus, a P. Thessalonicensibus tradita, sicut παρέδωκα ponitur 1 Cor. XV, 3. de tradenda salutifera doctrina de morte J. Ch. Tenete igitur *nihil addentes, nihil detrahentes* (Bengel.) illa, quae didicistis, sive διὰ λόγου, coram vobis proposita, quum apud vos essem, (*nam praecessit locutio, sequuta est scriptura.* Grot.) sive per ali-

---

1) Damasc. Ἀναγκαῖον, φησι, τοὺς περὶ τοσούτων καυχωμένους ἱστάναι βεβαίως.

2) Id. ab Joanne Damasc. (Vol. I. Or. 1. de Imaginibus c. 23. p. 318. et Or. II. c. 15. p. 338.) jam factum esse ad tuendas imagines, satis ostendit, quantum ille a primitivae ecclesiae simplicitate defecerit. Etiam *Chrys.* Ἐντεῦθεν, inquit, δῆλον, ὅτι οὐ πάντα δι' ἐπιστολῆς παρεδίδοσαν, ἀλλὰ πολλὰ καὶ ἀγράφως· ὁμοίως καὶ ἐκεῖνα, καὶ ταῦτά ἐστιν ἀξιόπιστα. ὥστε καὶ τὴν παράδοσιν τῆς ἐκκλησίας ἀξιόπιστον ἡγώμεθα· παράδοσίς ἐστι, μηδὲν πλέον ζήτει. Illo autem tempore traditiones non jam squalebant tam foedis superstitionum sordibus.

3) Ἔχετε κανόνα διδασκαλίας τοὺς παρ' ἡμῶν ὑμῖν προςενεχθέντας λόγους, οὓς καὶ παρόντες ὑμῖν ἐκηρύξαμεν καὶ ἀπόντες ἐγράψαμεν.

quas litteras, a nobis ad vos datas. „Quid clarius innuere poterat, epistolam hanc non esse primam, sed eos jam aliam priorem ab Apostolo accepisse!“ exclamat Calovius. Id vero minime sequitur e singulari numero, non jam plures, quam unam, ad illos scriptas esse epistolas; nihilo tamen minus verisimillimum est, hic ea ab Apostolo significari, quae de Christi maxime reditu in priore, quam explicavimus, epistola tradita illis fuerant. cf. II, 2. — Syrus maluit de *praeceptis* intelligere, [illegible], Arabs vero [illegible] *dogmata* (Polyb. *monumenta??*). Nonnulli has *παραδόσεις* voluerunt esse institutiones externas politiae. Quibus bene refutatis, Calvinus addit: „Totam doctrinam, meo judicio, hoc nomine complectitur, ac si diceret, habere eos, in qua firmi consistant, si, ut erant ab eo instituti, pergant in sana doctrina.“ — Vox *εἴτε*, ut bene Gomarus annotat hoc loco, non disjungit, sed conjungit et copulat, sicut et 1 Cor. XIII, 8. et XV, 11.; sed hic est solemnis ejus particulae usus, qui in omnibus respondet latinae conjunctioni *sive — sive*, qua cujusdam notionis singula membra haud raro indicantur et enumerantur.

Moniti hujus necessitas patet, ait Turretinus, si attendatur ad levitatem et inconstantiam generis humani, quod taedio optimarum rerum persaepe capitur, praesertim si res illae optimae cum nostris affectibus pugnent et ad laborem aliquem nos obligent: His accedunt seductores, falsi doctores, qui mentibus non bene confirmatis insidias struunt, et eas ab Evangelii puritate avocant, prout saeculorum omnium experientia plus satis patuit.“

16. 17. Quum igitur summa sit hominum imbecillitas, nisi divino sublevantur auxilio, Apostolus hoc a Domino J. Ch. et Deo patre Thessalonicensibus imprecatur [1]). Simillimum legitur salutis eorum votum 1 Thess. III, 11 — 13. cf. V, 23. Illic vero, ut est Pauli consuetudo, pater filio praeponitur, quod e versu 14. facillime explicaretur, si illic de gloria cogitaremus in Christum redundante. Attamen, si de ea illud intellexerimus

---

1) Chrys. Ἰδοὺ καὶ εὐχὴ μετὰ [illegible] τοῦτο γὰρ ἐστιν ὄντως [illegible], quod sane verum est, modo is, qui precatur, Pauli praeditus sit fide, eaque operosae caritati conjuncta.

gloria, quam hic nobis paravit; non minus concinne cogitationum series ea constitui poterit, ut post sui mentionem Apost. ad Christum, salutis nostrae auctorem, redeat. Idem ordo 2 Cor. XIII, 13.

Quoquo tamen modo illud intelligas, Christo semper divina tribuitur dignitas et auctoritas. „Quoniam pater et filius, Ambrosiastri sunt verba, una virtus, unaque divinitas et substantia est: ideo non dubitavit, primum Dominum nostrum J. Ch. nominare, deinde Deum patrem nostrum [1]), dignatione ejus, non veritate naturae: qui in tantum dilexit nos, ut filium suum daret pro nobis, Deum pro hominibus, pro servis Dominum, pro adoptivis filium verum, ut mors ejus vita nostra sit et resurrectio ejus justificatio nostra; secundus autem adventus ejus requies vitae nostrae et gloria in aeternum, ut ista spes consolatio sit praesentium pressurarum, per quam fundati crescerent in bonis operibus et doctrina [2]).“

A Christo Apost. ad patrem adscendit, omnium bonorum primarium fontem, quem vocat Deum et patrem, sive si cum Grotio et Koppio conjunctionem *καὶ* epexegesin significare statuimus, *Deum eundemque patrem*. (Eph. I, 3. IV, 6. V, 20.) Is autem *pater* hic non ideo dicitur, quia omnium rerum et nostrum quoque creator est atque auctor, sed potius *πατὴρ ἡμῶν*, quoniam paterno affectu et amore nos amplectitur: per Christum est pater noster, ut circumscribendo dicit *Zacharias*; unde adjicitur *ὁ ἀγαπήσας ἡμᾶς qui nos amat et semper amavit;* nam *aoristi* hic proprius obtinet usus, ut id significet, quod, temporis non habito respectu, suapte natura seu consuetudine idem est ac manet, quod fuerat. — Divini autem amoris adjicitur effectus, quo ille nunquam caret, dando scilicet nobis aeternam consolationem et tranquillitatem, ut *nihil igitur pessumdare possit homines* (Bengel.) — Apoc. XIV, 6. *εὐαγγέλιον αἰώνιον*. —

---

1) *Θεὸς καὶ πατήρ*, sed *καὶ* etiam in textu apud ipsum deest sicut in aliis quoque iisque haud malis exemplis.

2) *Vigilius Thapsensis* in *Disputatione Athanasii cum Ario*, quae legitur in Opp. Athanas. Bened. T. II. p. 659. d. ex hoc loco probare studet Christi divinitatem; sed partibus suis tam male perfungitur, ut e singulari *dilexerit unitatem*, quam e nexu *aequalitatem* personae concludere malit. Melius Chrys. Theodoret.: *ταῦτα τὴν Ἀρείου καὶ Εὐνομίου βλασφημίαν ἐλέγχει, καὶ διδάσκει σαφῶς, ὡς οὐδὲ ἡ τάξις τῶν ὀνομάτων διαφορὰν ἀξιωμάτων δηλοῖ.*

Παράκλησις non ipse tantum est consolandi actus, sed id quoque includit, quo consolatio efficitur. Ita Luc. II, 25. liberator populi Israelitici diu exspectatus vocatur *παράκλησις τοῦ Ἰσραήλ*. ib. VI, 24. divites deplorantur, quod jam receperint eorum *τὴν παράκλησιν*, bona ipsis destinata [1]). Quare Deus vocatur 2 Cor. I, 3. *Θεὸς πάσης παρακλήσεως*.

Quoniam vero est illud bonum, quod aeternum nobis affert solatium? Id statim additur: *ἐλπὶς ἀγαθὴ ἐν χάριτι*. Bona, laeta spes aeternae scilicet felicitatis v. 14. Non diversa est *μακαρία ἐλπίς*, quae cum reditu Christi conjungitur Tit. II, 13. Quae spes est *ἀποκειμένη ἡμῖν ἐν τοῖς οὐρανοῖς* Col. I, 5. sed qua ethnici carent *οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα* I Thess. IV, 13. cf. 1 Petr. I, 3. 4. Ebr. VII, 9. — Raro P. mentionem facit bonorum a Deo in nos collatorum, ut non simul gratiam divinam nominet, quae sola est eorum causa. Quid enim prius Deo dedimus, quo ejus meriti simus beneficia? Immo inimicos quondam gratia sua suscepit [2]), *οὐ κατὰ τὰ ἔργα ἡμῶν, ἀλλὰ κατ' ἰδίαν πρόθεσιν καὶ χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν Χ. Ι. πρὸ χρόνων αἰωνίων* 2 Tim. I, 9. *gratia enim per fidem servamur*. Eph. II, 8. Possunt verba *ἐν χάριτι* conjungi aut cum *ἐλπίδα* sive *ἀγαθήν*, aut, quod praestare videtur, cum verbo *δούς*, ut ad Deum immediate referantur. Sensus tamen, *Koppio* recte monente, idem manet: *nullo merito nostro*. Igitur non satis huc quadrat Grotii adnotatio, per se quidem vera, *ingentis* esse bonitatis, pro brevi obsequio aeterna promittere et coelestia.

A Deo igitur, salutis et consolationis in quacunque fortuna fonte, precibus expetit, ut velit confirmare [3]) eorum corda (2 Cor. I, 4. VII, 6.) et eos corroborare *ἐν*

---

1) Flatt: *Er hat uns solche Wohlthaten schon geschenkt, welche Quelle ewiger Freuden für uns sind, solche Güter, welche die Christen auch in die künftige Welt begleiten. Er hat uns die Rechte der Kinder Gottes gegeben, uns in eine selige Gemeinschaft mit sich selbst gesetzt und wirkt in uns durch seinen Geist.*

2) *Theodoretus*: Ὁ μισοῦντας ἀγαπήσας, καὶ ἐχθροὺς ὄντας καλέσας καὶ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν δεδωκὼς τὴν ἐλπίδα, κρατῦναι ὑμᾶς ἐν τῇ πίστει, ὥστε καὶ λόγοις ἀγαθοῖς καὶ ἔργοις διαλάμπειν παραπλησίοις.

3) Chrys. στηρίξαι· βεβαιῶσαι, ὥστε μηδὲ σαλεύεσθαι, μηδὲ παρακλίνεσθαι. καὶ γὰρ ἡμῶν καὶ αὐτοῦ τοῦτό ἐστιν, ὥστε καὶ δογμάτων καὶ πράξεων ἕνεκεν.

παντὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἀγαθῷ. Adjectivum ad utrumque et *λόγον* et *ἔργον* referendum esse, vix opus est, ut moneamus. Sed de sensu hujus voti non eadem est, omnium interpretum sententia. „Quid petit? ait Calvinus, ut Deus consolatione sua eorum corda sustineat; nam hoc ejus officium est, ne anxietate vel diffidentia concidant: deinde, ut det illis perseverare tam in piae et sanctae vitae cursu, quam in *sana doctrina*. De hac enim potius, quam de communi sermone eum loqui puto; ut cohaereat cum superioribus.“ Ita *λόγος* etiam a Chrys., Turretino, Flattio, aliis,[1]) accipitur; plerique vero, praeeunte *Grotio*, vulgarem vocis significationem tenentes, hunc ejus loci constituunt sensum: *ut, quae recta sunt, ea et loquamini et agatis*, i. e. ut Vorstius explicat: „Det vobis, ut vos invicem et piis sermonibus et bonis operibus aedificetis, utque singuli in utroque perseveretis ac proficiatis.“ *Syr. Pesch.* ܒܟܠ ܡܠܐ, in omni sermone. Ab utraque sententia recedit *Bengelius*, qui *λόγῳ* explicat per *παράκλησιν*, et *ἔργῳ* per *στήριξιν* (male confert 1 Cor. XV, 58 *περισσεύοντες ἐν τῷ ἔργῳ Κυρίου κ. τ. λ.*), ut ad Deum, non ad hominis officia utrumque referatur. A qua sententia *Koppius* in altera editione proxime abest. „*Λόγον* et *ἔργον*, inquit, non ad Christianos, sed ad Deum, *ἐνεργοῦντα πᾶν ἀγαθὸν* in hominibus, refero.“ *ἐν παντὶ λόγῳ* pro *διὰ παντὸς λόγου* et *ἀγαθὸν λόγον* pro *ἀλήθεια* (v. 10.) accipit, ut opponatur *τῇ πλάνῃ καὶ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας*, quemadmodum *ἔργον ἀγαθὸν* istis *σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους κ. τ. λ.* *Ἔργον* igitur *ἀγαθὸν* illi significat *quidquid vere vim habet ad animos Christianorum erigendos et confirmandos*. Confert Rom. XV, 18. ubi legitur *ἃ κατεργάσατο Χρ. δι' ἐμοῦ λόγῳ καὶ ἔργῳ*. Huic vero explicationi plura habeo quae opponam; nam primo quidem nulla inest oppositorum illorum, ad quae Koppius provocat, vel levissima significatio; tum per *ἔργον ἀγαθὸν* non bene redderetur id quod K. contendit voluisse Ap.; tertio loco simillima obstant verba in Epistolae ad Ebr. c. XIII, 21. *Ὁ Θεὸς — — καταρτίσαι ὑμᾶς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ*, quibus epexegetice additur *εἰς τὸ ποιῆσαι τὸ θέλημα αὐτοῦ*; denique objectum *ὑμᾶς*, sive, si cum antiquissimis libris msc. hoc pronomen e textu ejiciendum sit (abest ex A. B. D.

---

1) Zachariae: *Erkenntniſs der gesammten christlichen Lehre.*

aliisque codd. maxime Mosquensibus, iisque optimae notae) ὑμῶν, τὰς καρδίας, proxime praecedit, ut nemo sane, quum alius nexus nulla adsit significatio, in illum facile inciderit. Quare per λόγον malumus *doctrinam* intelligere ut v. 15, sed eandem non quatenus animo insita est, sed impavide prolatam et defensam, ut hoc pertineat ad fortiter obtinenda, quae ab Apost. tradita fuerant.

PARS TERTIA.

C. III.

1. *Apostolus petit, ut Thessalonicenses precibus intercedant pro ipso votumque adjungit.* v. 1 — 5.

Paulus ad finem properans (τὸ λοιπὸν cf. not. ad 1. Thess. IV, 1.) Thessalonicenses hortatur, ut suum laborem in spargenda evangelii doctrina precibus adjuvare studeant; adjuvare, inquam; nam hoc apud Paulum saepissime recurrit, rem Christianam junctis precibus mirabilem in modum crescere atque augescere. In quo tamen majus quid inest, quam in nobilissimo illo dicto, quod *concordia res parvae crescant, discordia magnae res dilabantur.* Vinculum in ipsa rei veritate positum Christianos continet, quo efficitur, ut id, quod aliquis eorum a Deo expetat pro reliquis, in ipsis fructum non possit non ferre [1]). Chrys. et Damasc. animadvertunt, P. modo pro illis precatum, nunc ab iis petere, ut ipsi vicissim pro se precentur. 1. Thess. V, 25. Col. IV, 3.

Nihil expetit P., quod in suum vertat commodum; immo vero se ipsum minime respicit, sed potius evangelii tantum profectus [2]). *Cursus* propagationis celerrimae est haud insolita metaphora, τρέχει Damasc. προκόπτει δι᾽ αὐτοῦ τὸ κήρυγμα; duo potissimum insunt, ut *celeriter*

---

1) Pulchre dicit Chrysost. οὔτε τὸ πᾶν ταῖς εὐχαῖς τῶν ἁγίων ἐπιτρέψαντες αὐτοὺς ἀργεῖν χρὴ — — καὶ μηδενὸς τῶν εἰς ἀρετὴν φερόντων ἀντιλαμβάνεσθαι· οὔτε πάλιν ἐργαζομένους τὰ ἀγαθὰ καταφρονεῖν τῆς συμμαχίας ἐκείνης· μεγάλα γὰρ δύναται, μεγάλα ἡ εὐχὴ ἡ ὑπὲρ ἡμῶν, ἀλλ᾽ ὅταν καὶ ἡμεῖς ἐργαζώμεθα.

2) Chrys. αὐτὸς μὲν προσηύξατο περὶ αὐτῶν ὥστε στηριχθῆναι αὐτοὺς· αὐτὸς δὲ νῦν παρ᾽ αὐτῶν προσεύξασθαι ὑπὲρ αὐτοῦ ἀξιῶν, οὐχ ἵνα μὴ κινδυνεύῃ (εἰς τοῦτο γὰρ ἔκειτο), ἀλλ᾽ ἵνα ὁ λόγος τοῦ κυρίου τρέχῃ.

procedat evangelii praedicatio, utque *nullo retineatur obstaculo* et felici gaudeat successu. Ps. CXLII, 15. (עד) ירוץ דברו. Alex. (v. 4.): *ἕως τάχους δραμεῖται ὁ λόγος αὐτοῦ.* Eodem sensu legitur 2 Tim. II, 9. *λόγος οὐ δέδεται.* Ad famae celerrimam propagationem haec notio ab antiquis scriptoribus saepissime solet transferri.

Non vero citam tantum, sed gloriosam etiam evangelii propagationem in votis habet Apostolus, qui addit *καὶ δοξάζηται*, ut innuat illam triumphi instar futuram esse. Act. XIII, 48. Media, quam passiva significatione verbum hic accipere malimus; illa enim et cum *τρέχει* melius convenit, et praepositione *πρός*, quae statim sequitur, commendatur, quum apud passivum potius praeverbio *ἀπὸ* usus fuisset Apostolus. *λόγος δοξάζηται*, evangelii doctrina *laudem sibi parat* (verherrlicht sich selbst), ut bene circumscribit *Koppius*, *vim suam exserendo in animos hominum.* Idem sibi vult Hieronym. quum dicit: *Sermo glorificatur auditorum respectu.* „Currat, ait Pelagius, affluentia; magnificetur auditorum profectu.“ — *πρὸς* apud II, 5. „Ita grata mentione, dicit *Hunnius*, exempli ipsorum domestici efficaciter eos exstimulat, tum ad preces modo requisitas devote faciendas, tum vero ad perseverantiam in Evangelii obsequio, utpote quam suo Apostolo tantopere probari intelligunt. Laudantur Thess. 1 Ep. II, 13., quod evangelium a Paulo ad illos delatum tanquam a Deo, non tanquam ab hominibus profectum, susceperint. Particula *καὶ*, observante *Calovio*, adjecta est, ut innuatur, „etiam apud alios verbum jam glorificari, ut confirmet eos aliorum exemplo, et veluti ad contentionem cum aliis provocet.“ *Tacita laude*, ait *Estius*, eos ad majorem profectum incitat.

2. Pergit Apost. in cohortandis Thessalonicensibus, ut precibus a Deo expetere velint liberationem ab importunis et malis hominibus; quod absque dubio cohaeret cum evangelii libero cursu et glorificatione. Quare *Koppio* non possumus adstipulari, qui contendit *ἵνα ῥυσθῶμεν* non ad Paulum tantum, verum ad Thessalonicenses etiam referendum esse, ad quem sine dubio v. 3. redit oratio, sed, ni fallor, ipsa similium calamitatum recordatione. *ῥύω* i. q. *ἕλκω*, rarissime tantum genere activo adhibetur, sed plerumque forma media *ῥύομαι* significat eripere sive liberare, הציל, חלץ; nihilo tamen minus ejusdem invenitur forma passiva, quod in multis obtinet

mediae tantum formae verbis. Luc. I, 74. cf. 1 Thess. I, 10. *ἄτοπον* proprie id vocatur, *ὃ μὴ ἔχει τόπον*, ut habet *Suidas*, quod igitur plane absurdum et ineptum (Cic. Or. II, 4.) est: idem illud explicat per *ἄλογον, θαυμάσιον, παράδοξον, ξένον, κακόν, μοχθηρόν*. Hic cum *πονηροῖς* conjunguntur *ἄτοποι*; nec ab iis multum differre videntur. Quare ii significantur, *qui faciunt, quae sunt indigna homine, ratione praedito, et religionis praeceptis contraria*. Alex. Iob. XXXIV, 12. [Hebrew] reddit per *ἄτοπα ποιεῖν*. Ita 2 Macc. XIV, 23. *Νικάνωρ ἐν Ἱεροσ. ἔπραττεν οὐδὲν ἄτοπον* cf. Schleusn. et Schneideri Lex. ubi e profanis quoque scriptoribus exempla conferuntur. Syr. P. *ἄτοποι* [Syriac] et *πονηροί*, [Syriac], flagitiosi et nequissimi, nisi forte permutarit adjectiva, quorum alterum alterius magis respondet notioni. Cupit igitur Apostolus, ut liberetur ab hisce hominibus, qui malefactis, calumniis et exemplo rei Christianae nocebant, nec sui, sed evangelii tantum causa id expetit[1]).

Judaei maxime videntur intelligendi esse, qui Thessalonicae, ut in prooemio vidimus, acerrime Apostolum ejusque socios insequuti fuerant. 1 Thess. II, 14 — 16. Istos Judaeos ex epistola ad Galatas et aliis litterarum Paulinarum Actorumque Apostolicorum locis conjicere licet, tanto studio Paulum persequutos esse, ut ex aliquo loco in alium profecto, illuc et ipsi veherentur et arma quasi transferrent. Quid, quod ejus rei apud Justinum Martyrem, Tertullianum, alia reperimus testimonia[2]). Non tamen desunt interpretes, qui *ψευδαδέλφους* potius intelligant (2 Cor. XI, 26.), homines confessione et ore tantum, non animo et fide Christianos. Ita Flattius ex insequentibus verbis *οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις* probare studet de falsis Christianis esse cogitandum; non omnes scilicet esse Christianos nemini ignotum fuisse, ut Apo-

1) Chrys. *Ἄρα περὶ τῶν ἀντιλεγόντων τῷ κηρύγματι λέγει, περὶ τῶν διαθεχομένων καὶ μαχομένων τοῖς δόγμασι.* (Etiam Erasmo homines, qui nulli loco conveniunt, sunt haeretici.) — *οὐ κινδύνους ἐνταῦθά μοι δοκεῖ αἰνίττεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἀντιλέγοντας καὶ ἐμποδίζοντας αὐτοῦ τῷ λόγῳ, ὥσπερ ἦν ὁ Ὑμέναιος, ὥσπερ Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεύς.*

2) Dial. c. Tryph. ed. Paris. 1636. p. 234. *Ἐπειδὴ Χρ. ἐγνώκατε ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν καὶ ἀναβάντα εἰς τὸν οὐρανὸν — — ἄνδρας ἐκλεκτοὺς ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ ἐκλεξάμενοι τότε ἐξεπέμψατε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν* etc. et p. 335. Tertull. Scorpiac. c. 10. Synagogas Judaeorum dicit fontes fuisse persecutionum.

stolo non opus fuerit, disertis verbis illud dicere; id vero non constitisse inter omnes, vel inter ipsos Christianos haud paucos reperiri, qui πίστει careant, boni et fidi non sint. Sed haud scio, an per articulum liceat vocem πίστις de probitate et integritate intelligere, quum ἡ πίστις fidem potius significet, quae proprio sensu Christiana vocatur, qua rerum divinarum amplectimur veritatem. Et quam languidus prodit sensus, si rata habita illa interpretatione, cum Koppio hunc loci constituimus sensum, ut P. precatur liberationem ab hominibus flagitiosis, quum pauci sint viri boni, quibus tuto confidere possimus! Quidnam, quaeso, cogitare potest otiosius et a re magis alienum? — Quid vero, si fidem hic intelligimus Christianam, sibi vult ejusdem mentio? „Apostoli sensus sane non est, multos fuisse, qui non crederent: id enim frigidum et nullius in hoc loco usus." Quare alii, et maxime quidem plerique e Calvini sectatoribus, haec verba ita resolverunt: non omnium est fides, i. e. *non omnes possunt pervenire ad fidem*, sive, ut Vatabli verba mea faciam, *non omnes a Deo electi sunt, ut credant.* Haec vero interpretatio cum commento isto cohaeret de praedestinatione absoluta et gratia irresistibili, quod fusius refutari non hujus est loci; quare Helvetiorum potius nobilissimi cujusdam utar verbis, quibus illam rejicit interpretationem. „Minime intelligit Apostolus, ait *Turretinus*, pius ille Theologus Genevensis, fidem nonnisi quibusdam hominibus necessitate quadam infundi, ceteros vero homines ad non credendum praedestinatos esse, quae idea Deo indignissima est, perfectiones ejus omnes auferret, denique omne ab incredulitate vituperium, uno verbo, judicium omne, omnem religionem amoveret." Bene idem addit: „Multo sanior est Apostoli mens. Quum enim magnum scandalum adversus religionem Christianam inde emergeret, quod tot hostes omnis generis, et multi quidem humanis praesidiis nequaquam destituti ei obluctarentur et Apostolorum successum impedirent; respondet Ap. *id mirum non esse, non paucos esse ea indole, iis animi dispositionibus, quae adversus evangelium adversa veluti mente pugnarent* [1]), multos

1) Theodoret.: Ἡ πεισμονὴ οὐκ ἐκ τοῦ καλοῦντος· Θεοῦ γὰρ ἴδιον τὸ καλεῖν, ἡμῶν δὲ τὸ πείθεσθαι. Joh. VII, 37. Luc. IX, 23. οὐ γὰρ ἀνάγκη βιάζεται, ἀλλὰ τὴν γνώμην [illegible]

opum, dignitatum, voluptatum servos esse, *quorum omnium*, ut eximie disserit Lactantius, *ne si solem quidem in manibus gestarent, fidem nobis conciliaremus.*" 2 Cor. IV, 4. „Non quivis homines apti sunt amplectendo evangelio; sed tantum homines veritatis ac virtutis amantes, quamvis eas, antequam Evangelium audirent, non satis nossent." (Clericus) Matth. XX, 16. Attamen Bullingerius, Clarius, Wetsten., Kopp., Schott., Deldett., Flattius, collatis Ebraicis vocibus אמונה sive אמת, ea de causa malunt animi candorem (*Treu und Redlichkeit*) intelligere, quod sequatur πιστὸς δὲ κ. τ. λ. Sed haec quoque difficultas bene a Turretino resolvitur, qui quibusdam interpositis ita pergit: „Magna hominum pars ita est affecta, iis est animi dispositionibus, quae a sanctissima Christi doctrina plane abhorrent; tristis erat haec cogitatio, neque fieri poterat, quin Apostolus ipsique Thessalonicenses ea plurimum affligerentur; verum si infidelitas hominum illum dejicit, fidelitas Dei eum recreat;" inde pergit *fidelis est Deus.* — Ab utraque interpretatione recedit Syr. Pesch., quae habet: ܗܝ ܗܝܡܢܘܬܐ, non cujusque est *haec* fides, eoque ex *Boysenii* sententia spectat ad doctrinam modo traditam; id vero si voluisset Ap., sine dubio dixisset ἥδε ἡ πίστις. Arabs habet: الأمانة, fides (theologica) — οὐ πάντων litotes pro ὀλίγων. „Thessalonicenses, ait *Bengelius*, qui prompte crediderant, facile putare possent, *omnes* ita promptos fore; id *negat* Paulus, alia omnia expertus."

Quum in hisce duobus versibus Apostoli exponantur pericula et labores, non, quae Zachariae, Flattii aliorum est sententia, sub illis hominibus nequam intelligi possunt turbatores, illi quietis, qui secundum v. 11. ecclesiam infestabant *Thessalonicensem.* Nihil vero impedit, quo minus ad hos insequentem referamus versum. Nam in eo Apost. quas sibi expetiit preces, reddit, ut bene observat Theodoretus. [1]).

3. Quod saepe Apost. accidit, ut verborum similitudine ab alia cogitatione ad aliam transferatur, id hic

---

1) Damasc. Τοῦτο, ὅπερ ᾔτησε αὐτοὺς ὑπὲρ αὐτοῦ εὔξασθαι καὶ αὐτὸς ὑπὲρ αὐτοῦ εὔχεται· ᾔτησε δέ, ἵνα ῥυσθῇ ἐκ τῶν ἀτόπων ἀνθρώπων τῶν ἀντικειμένων τῇ πίστει. τοῦτο οὖν αὐτὸς αὐτοῖς ἐπεύχεται, φυλαχθῆναι ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.

quoque observamus, quum e voce πίστις prodeat: πιστὸς δὲ ὁ κύριος. Oppositum vero vocis οὐ πάντων inest demum in verbis: *Πεποίθαμεν δὲ ἐν κυρίῳ ἐφ' ὑμᾶς* sqq. v. 4. In quo internus nexus hic est: *homines illi nequissimi, qui veritati adversantur, pericula nobis pariunt, e quibus tamen speramus fore, ut Deus nos eripiat, qui ex fidelitate et veracitate sua nunquam nos deseret.* Quum non antecesserit conjunctio μέν, sensu strictissimo pro particula adversativa habeamus δὲ minime necesse est. Similis est locus 1 Cor. X, 13. ubi tentationibus ab hominibus profectis Dei opponitur fidelitas et constantia in ferendo auxilio. De hac formula cf. 1 Thess. V, 24. [1]) „Fidelem Dominum appellat, qui sibi usque in finem constat in tuenda suorum salute, illis in tempore opitulatur et nunquam in periculis deserit.“ (*Calvin.*) Quos igitur in suorum numero recepit, eos non deseret, nisi ipsi sibi deesse velint. Augustinus: „neque minatus, ait, neque pollicitus, Deus quemquam fallit: aut quisquam vel impiis supplicium, vel piis praemium ejus potest eripere.“ (in Ps. XVIII.) D. Michaelis sua hic explicatione iterum testatur, ipsum, sicut Christiani illi Ephesini (Act. XIX, 2.), nunquam audivisse esse Spiritum sanctum. Etenim, quum ex Dei veracitate non concludi possit, unumquemque hominum in bonis studiis progressurum esse, confidentiae, qua Paulus ad Deum provocat, non aliam putat statui posse causam, quam peculiare quoddam Thessalonicensibus evangelium praedicandi mandatum. Quanto aptius *Hunnius* hunc constituit loci sensum: „Etsi fides, ait, nequaquam vel omnium est hominum, vel opus humanarum virium, tamen haudquaquam ideo dubitate de salute vestra. Is enim, qui fidem semel in vobis accendit, confirmabit etiam vos in illa, nec patietur eam in vobis subverti aut exstingui. — — Fides vestra nititur Dei fide.“

Jam vero superest, ut quaeramus, utrum vox *Κύριος* hic de *Deo patre*, an ex solemni usu de *filio* sit intelligenda. Non autem diu haesitabimus, modo contulerimus versum 5., ac tenuerimus illic ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ

---

1) Chrys. *Εἰ γὰρ εἵλετο ὑμᾶς εἰς σωτηρίαν, οὐ ψεύσεται, οὐδὲ ἀφήσεται πάντως ἀπολέσθαι.* 2 Tim. II, 13. *εἰ ἀπιστοῦμεν ἐκεῖνος πιστὸς μένει· ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν οὐ δύναται.* Philo de Abele et Caino: *τοῦ πιστευθῆναι χάριν ἀπιστούμενοι καταφεύγουσιν εἰς ὅρκον οἱ ἄνθρωποι, ὁ δὲ Θεὸς καὶ λέγων πιστός ἐστιν.*

patientiam esse, cujus ipse Christus praeclarissimum exstitit exemplum. Minime igitur cunctabimur sub κυρίῳ hic quoque Christum sive potius Deum filium intelligere. Ejusdem vero divinam hic respici naturam, ex ipso voto facile colligimus, quod ad illum dirigitur. *Certo igitur mihi persuasum est, Dominum ipsum vos confirmaturum et a malo liberaturum.* στηρίξει 1 Thess. III, 3. 13. Contrarium legitur in hac ipsa epistola. c. II, v. 2. 3; *Pelagius* hanc confirmationem ad solam fidem referens addit: *per doctrinam et gratiam.* Dominus igitur non in animis tantum vestris fidei constantiam excitabit, sed extrinsecus etiam a mali telis vos tuebitur, φυλάξει ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Postrema haec vox triplici sensu accipi potest; primo quidem ita, ut genitivus sit a neutro τὸ πονηρὸν et omnia intelligantur mala, tum vero praesertim eae calamitates, quibus Thessalonicenses ad deficiendum a religione Christiana sive ad remittendum saltem in fidei constantia sollicitabantur. Ita Rom. XII, 9. legitur ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρόν; nonnunquam parum differt a πειρασμός, Joh. XVII, 15. Matth. VI, 13. (cf. Luc. XI, 4.) Hic igitur usus exemplis non destituitur locique nexui satis bene convenit; sunt tamen, qui masculinum ὁ πονηρός hic praeferendum esse putent: hi vero in binas discedunt partes; alii enim *collective* omnes intelligunt homines malos et improbos *virtuti et felicitati Christianorum insidias struentes* (Kopp.); alii autem istum malorum omnium auctorem hominumque seductorem, Satanam, inferorum regem, quem etiam Matth. VI, 13. haud pauci interpretes designari putant. Neque desunt loci in quibus disertis verbis ille vocatur ὁ πονηρός, ut Matth. XIII, 9. coll. Marc. IV, 15., et saepius in evangeliis, apud ipsum vero Paulum Eph. VI, 16. cf. v. 11. [1]). Equidem tamen primam cum *Flattio* praetulerim explicationem, quum hic non, ut in Epistola ad Ephesios, Paulo obverti videatur imago de bello inter regnum lucis et regnum tenebrarum gesto. Cur melius respondeat superiori versiculo explicatio de diabolo, quae Bezae est sententia, me nescire confiteor. Antiquiores tamen interpretes, non tantum omnes, tentatorem istum malunt huc accire. *Calovius* Hyperium, qui omnes intelligit adver-

1) Chrys. Πολλῶν ἀνθρώπων ὄντων πονηρῶν, μόνος ὁ Σατανᾶς πονηρὸς κατ' ἐξοχὴν λέγεται. Suic. Thesaur. II, p. 807. 8.

sarios, quasi argumento, quod vocant, a tuto refellit, quum dicit, qui custodiatur ab illo malo, custodiri ab omni malo.

4. *Confidimus autem, Domino ipso confirmante spem nostram, fore, ut quae praecepimus vobis, ea et faciatis, et in posterum aucto etiam studio facturi sitis.* cf. quae de Macedoniorum studio sane laudabili legimus 1 Thess. IV, 10. V, 11. *Πεποίθαμεν* iterum ad solum Paulum referendum; similem profitetur Galatarum fiduciam (Gal. V, 10.). In nostris etiam epistolis jam vidimus (ad 1 Th. I, 7.) hunc esse Apost. morem, ut laudet exhortationis causa [1]. — *ἐν κυρίῳ* (בֵּאלֹהִים ܒܡܪܢ), explicat Chrysost. *τῇ φιλανθρωπίᾳ αὐτοῦ*, tanquam ipsi erga homines Dei benignitate confidat, non hominum exiguis viribus [2]. A Grotio haec verba redduntur: *adjuvante Deo,* quod tamen, quum ad *ποιεῖτε* non possit referri, vix equidem intelligo quid sibi velit; languidius enim esse videtur, si statuamus, Apostoli confidentiam Deo adjuvante enatam esse. Quare priorem praeferre non dubitamus sententiam, quamquam haud negemus eam nimis copiose a Chrysostomo efferri, quum non tantum insit, quantum ille in eadem invenit, sed potius solius auxilii divini significatio; quare apposite Bengelius monet, *nulli homini per se fides.* „Concursum enim illum, cooperationem illam Dei gratiae cum conatibus nostris ubique praedicat scriptura." (*Turretin.*) Ubique Apostolus utrumque conjungit: *necessitatem gratiae divinae et libertatem humanam.* Homo nil perficit, in quo non ipse totus immersus sit, neque tamen quidquam efficitur, nisi Deo vires et successum ministrante; utrumque minime sibi repugnat, quum ipse potius Deus libertatem animo nostro dederit, in eoque praesens adsit ac operetur. Phil. II, 12. 13. 2 Cor. III, 5. Rom. VII, 18. [3])

Bene

1) Theodoretus: *Καὶ τοῦτο εἰς προτροπὴν αὐτῶν τέθεικεν, ἵνα μαθόντες, οἵας ἔχει δόξας περὶ αὐτῶν τοῖς ἔργοις βεβαιώσωσι ταύτας.*

2) Chrysost. *πάλιν αὐτοὺς καθαιρεῖ, τὸ πᾶν ἀναρτῶν ἐκεῖ, rursum eos humiliat, omnia a Deo pendere ostendens.*

3) Apud Usterium hac de re nihil invenitur, si leves significationes excipias passim sparsas. Praeclare vero hoc caput de libertate humana tractavit D. *Marheineke* die Grundlehren der christlichen Dogmatik als Wissenschaft. 2. Aufl. Berl. 1827. §. 480. sqq. „*Ein ganz unwirkliches wäre die Gnade, wenn sie nicht eben an die Thätigkeit des Menschen sich wendete, sie selbst erzeugte und*

Bene observat Flattius, verbis ἐν κυρίῳ versus tertii summam repeti. — παραγγέλλειν haud raro de praeceptis sive doctrina alicui traditis usurpatur Matth. X, 5; qui usus apud scriptores quoque, qui puriore utuntur oratione, haud rarus est.

Universae sententiae aliter aliquantum *Calvinus* constituit rationem. „Hac praefatione, inquit, transitum sibi facit P. ad praeceptionem, quam mox subjicit. Fiducia enim, quam sese de illis habere dicit, multo eos reddebat promptiores ad parendum, quam si obedientiam, quasi dubitans aut diffidens postulasset. Spem vero hanc, quam de illis concipit, dicit in Domino esse fundatam: quoniam illius est, corda flectere ad submissionem et in ea retinere, vel hac voce (quo nihil probabilius est) testari voluit, non esse sibi in animo quicquam mandare, nisi ex imperio Domini. Ergo hoc et sibi jubendi et illis parendi terminos statuit, ne quid nisi in Domino.“ Sed quomodo spes in Domino posita ad Apostoli pertinere potest auctoritatem? Quare prior indubie tenenda est explicatio. Etiam transitum ad sequentia praecepta nihil hic prodit. Cetera vero apud Calvinum tam bene se habent, ut neminem, puto, offenderit, nos integrum ejus apposuisse locum.

Nisi autem adderetur ἐφ᾽ ὑμᾶς, aliquid hic desiderari merito quereremur; omnia enim ita ad Deum rejicerentur, ut nihil ipsis relinqueretur [1]). Verba καὶ ποιεῖτε possunt conjungi cum παραγγέλλομεν, ut insit Thessalonicensium laus et apodosin non constituant, nisi extrema verba καὶ ποιήσετε· ita vero simplex naturaeque conveniens turbaretur periodi ordo; quare non dubitanter hanc interpretationem, a nemine, quod sciam, propositam, rejicimus.

5. Quod saepius vidimus in Epistolis ad Thessalo-

---

in Bewegung setzte, sich selbst darin nicht verwirklichte; und eine ganz unwahre und gehaltlose Thätigkeit wäre diese menschliche, wenn sie nicht an der göttlichen Gnade ihr Princip und ihre beständige Bewegung hätte.“

1) Id quidem apposite a Chrysostomo exponitur, hisce verbis: *εἰ μὲν εἶπε πεπ. εν κ., ὅτι φυλάξει ὑμᾶς, καὶ μὴ προςτέθεικε τὸ ἐφ᾽ ὑμᾶς καὶ τὸ ἃ παρηγγείλαμεν, ποιεῖτε καὶ ποιήσετε ἀργοτέρους ἂν αὐτοὺς ἐποίησε, πᾶν ἐπὶ τὴν τοῦ Θεοῦ ῥίψας δύναμιν. δεῖ μὲν γὰρ τὸ πᾶν ἐπ᾽ αὐτὸν ῥίπτειν, ἀλλ᾽ ἐνεργοῦντας καὶ αὐτούς, τοῖς πόνοις ἐμβεβηκότας καὶ τοῖς ἀγῶσι.*

nicenses recurrere, sicut in ceteris quoque litteris Paulinis, ut Apostolus a Deo suis auxilium expetat, id hic quoque usu venit; neque dubium est, quin tertius versus huic voto efferendo ansam praebuerit. *Dominus autem*, inquit, *dirigat corda vestra ad amorem Dei* cf. In verbo *κατευθύναι* de via repetita est imago, quomodo proprio sensu hanc vocem habuimus 1 Th. III, 11. (יִשַּׁר). Sub Domino hic plerique interpretes vel, duce *Basilio* M. [1]) cum Theophylacto et Oecumenio, spiritum sanctum intelligunt, vel Christum saltem per eundem vires suas exserentem; ut Ap. *Trinitatem* nobis ostendat [2]). Sed Sp. S. nusquam vocatur *κύριος*, nam 2 Cor. III, 17. in verbis *ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν*, vox *κύριος* subjectum est, cujus religioni in illo loco spiritualis tribuitur natura. Qua quidem observatione non contendimus ei non *convenire κυρίου* appellationem; sed id solummodo, eandem ei non esse solemnem, ut nequeat intelligi, nisi addatur aperta ejusdem significatio. — Jam vero, quis Filio aptior est ad excitandum Patris amorem? Quamobrem nec dubitassent interpretes, nisi Christi in altera periodi parte fieret mentio. Quomodo Dominus jure dici potest ipse ad *ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ* ducere? Hac difficultate motus *Koppius*, praeeuntibus quibusdam aliis [3]), *utrumque subjective* accipit: „Non dubito, inquit, vos his praeceptionibus meis esse obsecuturos, modo intentis animis et Dei ipsius exemplum in amandis beandisque suis hominibus, et Christi exemplum (Ebr. XII, 2.) in tolerandis gravissimis calamitatibus constanter respiciatis.“ *Bengelius* vero *utrumque objective* putat accipiendum esse: *amor erga Deum, patientia propter Christum praestita*, quam ita cir-

---

1) De Spir. S. c. 21. *Τίς ὁ κατευθύνων κύριος εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ ἀγάπην, καὶ εἰς τὴν ὑπὲρ τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ ὑπομονήν; ἀποκρινέσθωσαν ἡμῖν οἱ τὸ πνεῦμα καταδουλούμενοι. Εἴτε γὰρ περὶ τοῦ Πατρὸς ὁ λόγος, πάντως ἂν εἴρητο· ὁ δὲ κύριος ὑμᾶς κατευθύναι εἰς τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην, εἴτε περὶ τοῦ υἱοῦ προσέκειτο ἄν· εἰς τὴν ἑαυτοῦ ὑπομονήν.*

2) Theodoret.: *Θεῖος Α. τὴν Τριάδα ἡμῖν ὑπέδειξε. Κύριον γὰρ τέθεικε, καὶ Θεὸν καὶ Χριστόν. δῆλον δέ, ὅτι Κύριον τὸ πανάγιον προσηγόρευσε πνεῦμα.*

3) Chrys.: *ὑπ. Χρ., ἵνα ὑπομένωμεν, ὡς ἐκεῖνος ὑπέμεινεν ἢ ἵνα μεθ᾽ ὑπομονῆς ἀναμένωμεν αὐτόν — ἵνα ἐμπαράσκευοι ὦμεν.* Sibi non constare videtur *Koppius* primo mutuum Christianorum amorem et liberalitatem, et in omnes homines caritatem et benevolentiam, tum vero benevolentiam Dei erga homines (1 Joh. IV, 7.) intelligens.

cumscribit *Clarius*: „ut perferant pro Christo et ejus exemplo ingruentes persequutiones ac mala.“ [1]) Malim tamen, praeeunte *Clerico*, utrumque genitivum causae habere significationem, eumque intelligere amorem, quem Deus hominum quasi infundit animis, *eam patientiam*, ut *Grotii* verbis utar, *cujus causa est Christus, nempe per spem nobis insitam.* 1 Thess. I, 3. i. q. *ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος τοῦ κυρίου ἡμῶν I. X.* Cf. Col. I, 24. *θλίψεις τοῦ Χριστοῦ.* Philem. I, 13. Gal. VI, 12. Ebr. XI, 26. Apoc. III, 10. *ἐτήρησας τὸν λόγον τῆς ὑπομονῆς μου.* Vatero *ὑπομονὴ τοῦ Χριστοῦ* nihil est, nisi ea, *quae Christiani est,* quod a vera sententia haud procul recedere, sed singulis verbis parum respondere videtur, quum probari non possit vocem *Χριστοῦ* ita apponi, ut circumscribat adjectivum. Cujusnam subiret animum, posse bene Graece dici *σοφίαν Πλατῶνος* pro sapientia, qualis Platonici est? — Superest, ut vocem *ὑπομονὴ* accuratius exponamus: est illa vero, ut ait Erasmus, „perseverantia in re quapiam non sine molestia, sed rursum cum exspectatione praemii, aut certe finiendi mali.“ Falso Ambros., Pelag., Haymo, Erasm., Beza alii *ὑπομονὴν* reddunt per *exspectationem. Apocal.* I, 9. non conferri potest, quia verba *I. Χρ.* ibi sunt spuria. Syr.: ܡܣܒܪܢܘܬܐ, spes certa, exspectatio. Constantia vero et mutuo Christianorum amore maxime nitebatur res Christianorum. Illa autem constantia et patientia in tolerandis aerumnis evangelii causa susceptis fere conjuncta esse solebat cum exspectatione adventus J. Ch. 2 *Tim.* IV, 8. — *Rom.* VIII, 25.

2) V. 6 — 16. *His laudibus delinitis Thessalonicensium animis, Apostolus ex consueto sibi more praecepta addit et admonitiones, quibus maxime inordinate viventes exhortatur.* Haec etiam sectio addito voto concluditur.

6. Pauli multum refert, ut ecclesia recens condita ab otiosis hominibus, qui turbas excitando ambitiosa consilia sequi solent, immunis servetur. Quod in causa est, cur omni auctoritate Apostolica usus, hunc finem assequi

---

1) Hanc interpretationem sic exornat *Damascenus*: *Συνεχὴς ἡ προσευχή, ἐπειδὴ καὶ περὶ μεγάλων γίνεται, τοῦτο δέ ἐστι τὶ ἀγαπῆσαι τὸν Θεόν, καὶ ὑπομεῖναι ταῖς ὑπὲρ Χρ. θλίψεσι, καὶ συνάψαι τῇ ἀγάπῃ τὴν ὑπομονήν, μᾶλλον δὲ σφραγίσαι τὴν ἀγάπην τῇ ὑπομονῇ. ὡς εἰ ἀγαπῶμεν, οὐχ ὑπομένωμεν δέ, καὶ ἡ ἀγάπη διαλύεται.*

studeat. *Παραγγέλλειν* (v. 4.), Turretino monente, est vox *auctoritatis*, praesertim quum adjiciatur *ἐν ὀνόματι* (בְּשֵׁם) *τοῦ κυρίου ἡ I. X.* Non sua hic Paulo sufficit auctoritas [1]), idque non solummodo propter hujus praecepti invidiam, sed etiam, ut Thessalonicenses illud a Christo profectum esse tenentes, eo constantiores essent in eodem peragendo [2]). cf. 1 Thess. IV, 2.

Gravi autem exhortatione idem praeceptum repetit Apostolus, quod in prima epistola illis jam injunxerat (IV, 11, 12.); hic vero non ipsos alloquitur, qui solutiore utebantur vitae genere, sed universam potius ecclesiam, ut quod comitate perfici non posset, severitate perficeretur, ne scilicet, etiamsi illi ad frugem nequeant reduci, reliqui et ipsi afficerentur contagio. Quinam sunt illi *ἀτάκτως περιπατοῦντες*? Respondet scholion graecum: *ὁ δίχα τάξεως τῶν τοῦ Θεοῦ νόμων περιπατῶν*, quod sic circumscribit *Hunnius*: „Qui cum ratione externae professionis sit frater, et nomine tenus Christianus, vita tamen et moribus suis dissolutis professioni tam augustae non respondet, neque intra officii cancellos se coërceri patitur per institutionem, quam accepit a nobis, sed e suo vivit libitu, otio ignavo deditus, et ex otio in alia quoque peccata diffluens.“ [3]) Ignavi erant homines quidam, ait *Calvinus*, et simul curiosi et garruli, qui, ut sibi victum ex alieno corraderent, per domos oberrabant: eorum segnitiem foveri indulgentia vetat; sancteque eos vivere docet, qui honesto et utili labore ad vitam necessaria sibi comparant.“ [4]) *ἀτάκτως περιπατοῦντες*, i. q. *ἄτακτοι* (Pesch. ܕܦܣܝܩ ܦܣܝܩ ܡܗܠܟܝܢ) 1 Thess. V, 14. Apostolus autem cur non loquitur nisi de *fratribus*, id vero est *Christianis* a vitae ordine recedentibus? In promptu est causa:

---

1) Chrys.: *οὐχ ἡμεῖς ταῦτα λέγομεν, ἀλλ᾽ ὁ Χριστός.*

2) Theodoret.: *Ἀξιόπιστον ἀπέφηνε τὸν λόγον τῇ τοῦ Κυρίου μνήμῃ· αὐτὸς γάρ ἐστι, φησιν, ὁ δι᾽ ἡμῶν ταῦτα νομοθετῶν.*

3) Theophylact.: *Ἄτακτοί εἰσι πάντες οἱ παρὰ τὰ τῷ Θεῷ διωρισμένα πράττοντες. τάξιν γὰρ ὥρισεν ἑκάστῳ, ἣν ὁ παραβαίνων ἄτακτος, ὁ μεθύων, ὁ λοίδορος, ὁ πλεονέκτης, καὶ πάντες οἱ ἁμαρτάνοντες ἔξω τῆς τάξεως βαίνουσιν.* Ad hunc locum addit: *ἀταξίαν τὴν ἀργίαν ὀνομάζει· ὁ γὰρ Θεὸς ἔταξε τὸν ἄνθρωπον ἐργάζεσθαι, καὶ τὰ μέλη πρὸς τοῦτο διέπλασεν* (ad laborem effinxit artus)· *ὥστε ὁ ἀργῶν ἐκλέλοιπε τὴν τάξιν.*

4) *Bengel.*: Igitur *Ordo* mendicantium non est ordo, sed gravat rempublicam ipsam.

hi enim maxime nocere poterant et rei Christianae et singulis Christianis. Ab ethnicis ipsa religione distinguebantur, ne eos imitarentur. περιπατεῖν κατὰ τὴν παράδοσιν nihil est, nisi vivere secundum praecepta ab Apostolo tradita (II, 15.); de Pauli *exemplo* ut hic maxime cogitemus, quae nonnullorum est sententia [1]), nihil nos commovet. Illud tamen non excludendum esse libenter concedo. ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ pluralis in se continet notionem: a quibuscunque fratribus: ex quo apparet lectionem παρέλαβον, quae est in codice Claremontano (D) a secunda manu, Sangermanniano (E) et haud paucis aliis libris bonae indolis non spernendam esse; immo pluralis praeferendus esse videtur, quippe qui structuram sapiat minus usitatam. Haud tamen scio an non cum Griesbachio rarior forma παρελάβοσαν, quae in codicibus exstat Alexandrino (A) et Claremontano, ubi a prima manu habetur ἐλάβοσαν, pro vulgari sit restituenda. Legitur etiam παρελάβετε [2]). De voce παραλαμβάνειν cf. quae annotavimus ad 1 Thess. II, 13.

A talibus igitur hominibus desidiosis, ordini Christiano sese opponentibus ut sibi caveant, hortatur Apostolus. Στέλλεσθαι ἀπό τινος i. q. ἀποστέλλεσθαί τινος (Eurip. Suppl. 598.) ab aliquo recedere, maxime si id sensim et clam fiat (ὑποστέλλεσθαι, Gal. II, 12. *sich zurückziehen*) i. q. χωρίζεσθαι. *Theodoret.* Ab hoc differt στέλλεσθαί τι, sibi cavere ab aliqua re. 2 Cor. VIII, 20. [3]) In versione tamen Alexandrina adhibetur pro נִחַת (Niph. a חָתַת), consternatus est. Mal. II, 5. ἀπὸ προςώπου ὀνόματός μου στέλλεσθαι αὐτόν, *ut me revereatur*; quam significationem confirmat Hesychius, qui explicat στέλλεσθαι per φοβεῖσθαι. Haud tamen video, quid hic nos commoveat, ut a vulgari recedamus sensu, metumque hic intrudamus a loci rationibus alienum. Non enim *prae metu*, sed *commodi publici* causa ut se subducant istis hominibus Apostoli interest. Quare Gloss. graec. in V. T.

---

1) *Chrys.*: παράδοσιν τὴν διὰ τῶν ἔργων φησὶ καὶ κυρίως ταύτην π. λέγει. Ita etiam *Theodoret.*

2) Cf. de boeotica (?) hacce imperf. forma Rom. III, 13. ἐδολιοῦσαν pro ἐδολιοῦν. Alex. Exod. XVI, 22. εἰςήλθοσαν pro εἰςῆλθον, et Jerem. XXXIII, 8. (Hebr. XXVI, 8.) συνελάβοσαν. *Winer.* I. p. 39. 3. a. *Matth.* gr. Gr. I. §. 201. 5. contendit, hanc formam vulgari in quibusdam regionibus sermoni accensendam esse, ideoque servatam in dialecto Alexandrina (p. 364.).

3) Hoogev. ad Vig. p. 310.

ab Albertio editum malumus conferre, in quo *στέλλεσθαι* exponitur verbis *ἀφίστασθαι, ἀναχωρεῖν*. A navi videtur repetita esse haec imago; non vero sicut Albertius id facit, a metu nautarum, qui plenis velis navigare non ausi, vela contrahant, flexoque cursu effugiant periculum, sed ab iis, qui, perfectis omnibus rebus ipsis peragendis, velis solutis sponte littoribus terga dant [1]). Bene igitur Flattius interpretatur, *subtrahere se consuetudini alicujus*. — Cyprianus in Epist. ad Cornelium fratrem hunc locum ita interpretatus est: *Praecipimus vobis in nomine Domini J. Ch., ut recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. Nulla societas fidei et perfidiae potest esse: qui cum Christo non est, qui adversarius Chr. est, qui unitati et paci ejus inimicus est, nobiscum non potest cohaerere* [2]).

Grotius putat, quod cum illa sententia cohaeret, qua hanc epistolam ante priorem et maturissime quidem scriptam esse statuit, nunc quia presbyterium non jam fuerit institutum, Apostolum jubere tales improbe viventes vitari. Sed bene monuit Koppius contra illum quod Apostolus non jusserit solemni ritu ejusmodi homines excommunicari, sed tantum vitari, eorumque consuetudinem defugi, ejus rei causas plures excogitari posse; neque vero, tam flagitiose illi vixisse videntur, ut meriti sint Satanae tradi (1 Cor. V, 5. 1 Tim. I, 20.). Similes nostro loco sunt Rom. XVI, 17. *ἐκκλίνατε ἀπ' αὐτῶν*. 1 Cor. V, 10. 11., in quo praecipitur, ne cum scortatoribus aliisque Christianis, in quibus impuritatem deprehendant, in convivium eant, sicut Joh. II, 10., ut a falsorum doctorum abstineant commercio [3]). Pelagius Pauli consilium dilemmate proponit: putat enim Apost. hoc praecipere vel quia in prima

---

1) Triclin. ad Soph. Aj. Flagell. v. 329. *καταχρηστικῶς τὸ ἐστάλην ἀντὶ τοῦ ἐπορεύθην εἴρηται. Κυρίως γὰρ τὸ ἐστάλην ἐπὶ θαλάσσης λέγεται, οἷον ἐστείλατό τις τόνδε τὸν πλοῦν.*

2) Idem hoc loco doctrinae ejus de Ecclesia non parum favente haud raro utitur.

3) Hoc excommunicationis genus tanquam lenius graviori opponere solent juris Pontificii scriptores (*Walter* Kirchenrecht. Bonn. 1823. §. 177.), alteramque vocant *majorem*, alteram *minorem* excommunicationem. *Estius* autem in nostro loco *medium* quoddam intelligit genus, poenas scilicet *claustrales*; quae tamen sententia in mero arbitrio posita esse facile intelligitur.

epistola, *plenius commoniti illi se emendare noluerint*, vel ut *hoc modo, sanctis se ab iis separantibus, erubescant.* Utrumque forte, et ipsorum, et ecclesiae Paulus respiciebat utilitatem. Christi ipsius hac de re afferri potest praeceptum (Matth. XVIII, 17.), quo jubet saepius et ab ipsa quoque ecclesia commonitum ethnici et portitoris loco habere, quod nihil aliud est, nisi ab ejus commercio aut saltem intima consuetudine sese abstinere.

7. 8. Non laudis cupiditate ductus Apostolus ad suum provocat exemplum, sed eo tantum consilio, ut ostendat, se illis nihil oneris imponere, quod non ipse susceperit [1]. Idque debebat eo plus habere auctoritatis, quod tanquam doctori jus ipsi competeret (v. 9.) victum suum ab illis accipiendi. Quem tamen detrectare solebat, tum ut aliis exemplum praeiret, tum ne iis quid debere videretur, tum ut alios pudefaceret, sicut Corinthios, nimis illos quidem avaros, (2 Cor. XI, 7—9. XII, 13. 14.); nam in eo facillime dignoscitur verus regni Divini minister a falso, quod hic suum, ille vero solius Domini quaerit commodum. cf. 1 Thess. II, 9. (cf. v. 2.) et quae ibi annotavimus [2].

In singulorum verborum expositione pauca tantum adjicienda sunt. *πῶς δεῖ, quali ratione vivendi* (Bengel.) uti debeatis, ut me imitemini [3]. Experiendo enim illud cognoverant ipsoque virtutis Apostolicae aspectu [4]. *γὰρ* non mera hic est transeundi particula, qualis Koppio visa est; sed causam indicat, qua illi statim intelligant, cur ab hominibus istis desidiosis et curiosis sibi cavere debeant. Deest cogitatio media: *Facite secundum praecepta mea*

---

1) Chrysost.: *Μηδεὶς νομιζέτω τοῦτο* (illum se proponere tanquam exemplum) *μεγαληγορίας εἶναι· εἰς γὰρ ἀνάγκην καταστὰς τοῦτο ἐφθέγξατο καὶ πρὸς τὸ κοινῇ χρήσιμον.* Cf. 1 Cor. IV, 16. XI, 1.

2) Cf. tamen adhuc: *Ueber das Treiben der Handwerke auch von Gelehrten*, in *Ludwigs* Hallische Anzeigen. 1732. St. 148. fol. 555. Grotius excitat Constit. Clem. II, 33.

3) *Bauer*. Phil. Thuc. Paul. p. 216. nescit, brevitatem an pleonasmum dicat haec verba: *πῶς δεῖ·* non subjicienda videbatur explicatio *μιμεῖσθαι*, sed *περιπατεῖν·* nam in *μιμ.* est illud *πῶς*, quod illo explicatur et haec brevitas rursus videri possit ita evolvenda: scitis, quomodo vivendum sit; ita videlicet, nos ut imitemini!

4) Plutarcho auctore *adv. princ. indoct.* p. 780. *Οὔτε πίπτοντός ἐστιν ὀρθοῦν, οὔτε διδάσκειν ἀγνοοῦντος, οὔτε κοσμεῖν ἀκοσμοῦντος, οὔτε τάττειν ἀτακτοῦντος.*

meumque exemplum. — ἀτακτεῖν in quo imago a re militari desumta est (*Munthe* Obss. e Diod. p. 399. Kypke H. p. 345.), non differt ab ἀτάκτως περιπατεῖν (v. 6.) et v. 11. explicatur per μηδὲν ἐργάζεσθαι, ἀλλὰ περιεργάζεσθαι. — ἄρτον φαγεῖν παρά τινος, e proverbiali loquendi genere repetitum, adhibetur pro *accipere ab altero, quidquid ad vitam sustentandam et commode gerendam opus fuerit* (Kopp.). Similis loquendi ratio in V. T. loco obtinet 2 Sam. IX, 7. et 10. אֱכֹל לֶחֶם עַל־שֻׁלְחַן פְּלֹנִי, *Alex.* φάγειν ἄρτον ἐπὶ τῆς τραπέζης τινός. Praeterea לֶחֶם in Alex. versione modo redditur per βίος sive τὰ δέοντα, modo per ἄρτος, ut sensu tamen non differant, ex quo usu, quem in N. etiam T. transisse nemo nescit (ἄρτος ἐπιούσιος), facile explicatur haec formula [1]. — δωρεὰν i. q. δωτίνην, חִנָּם, ita ut a nostra parte nihil praestiterimus. „Gratis, quod annotat *Estius*, dicitur ex mente hominum carnalium: alioquin panem *gratis* non manducat, qui Evangelium praedicat.“ „Quin potius, adjicimus e *Calvino*, ea est quorundam malignitas, ut etiamsi nihil de suo conferant, victum tamen illis invideant, tanquam otiosis hominibus.“ — ἐργαζόμενοι pendet ab ἐφάγομεν.

9. „Non reprehensibile esset, si Paulus panem ab his reciperet ad corporis curam, qui animis illorum escam spiritualem praebebat, quae etiam corpori immortalitatem cum gloria procuraret.“ (*Ambrosiast.*) Sed Pauli intererat, ut non tantum exemplo omnibus (Ausoniana uti liceat voce) praeluceret lumen, sed ut ipse nemini adstrictus sibi tamen quam plurimos beneficiis adstringeret. „Hic talis prodesse potest audientibus se, pergit Ambros. Reverentiam enim habebunt rigoris hujus: et ea, quae ab hoc mandantur, praetermitti non poterunt.“ [2]) — οὐχ ὅτι ex dialecticis, ut ita dicam, est formulis Paulo sollemnibus, ubi restringit quandam sententiam. Phil. III, 12. IV, 11. 17. 1 Cor. VII, 35 2 Cor. I, 24. III, 5. Dicit igitur Apo-

1) Ita nostrates etiam in vulgari sermone: *das Brot Jemandes essen.* Nonnulli tamen libri pro ἐφάγομεν legunt ἐλάβομεν, quod Damasceni, aliorum, confirmatur auctoritate, sed tanquam Ἑλληνικώτερον rejiciendum est. Cf. Sir. XXXIII, 29.

2) Chrys.: *Εἰ Παῦλος ἀνάγκην οὐκ ἔχων, ἀλλ᾽ ἐξουσίαν ἔχων ἀργεῖν, καὶ τηλικοῦτον ἔργον ἀναδεδεγμένος, ὅμως εἰργάζετο, καὶ οὐχ ἁπλῶς εἰργάζετο, ἀλλὰ νύκτα καὶ ἡμέραν, ὥστε δύνασθαι καὶ ἑτέροις ἐπικουρεῖν, πολλῷ μᾶλλον τοὺς ἄλλους ἐχρῆν τοῦτο ποιεῖν.*

stolus, jus omnino sibi, sicut omnibus evangelii doctoribus competere, victum ab ecclesia accipiendi. 1 Cor. IX, 1 sq. maxime v. 6. 11. 14. Ita *ἐξουσία* saepe de jure sive potestate adhibetur. Matth. XXI, 23. *τίς σοι ἔδωκεν τὴν ἐξουσίαν ταύτην*; cf. 1 Cor. IX, 12. 18. de eadem re adhibetur, quam in hoc nostro loco. Domini hac de re praeceptum invenitur Luc. X, 7. *ἄξιος ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ ἐστι.* cf. Matth X, 10. — *ἑαυτους*, i. e. *ἐμαυτόν.* — Summo studio videmus P. id studere, ut se daret *τύπον εἰς τὸ μιμεῖσθαι αὐτόν.* 1 Thess. II, 8. *τύπος* [1]) (1 Thess. I, 7. not.) hic est *exemplum ad imitandum propositum*, sicut *Koppius* illud interpretatur. „Revera, inquit Turretinus, hoc erat eximium exemplum, tum caritatis in ecclesiam nascentem, quae haud dubie egena satis erat; tum animi ab avaritia alieni et ad propria commoda parum attendentis; tum etiam vitae laboriosae et inertiae parum deditae!"

10. Annectitur hic versus ad *παράδοσιν* (v. 6.) sive ad exhortationem, ut illum imitarentur, in qua praecipiendi latet notio. *Etenim quum apud vos essemus*, pergit Apostolus, *vobis inculcavimus, quod si quis laboribus nolit vacare, is nec victum accipiat.* Ita vero non praecipitur largientibus, ut desidiosos sustentarent, si ita ferat res, sed his potius praecipit, ne nihil agendo se ipsos aliorum beneficiis indignos reddant [2]). Fortasse tamen vetuit, ne Thessalonicenses illis victum suppeditando ignaviam alerent, quae *Calvini* est sententia.

Proverbio utitur P. sermone apud Judaeos satis trito [3]). Sic in *Breschith Rebba* (Sect. XIV. fin. fol. 15. 3. ad verba

---

1) Cf. Valkenaer Excerpt. e Scholio ct. T. II. p. 258. g. *Suic.* II, 1341.

2) Theodoret.: *τὸ μὴ ἐσθιέτω οὐ πρὸς τοὺς παρέχοντας εἴρηκεν, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἀργίᾳ συζῶντας τοῖς δὲ παρέχουσι παραινεῖ μετ' ὀλίγα, μὴ εἰς τὴν ἐκείνων ἀφορᾷν μοχθηρίαν, ἀλλὰ τῇ οἰκείᾳ φιλοτιμίᾳ κεχρῆσθαι.*

3) Cf. Jo. *Vorstius* de Adagiis N. T. c. X. et *Buxtorf.* Lex. Talmud. Rabb. s. radice נגס, qui affert locos *Medrasch Echa* I, 15. et *Med. Koheleth* II, 17. Ipse tamen Buxtorf. de proverbiali hoc usu dubitare videtur, contra *Drusium* (Decas XI. adag. 3.) observans hanc sententiam ubique in concreto dici. Idem tamen apud Graecos, immo omnes veteris novique temporis populos in usu fuisse videtur. Cf. loca a Grotio et Wetstenio collecta, et Schöttg. Hor. Hebr. Talm. p. 850.

Gen. II, 7.) legitur: ר' הונא אמר עשאו עבד מבדן בפני עצמו דאי לא לעי לא נגיס, R. *Hunna dixit: Fecit ipsum servum sibimetipsi mancipatum, ut si non laboret, non manducet.* Sententiam hujus proverbii bene *Koppius* sic exponit: *Si quis munere suo fungi detrectat, eum liberalitate vestra nutrire et sustentare non opus habetis.* In hoc vero praecepto nihil sane duri inest; sequelis enim ex ipsa vitii natura prodeuntibus relinquuntur isti homines otiosi; ut „haec sit, *Pelagii* utor verbis, inquietudinis non solum *poena*, sed etiam *emendatio*." Ob id ipsum Rabbini praecipere solent, ut, qui sacras litteras velint profiteri, ii, unde victum quaerere possent, opificium quoque manuale addiscant.

Baumgartenius, ut videtur, putat, desidiosis hominibus hic interdici conviviorum publicorum, qualia inter Christianos communia esse solebant, participationem [1].

11. Non desunt antiquorum interpretum monita, qui solas preces et jejunia improbantes, *manuum labores* iis quoque imponunt, qui vitae contemplativae se dederint [2]. Quas postea excipiunt querelae de otiosis monachis, quos *Socrates* in Historia tripartita praedonum similes appellare haud veretur. Ita Calvino etiam verisimile est *hoc fucorum genus quoddam fuisse otiosi monachatus semen.* In quo tamen eidem nolimus assentiri, quum homines hic vituperati nullo modo pietatem affectasse, sed tantum negotia neglexisse videntur, forsan propter adventantem omnium rerum, sicut illi quidem rebantur, exitum. *Audivimus* enim, ait Apostolus, quosdam ex vobis neglecto ordine civili, nihil agere, quod utilitatem afferat — id enim hic significat ἐργάζεσθαι, — sed potius περιεργάζεσθαι, *nihil agere, sed satagere.* περιεργαζόμενοι sunt πολυπράγμονες [3]), qui per domus discurrunt et inepta garriunt (1 Tim. V, 13.), quos Ambrosiaster vocat

1) *Eigentlich ist hier die Rede vom Unterhalt der Armen auf gemeine Kosten; wer nicht alle seine Kräfte und Gelegenheiten zum Besten und Dienst des Nächsten anwendet, soll nicht aus dem gemeinen Vorrath essen.*

2) Chrys.: *Τὸ εὔχεσθαι καὶ νηστεύειν ἀργοῦντα οὐκ ἔστιν ἔργον χειρῶν· ἐργασίαν γὰρ ἐνταῦθά φησιν τὴν διὰ τῶν χειρῶν.*

3) A Chrysostomo saepe conjunguntur πολυπραγμονῶ et περιεργάζομαι. Suic. Thes. II. p. 670. 71. περίεργα. Act. XIX, 19. huc non pertinent.

curiose agentes [1]). „Qui otiosi esse desiderant, inquit, id agunt, quatenus occasio nascatur, quo introitum suum desiderabilem faciant domibus divitum, ambulantes gesta et opiniones verborum subtiliter colligunt, scientes, quid de quo velint audire, ut libenter et requisite pascantur. Quod factum valde abhorret disciplina Dominica. Horum enim venter deus est, qui foeda cura necessaria provident.“ Proprie *περιεργαζόμενος* is tantum est, qui cetera potius omnia agit, quam quae sui sunt officii [2]). Tam malo autem plerumque accipitur sensu, ut ab Aeschine, ut hoc afferam, *περίεργοι* et *συκοφάνται* conjungantur. *Erasmus* haec verba ita distinguit, ut *ἐργάζεσθαι* eos dicat, qui frugifera, *περιεργάζεσθαι*, qui infrugifera operentur. *Pelagio* *περιεργαζόμενοι* ii sunt, qui inquirunt, quid in unaquaque civitate, vel provincia geratur et domo. Malim tamen hic cogitare de qualibetcunque *prava curiositate et sedulitate.* Inest non ingrata *ἐναντίωσις*, quod apposite monet *Erasmus* [3]). Duo igitur hic castigantur vitia, quae vulgo solent conjuncta esse; suarum rerum neglectus, alienarum nimia cura [4]). *Arabs* يَدُورُونَ فِي ٱلْفُضُولِ,

---

1) *Theophyl.*: Ἐπειδὴ ὁ νοῦς ἡμῶν ἀεικίνητός ἐστιν, ἀνάγκη, ὅταν εὔχρηστον ἔργον μὴ μεταχειρίζηται, τὰ ἄχρηστα μετιέναι, καὶ περιεργάζεσθαι τοὺς ἑτέρων βίους, κἀντεῦθεν εἰς καταλαλίας, ἀργολογίας, εὐτραπελίας ἐκτραχηλίζεσθαι. — *Theodoret.*: Ἴδιον ἀργίᾳ συζώντων ἀδολεσχία, καὶ φλυαρία, καὶ ἡ ἀνόνητος πολυπραγμοσύνη.

2) *Kuinoelio* proprie significat.: *nimia cura laborare, nimio studio aliquid pertrectare;* sed omne nimium vertit plerumque in vitium Obs. ex Apocr. p. 158. Cf. exempla a *Munthio* Obs. e Diod. p. 400.

3) Luther: *Vorwitz treiben*, Zachariae: *fremde ihnen nicht befohlene Geschäfte.* Oppositum est *πράσσειν τὰ ἴδια.* 1 Tess. IV, 11.

4) *Benson.* paraphr. ed. Bamberg. p. 216. *Mir sind wenige Dinge bekannt, die einer Kirche oder Parthei, sie mag sein, welche sie will, zu gröfserem Anstofs, als diese, gereichen können. Solche Menschen werden denen, die sie unterhalten, mit eben der Fertigkeit liebkosen und schmeicheln, als sie die Abwesenden verleumden und afterreden. Sie werden kleine Geschichten ausbreiten und ärgerliche und schimpfliche Nachrichten von Hause zu Hause tragen. Sie hetzen andre Leute, Familien, Gemeinen, Städte und ganze Länder gegen einander auf, und befördern Zank, Uneinigkeit, Verwirrung und alles Böse. Sie verlängern die Streitigkeiten zwischen Personen und Partheien, und verhindern die Liebe und Einigkeit, den Frieden und die Gütigkeit, so die Ehre, die Vollkommenheit und die Glückseligkeit der christlichen Gemeinen sein würden. Unter dem Vorwande eines Eifers für die Lauterkeit des Glaubens, für die*

circumagunt in rebus alienis. *Syro* iidem vocantur ܦܠܚ̈ܝ ܣܪܝܩܘܬܐ, *vana agentes.*

12. Talibus autem hominibus, dedecus rei Christianae afferentibus, Paulus praecipit, ipsius Domini fretus auctoritate, ut laboribus suis quiete peractis, rite victum suum quaerant. *παρακαλεῖν* nusquam in libris N. T. cum dativo conjungitur; quare hic videtur zeugma statuendum esse. *διὰ κυρίου* iterum non obtestationem, sed mandatum significat auctoritate Christi innixum 1 Thess. IV, 2. *μετὰ ἡσυχίας* opponitur *περιεργίᾳ*. 1 Tim. II, 11. 12. [1]) *Calvin.: „sans faire bruit."* — „Maxime omnium pacati sunt, qui justis laboribus se exercent; se autem et alios perturbant, qui nihil habent operis." Quapropter illis praecipit et iterum atque iterum commendat (haec enim est causa, cur duo synonyma *παραγγέλλειν* et *παρακαλεῖν* conjungit), pane, i. e. cibo (לֶחֶם), utantur, suo non alieno labore parto. 1 Thess. IV, 11. *Ἑαυτῶν ἄρτῳ* opponitur *ἀλλοτρία μᾶζα, aliena quadra* (*Juvenal.* V, 2.), qua vivunt parasitae, nec minus *ζητοῦντες ἄρτον* (Ps. XXXVII, 25.) sive mendici [2]). *Schoettgenius* loca e Rabbinis hic affert, apud quos idem obtinet usus. Ita *Aboth R. Nathan* c. 30. legitur: *Eo tempore, quo homo panem proprium comedit* (שאדם אכל משלו), *animo composito ac sedato est; si vero panem parentum aut liberorum comedit, non animo tam sedato est, ne dicam de pane peregrino.*

13. Bene hunc versum cum praecedenti *Calvinus* ita connectit: „Haec prima lex aequitatis, *ne quis aliena usurpet*, sed eo tantum utatur, quod suum jure vocare

---

Schärfe in der Kirchenzucht, oder für die Reinigkeit des Gottesdienstes und Wandels, beschuldigen sie diejenigen der gefährlichsten Irrthümer und Ketzereien, die in der Schrift am fleissigsten forschen, und den heiligsten, vorsichtigsten und nachahmungswürdigsten Wandel führen. Es war also kein Wunder, dass der Ap. dieses Uebel bei dem Anfange des Evangelii zu heilen suchte; denn neue Secten und Partheien sind nach ihrer Stiftung am meisten geneigt, darein zu verfallen."

1) Sic *Diod. Sic.* p. 147. c. (ap. Munth. p. 400.) *μεθ' ἡσυχίας ποιεῖσθαι ὁμιλίας* opponitur *τῷ μετὰ βροντῶν καὶ ἀστραπῶν ποιῆσαι τὴν συνουσίαν.*

2) Chrys. exponit verba *τ. ἑ. ἀρτ.* per *τὸν ἐξ οἰκείων πόνων, ἀλλὰ μὴ τὸν ἀλλότριον, τὸν ἀπὸ τοῦ προςαιτεῖν ἐκποριζόμενον.*

potest. Altera, ne quisque seorsum, tanquam gurges aliquis, absorbeat, quod habet: sed in proximos sit beneficus, eorumque inopiam sua abundantia sublevet." — Modo homines otiosos increpatus fuerat; jam veretur, ne ceteri labore intenti sese ob id ipsum efferrent, spretisque fratribus egenis, ab omnibus, etiam iis, qui labori nequeant vacare, postularent, ut praeceptum sequerentur, ab ipsis alienum; fortasse tamen magis etiam verendum erat, ne ipsi illi *περίεργοι*, quos hucusque sustentaverant, subito ipsorum ope destituti inopia nisi perirent, tamen in summum venirent periculum [1]). *Calvinus* tamen aliter paulo constituit hujus moniti sensum, observando fieri solere, ut qui alioqui ad beneficentiam maxime prompti sint et alacres, tum videant male collocando se beneficia perdere, refrigescant. *Pelagius* Apostolum facit dicentem: *non omnibus, sed talibus dari prohibeo:* in quo tamen vereor ne jejunius ejus reddiderit sententiam. *Μὴ ἐκκακήσατε* proprie: *ne animum despondeatis*, quod *Flattius* explicat: *ne segnes fiatis.* Et recte quidem; vocis enim *κακὸς* hic solemnis usus, ut eum designet, qui animo cecidit et a studio, ad quod hucusque intentus fuerat, remittit. Gal. VI, 9. legitur eodem plane sensu *τὸ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐκκακῶμεν*, *in beneficiis erogandis ne frangamur segnitie.* Eph. III, 13. 2 Cor. IV, 1. Haec vox *ἐκκακεῖν*, ut apud Graecos alias paulo rarius [2]), ita in N. T. libris haud raro occurrit [3]). — *καλοποιεῖν* i. q. *ἀγαθοποιεῖν*, Luc. VI, 33. aut *recte agere,* aut *beneficia conferre in aliquem.* Nexus tamen cum prioribus (*δὲ*) et similitudo loci ex epistola ad Galatas allati posteriorem magis commendat interpretationem. Priorem vero sustentare videtur locus *Levit.* V, 4., ubi *καλοποεῖν* et *κακοποιεῖν* sibi opponuntur et Peschito, ubi legitur ܠܡܒܐܫܘ ܠܡܛܒܘ. Quum tamen nihil nos impediat, quo minus illi interpretationi, quae ad loci indolem optime quadrat,

---

1) *Chrys.: Στέλλεσθε μέν, φησιν, ἀπ᾽ αὐτῶν, καὶ ἐπιτιμᾶτε αὐτοῖς, μὴ μὴν περιίδητε λιμῷ διαφθαρέντος,* quibus *Theodoretus* addit: *μὴ νικήσῃ τὴν ὑμετέραν φιλοτιμίαν ἡ ἐκείνων μοχθηρία.*

2) Cf. Suic. Thes. eccl. I, p. 1047.

3) De construct. h. v. cum participio cf. *Matth.* gr. Gr. §. 551. b. d. p. 1081.

adstipulemur de perseverantia in beneficiis conferendis, quam de constantia in qualicunque virtutis genere cogitare malimus [1]).

14. Sin vero verbo nostro quisquam non obsequutus fuerit, *διὰ τῆς ἐπιστολῆς τοῦτον* (hunc fratrem), *ἀτάκτως περιπατοῦντα, σημειοῦσθε.* Valde autem inter se dissentiunt interpretes in constituendo horum verborum ordine. *Chrysostomus* enim, Ambrosiaster, plerique recentiores, e quibus Schottium et Deldettium nominasse sufficiat, post *ἡμῶν*, sive, quod tamen durius est, ante *ἡμῶν* commate distinguunt; alii vero, ut *Vaterus* et *Flattus*, praeeuntibus Erasmo, Grotio, Bengelio, conjungunt *λόγῳ ἡμῶν διὰ τῆς ἐπιστολῆς*; tum sensus esset: *praeceptis meis hac epistola traditis* (*Pesch.* ܡܠܝ̈ܢ ܗܠܝܢ ܕܒܐܓܪܬܐ, *Arabs:* قَوْلَنَا, verbum *nostrum*). Notant quidem interpretes hanc formulam, utpote duriusculam: quod tamen a stilo Paulino non ita alienum est; non autem negem, articuli usum ex hoc nexu parum explicari, quum Apostolus tum sine dubio potius scripsisset *διὰ ταύτης τῆς ἐπιστολῆς*. Sin autem priorem praeferas nexum, sensus aut hic erit; *hunc mihi per litteras, quas scilicet scripturi et ad me daturi estis σημειοῦσθε* [2]); aut: *hac epistola notate.* Tum scilicet *τῷ λόγῳ* et *διὰ τῆς ἐπιστολῆς* opponerentur, itaque facile explicaretur, cur Apostolus non pronomine, sed articulo usus sit. Sententia ita procedit huic loco satis accommodata: *Si quis praeceptis meis, quae vobis tradidi, quum praesens adessem, quosque his epistolis in memoriam revocavi, obsequium praestare recusat, eum hac epistola* (v. 6.) *freti severius tractate et a consortio vestro secludite.* Attamen haec quoque interpretatio omni dubitationi haud praecidit materiam, idque eo minus, quod hic verbi *σημειοῦσθαι* usus in dubium vocari possit.

Σημειοῦν proprie nil significat, nisi nota aliquid distinguere; genere vero *medio* de brevibus maxime annotationibus, notulis sive scholiis adhiberi solet, cujusdam libri margini adjectis. Quare potest etiam in-

---

1) Schol. ap. Matth. *τῶν προςόντων μεταδιδόντες αὐτοῖς, ἵνα μὴ λιμώττωσιν.*

2) Luther: *den zeichnet an durch einen Brief.*

dicandi [1]) notionem induere, hoc loco a plerisque acceptam. Recte vero Schleusnerus in Lex. dicit proprie hoc verbo id significari, quod *signo* sive *nota* impressa ab aliis discernatur [2]). Vet. Gloss. *noto signo.* Ita Ambros., Pelag., Vulg. verbum hic per *notate* reddunt; quo sensu *Bengelius* explicat: *notate nota censoria.* Simili modo Michaelis non cogitat de istorum nominibus Apostolo indicandis, sed de macula quadam infamiae ipsis inurenda, quod non fieri poterat nisi vitato ipsorum commercio. Etenim aliam poenam irrogandi ecclesiae non jam competebat jus. Hac interpretatione accepta, Pauli mandatum judicabimus omnino cum iis convenire, quae Christus ipse praecepit in simili re Matth. XVIII, 15—17. — *Grotius* vero priorem sententiam ita exponit: *In epistola ad me scripta illum suis notis depingite, ut ego deinde statuam id, quod spiritus dictaverit.* I Cor. V, 3. Cui tamen sententiae, quod jam *Bensonius* vidit, id potissimum obstat, quod, quum tam saepe de ecclesiarum Christianarum turbatoribus Paulo statuendum fuerit, nunquam id postulaverit, ut litterae sibi mittantur, nomina istorum hominum indicentur; nec profecto facile intelligitur, quidnam hac in re esse potuisset Apostoli consilium. Quapropter sequi malim Bengelium, non tamen omni de usu verbi *σημειοῦσθαι* dubitatione exemptus. Pesch. ܢܬܦܪܫ ܡܢܟܘܢ, *separetur a vobis.* Arabs vero utitur verbo وسم, *stigma alicui inussit.*

Συναναμίγνυσθαι ex illis verbis bis compositis est, quos haud raro in dialecto communi usu venire observavimus. Imago autem a miscendo repetita Graecis e tritissimis una est, eaque a consuetudine vino aquam miscendi repetita [3]). Quare haud raro de consuetudine amica commercioque familiari adhibetur. I Cor. V, 9. 10. de usu venereo. cf. Hos. VII, 8. Alex. pro הִתְבּוֹלֵל, Ephraim *συνανεμίγνυτο, commiscebatur* (populis) Dan. XI, 23. הִתְחַבְּרוּת,

---

1) Philo de Jos. p. 560. a *δυσὶ μαρτυρίαις σημειωσάμενος τὸ μηδὲν ἴχθος ὑποτύφεσθαι.*

2) *Hesych.* *ἐσημειώθη· ἐτυπώθη.* Lex. *Cyrill.* Ms. Brem. *ἐσφραγίσθη.* (*σημαίνειν*, quamquam illius vocis sit quasi iterativum, hic conferri non poterit, nisi forte in locis sicut Xenoph. Cyrop. I, 2. 8. VI, 2, 11. *εἰ δέ τίς τε καὶ ἄλλο δέον ἐνορᾷ, πρὸς ἐμὲ σημαινέτω.*).

3) Gurlitt. ad Pindar. Nemea. I. Intpp. ad Herod. I, 202.

consociatio redditur per *συναναμίγνυσθαι*. Ita hic est *familiariter vivere*, versari cum aliquo, *συγχρῆσθαι* Joh. IV, 9.: idem igitur est praeceptum, quod v. 6. legimus [1]). —

Consilium hujus mandati additur *ἵνα ἐντραπῇ*, *ut pudore tactus ad mentem meliorem redeat*, ut Grotius illud verbum bene exponit. *ἐντρέπεσθαι* enim proprie significat: *intus converti*, ad se ipsum quasi redire. Ex quo duplex procedit sensus translatus: activum *ἐντρέπειν* aut *facere, ut aliquis resipiscat*, aut *confundere aliquem*; hinc media forma haud raro tum de eo adhibetur, qui ad bonam frugem sese recipit; tum vero de eo, qui pudore suffunditur, et ignominia afficitur. 1 Cor. IV, 14. Tit. II, 8. — Ps. XXXIV, 4. *αἰσχυνθείησαν καὶ ἐντραπείησαν οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχήν μου*. — „Non ut penitus abscindatur, ait *Pelagius*, sed *ut reverentia confundatur*." (Ambros.) —

Dignus est, qui huic versui conferatur R. *Eliae*, *Karaei* locus e libro *Addereth Elijahu*, a Wolfio ex *Jacobi Triglandii* Diatribe de Secta Karaeorum (p. 166.) desumtus: „*Si non convertatur* (frater) *de via sua mala, in pudorem agunt et ignominia illum afficiunt coram pluribus, donec resipiscat.*"

Quaeritur tandem, utrum e sententia Apostoli excludendi sint illi homines turbulenti ex ecclesiae consortio: quod *Koppius* negat [2]), quoniam contraria omnia indicare videatur versus insequens. At vero iidem tanquam fratres sustentari poterant *externarumque rerum ope sublevari* [3]), nihilo tamen minus arceri a fratrum consuetudine, quod verbo *στέλλεσθαι* v. 6. confirmari videtur: haud tamen putarim illos a Christianorum ritibus sacris excludendos fuisse, quibus potius emendari et ad veram pietatem reduci poterant. Apostoli sensum hac in re attigisse videtur Augustinus [4]), qui translatis hujus versus verbis hoc modo: „*Si quis autem non obaudit verbo nostro,*

1) De hoc excommunicationis genere apud Judaeos etiam usitato cf. Interpp. ad Matth. XVIII, 17. maxime Schoettg. p. 152.

2) Ita quoque Zachariae: *Es kann dies nach dem Folgenden kein Verbot alles Umgangs mit solchen Christen sein, sondern es muſs bloſs auf die Theilnehmung an seinem Verhalten gehen, dagegen sie bei aller Gelegenheit ihren Abscheu bezeigen sollen.*

3) Theodoret.: *Τὴν σωματικὴν θεραπείαν τῶν πλημμελούντων οὐκ ἐκώλυσεν ὁ θεῖος Ἀπόστολος.*

4) *Post Collationem ad Donat.* c. 4. Bened. T. IX. p. 585.

stro, per epistolam hunc notate, et nolite commisceri cum eo, ut erubescat, et non ut inimicum existimetis, sed corripite ut fratrem:" addit: „Sic enim et disciplina servat patientiam et patientia temperat disciplinam; et utrumque refertur ad caritatem, ne forte aut indisciplinata patientia foveat iniquitatem, aut impatiens disciplina dissipet unitatem."

15. Ne vero justo gravior evadat castigatio, statim additur ab Apostolo: *ne tanquam inimicum illum insectamini, sed potius quasi fratrem monendo eum corrigite.* „Corrigite, ait *Pelagius*, ut emendetur; nolite abscindere, ut desperet: aeger curandus est, non necandus [1]), nec in apostasiam inquietudo vertatur" [2]). Bene praeterea animadvertit Ambrosiaster: „Non in reprehensionem venit, qui humanus et largus est; sed hic, qui, quum possit laborem ferre, otio vult vitam agere ὡς ἐχθρὸν ἡγεῖσθαι sive, ut melius dicitur, ἐχθρὸν ἡγ. [3]) animum inimicum significat, quo quis alterum et pro hoste habet, et hostili modo tractat. „Egregia est haec sententia, ait *Turretinus*, ut intelligamus censuras omnes ecclesiasticas non ad aliud tendere, quam ad bonum peccatorum, eorumque salutem." νουθετεῖτε cf. not. ad 1 Thess. V, 14. Ad hunc locum accommodate Valkenarius (ad 1 Cor. IV, 14.): „Eximie, ait, vox notat *mentem componere* et *sedare affectionibus turbulentam.*"

Grotius cum hoc praecepto apposite confert legem, quae exstat in Levit. XIX, 17. *Ne odio habeas fratrem tuum in animo tuo; sed* הוֹכֵחַ תּוֹכִיחַ עֲמִיתֶךָ, *sed increpando corrigas proximum tuum* [4]). Verum quaerat

---

1) Schol. ap. Matth. δέος γάρ, μὴ ἀποσχισθεὶς τῇ περισσοτέρᾳ λύπῃ καταποθῇ.

2) *Theodoretus* hanc de morbo similitudinem ad corporis artus transfert. μελῶν γὰρ νενοσηκότων, inquit, ἐπέχουσι τάξιν (*illi fratres eundem in ecclesia obtinent locum, atque membra aegrota in corpore*)· τοῖς δὲ τοιούτοις τὴν πρόσφορον θεραπείαν προσφέρειν εἰώθαμεν.

3) *Demosth. Phil.* 2. ἐχθρὸν ἡγοῦμαι Φίλιππον. ed. *Tauchn.* T. I. p. 72.

4) Ex animo vere Christiano *Chrysostomus* haecce profert verba: Ὁ τὸν ἀδελφὸν νουθετῶν οὐ δημοσίᾳ τοῦτο ποιεῖ, οὐκ ἐκπομπεύει τὴν ὕβριν, ἀλλὰ ἰδίᾳ καὶ μετὰ πολλῆς τῆς προσοχῆς (*cum magna cura et sollicitudine*) καὶ ἀλγῶν, καὶ δακρύομενος, καὶ δακρύων, καὶ ὀδυρόμενος. — — μὴ ὡς ἀλγοῦντες ἐπὶ τῷ διδόναι, ἀλλ' ὡς ἀλγοῦντες ἐπὶ τῷ ἐκεῖνον παραβαίνειν τὴν ἐντολήν. Idem addit: μετὰ τὸ δοῦναι νουθετεῖν ἐκέλευσεν.

aliquis, hocne praeceptum cum Christi dicto pugnet, quo pervicaces peccatores ethnicorum et portitorum instar haberi jubet. Sed bene monet *Gomarus*, „illud a Christo non absolute dici." Rei scilicet Christianae singulorumque in certa quadam causa respicit utilitatem [1]). „Neque excommunicatio est instar veneni, quod hosti datur ad exitium, sed medicinae, quae fratri ex amore et spe bona resipiscentiae consequuturae datur ad salutem" [2]). 1 *Thess.* V, 14. 2 *Cor.* II, 5—8.

16. Iterum concludit Apostolus praeceptorum suorum seriem per votum, quo a Christo, pacis auctore, pacem illis implorat omnibus modis confirmatam et eam quidem usquequaque duraturam. „Semper, ait *Ambrosiaster*, quod suum est, bono voto illos prosequitur, quasi carissimos filios, optans semper cum illis pacem manere, quae est dux ad vitam aeternam." Hic vero propior adest causa, cur pacis potissimum beneficium commemoratur; nihil enim magis optandum erat, quam, ut homines isti immorigeri et inquieti ordinem non turbarent publicum, immo ipsi ad negotia quiete peragenda redirent. *Αὐτὸς δὲ κ. τ. λ.* cf. II, 16. *Κύριος τῆς εἰρήνης*, שַׂר־שָׁלוֹם Jes. IX, 5. ideo vocatur Christus, quoniam et divinae tranquillitatis ex religionis fonte manantis auctor (Joa. XVI, 33.) et pacis concordiaeque amantissimus est. (cf. 1 *Thess.* I, 1. *Eph.* II, 14.) — *Joa.* XIV, 27. 1 *Thess.* V, 23. Paulus a Deo, et ipso *pacis fonte*, salutem expetiit; — non vero salutem fragilem, brevi perituram, sed *διὰ παντὸς ἐν παντὶ τρόπῳ*, quo proprie quidem verbum *δῴη* accuratius definitur, sed reapse illius etiam pacis natura. *διὰ παντός· χρόνου* supplent interpretes Rom. XI, 10., quod a sensu minus alienum est, quam *τόπου*, quod alii praeferre malunt; sed rectius alii hanc vocem pro adverbio habent, ut nihil supplendum sit, quod significat *semper, quandoque, continuo.* — Cum his satis bene convenit, quod additur: *ἐν παντὶ τρόπῳ*, quod contrarium est formulae *κατὰ μηδένα τρόπον*, II, 3. ita Phil. I, 18. *παντὶ τρόπῳ* significat: *quoquo id fiat modo.* *ἐν* dativo circumscribendo inservit. Alii tamen cum bonis codicibus, Hesychii edi-

---

1) Quae idem de arcendo a sola sacra coena dicit, ineptiae sunt, quum illa tum non jam ita fuerint instituta. —

2) Cf. *Benson.* Paraphr. Bamberg. p. 219 — 21., qui succincte satisque accurate tractat quaestionem de excommunicatione.

tionem et *κοινὴν ἔκδοσιν* maximam partem referentibus, nec non patribus quibusdam Latinis (ut *Ambros.*, *Pelag.*) et Graecis (*Chrysost.*, qui in contextu quidem exhibet *τρόπῳ*, sed explicat per *πανταχοῦ*, unde colligas, *τόπῳ* restituendum esse [1]), *Theophyl.* [2])), *vetere latina* atque *vulgata* versione, legunt *ἐν παντὶ τόπῳ* 1 Tim. II, 8. 1 Cor. I, 2.; quod tamen genuinum esse neque testibus evincitur satis locupletibus, nec per se magis commendatur lectione vulgari, quae sine dubio difficilior est et minus usitata: etenim ne afferam, *ἐν παντὶ τόπῳ* formulam esse saepissime recurrentem, hic praeverbii *ἐν* usus in altera formula non satis etiam concinnus esse videtur. — Concludi posse putamus ex addita hac formula *pacem* hic non tantum concordiam significare, sed cujusque generis beatitudinem e Christiana fide profectam. —

Exhortatio generali concluditur benedictione: *Dominus sit vobiscum omnibus*, quae formula mox in sacris Christianis in solemnem transibat usum [3]).

3. v. 17. 18. *Salutatio cum voto eidem annexo, quibus concluditur Epistola.*

17. Quum hactenus scriba usus fuisset P., cui epistolae verba praeiret (*Rom.* XVI, 22.), jam ultima verba, salutationem, *ἀσπασμόν*, continentia, sua ipsius manu adjicit. Id vero eum facere solitum esse plura docent loca, ut 1 *Cor.* XVI, 21. *Col.* IV, 18., ubi eadem plane leguntur verba. *Gal.* VI, 11. *Philem.* 19. item videmus Apostolum nonunquam suametipsius manu quaedam adscribere solitum esse. Addit *ὅ ἐστι σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ*. *Itaque ipsa haec salutatio, et propria quidem manu scripta* (*ἰδιόγραφος*) *signum est, epistolam quandam vere ab Apostolo profectam esse.* Non autem verisimilis est *Cornelii*, *Grotii*, *a Lapide*, *Bengelii* opinio, *Paulum singulari et fere inimitabili pictura et ductu litterarum expressisse illud: gratia.* sqq. v. 18. — Tale vero mono-

---

1) Haec *Grotii* est sententia, cui haec lectio probatur; haud tamen scio, annon liberius ita explicaverit Chr. verba *ἐ. π. τρόπῳ*.

2) *ὥστε μηδαμόθεν ἔχειν φιλονεικίας πρόφασιν, μήτε ἀπὸ λόγου, μήτε ἀπὸ ἔργου* (cf. *Matthaei* animadv. ad h. l.). Singula fere verba e Chrysost. desumta sunt, sed in compendium redacta.

3) In ecclesia scilicet occidentali. *Augusti* Denkwürdigkeiten aus der christl. Archäologie. Vol. V. p. 226. sq.

gramma haud scio, an non nostrorum temporum eorumque versutiae magis conveniat, quam aevi apostolici simplicitati [1]). Nomen *Παύλου*, quod adjectum est, nihil facit ad refellendam hanc sententiam, quum ille soleat perspicuitatis causa illud adjicere, ubi utile visum fuerit. 1 Thess. II, 18. 2 Cor. X, 1. Gal. V, 2. Eph. III, 3. Col. I, 23. „*οὕτω γράφω* [2]), en litterarum mearum, quibus ipse in scribendo adsuevi, ductus, hac salutandi formula expressos!“ Hisce verbis Koppius bene exponit hujus loci sensum, quem ex antiquis interpretibus *Chrysost.*, *Theodoret.*, *Ambrosiaster*, alii, jam assequuti sunt [3]). „Non, inquit *Wolfius*, ignorabant Apost. manum Thess. ex priore epistola; sed ignorare poterant, Paulum usum habere receptum, ut semper minimum subscriptionem sua manu consignaret, quum litteras ipsas amanuensibus exarandas relinqueret. Itaque necesse erat, ut de hoc instituto diserte monerentur, et ab impostorum fraudibus hac ratione sibi caverent.“ *Reichio* tamen haec verba alio consilio vix scribi potuisse videntur, quam ut Ap. litterarum suarum formas commonstraret. „In priore epistola amanuensis opera usum fuisse, est verisimile, quia Corinthi ad manus erant discipuli et amici idonei et quia secundam epist., iisdem *περιστάσεσι* ortam, ab Apost. ipso non scriptam esse, ex ipsis Ap. verbis *ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου* evidens est.“ Impostores vero P. timuisse videtur, qui aut litteras ei jam supposuerant (II, 2.), aut ejusmodi saltem consiliorum suspecti erant.

Ex hoc loco nonnulli (Bengel.) concludunt, Paulum jam plures epistolas scripsisse; quod sane per se tam verisimile est, ut de ea re dubitare fere non liceat, quam-

---

1) A *Wolfio* singularis quaedam affertur *Gust. Georg. Zeltneri* disputatio de Monogrammate Pauli Altorf. 1741. 4., ubi ille probat, ejusmodi monogrammatum usum apud Graecos et Latinos, immo etiam Hebraeos frequentem exstitisse. Cf. quae *Wolf.* in *Cur.* contra eum affert p. 403 — 6.

2) Sic scribere *soleo*. cf. Marc. XV, 6. *Winer.* I. §. 31. 3. a.

3) *Theophyl.*: *Πρὸς τὸ μὴ παραποιεῖσθαι τὰς ἐπιστολάς μου παρά τινων ἀπατεώνων (τοῦτο γαρ, ὡς καὶ ἐν ἀρχῇ εἴπομεν, ἐποίουν πολλοὶ) ἐγώ, φησιν, ὑποσημαίνω τῇ ἐμῇ χειρί. Ἐν πάσῃ δὲ ἐπιστολῇ, τῇ ἴσως πεμφθησομένῃ πρὸς ὑμᾶς, ἢ καὶ ἁπλῶς ἐν πάσῃ τῇ πρὸς οὕστινας ἐπιστολῇ.* Schol. ap. Matth. incertam sinit esse quaestionem: *ἰδιόχειρον ὑπέγραφε· τὸ ἀσπάζομαι, ἢ τὸ ἔῤῥωσθε, ἤ τι τοιοῦτον.*

quam negari nequeat, his verbis eas solummodo significari *posse*, quas in posterum scripturus erat. Et sane ea clausula, quam Apost. hic adjicit pro valedictione Graecis usitata ἐῤῥῶσθαι sive ἔῤῥωσθε *in quibuscunque epistolis Paulinis legitur brevius pleniusve proposita;* unde haec ipsa, non verba ὁ ἀσπασμὸς κ. τ. λ. pro iis habet *Theodoretus*, quae P., ut signum essent, adscripserit; quod profecto multam habet veri speciem, quo se tueatur. — Alii vero, sicut *Ensius*, e verbis ἐν πάσῃ ἐπ. longe aliud extricant, quod scilicet Apostolus plures, quam binas epistolas adhuc superstites ad Thessalonicenses scripserit; quid vero vetat, de omnibus hic cogitare epistolis, ad quoscunque denique dati fuerint? sed verum jam vidit Theophylactus in loco, quem descripsimus, animadvertens, Apost. loqui *de litteris, quas, si ita res ferret, forte in posterum scripturus esset.*

18. Scite *Estius* monet, ex eo intelligi, „quam insignis gratiae divinae praedicator et commendator fuerit hic Apostolus, ut omnibus etiam suis epistolis hanc salutationem velut pro sigillo appenderet," *adeo* (addit *Calovius*) *ut cui epistolae hoc signum deesset, nollet eam pro sua agnosci.* Idem pietatis documentum laudat *Theophylactus*, qui dicit, „a gratia initium ceperat et in gratia concludit epistolam, utrimque tanquam quadam parietum mole ejus dicta communiens, et velut jactis firmioribus fundamentis finem tutiorem imponens." [1]). *Balduini* etiam locus dignus est, quem, sicut Calovius eum excerpsit, totum apponamus. „Votum, ait ille, quod D. Paulus manu sua epistolis suis subscripsit, summam praecipuam scriptorum Paulinorum indicat, eaque a doctrina Pseudoapostolorum discriminat. Complectitur enim gratiam Domini nostri J. Ch. quae pretiosissimus Thesaurus est hominis pii et fons salutis nostrae, quam alii in operibus suis quaerunt, nobis vero in gratuita Dei misericordia parata est; id quod urget Apostolus suis omnibus in epistolis. Quidquid ergo in negotio salutis nostrae gratiae divinae opera hominum admiscet, id non habetur pro Apostolico, quia extra Chri-

---

1) Hujus etiam expositionis summa e Chrysost. petita est. ἀπὸ εὐχῆς, ait ille, ἤρχετο καὶ εἰς αὐτὸ ἔληγε, περιφράττων τείχεσι μεγάλοις τὰ λεγόμενα ἑτέρωθεν, ἀσφαλῶς δὲ θεμελίους τιθείς, καὶ τὸ τέλος ἐπήγαγεν ἀσφαλές. — Idem in fine Hom. V. belle exponit, quomodo ii, qui non sint doctores in ecclesia constituti, optimi tamen esse possint evangelii doctores.

stum per gratiam Dei nobis donatum nulla est justitia, nulla salus. Ab hac ergo gratia ne excidamus, cavendum est, et ut ejus suavitatem in omnibus necessitatibus nostris gustemus, alter alteri ex pio affectu comprecemur."

Ad singula quod attinet, nihil hic novi invenitur, quod non in eadem formula, qualem 1 Thess. V, 28. legimus, affuerit, nisi addita vox *πάντων*, quam e commotiore Apostoli animo prodire quisque videt, quum metueret, ne rixae disceptationesque Thessalonicenses turbarent. Significat igitur, se *omnibus* gratiam divinam apprecari, ne quemquam ex iis, quos increpatus fuerat, excludere videretur.

Ἀμήν in nonnullis deest codicibus; quare *Grotius* hoc addidisse putat ecclesiam, quum legeretur epistola, unde adscribi coeperit; in quo cum eo non contenderim, quamquam res dubia esse videatur; nec multum refert.

Quae subscripta legitur loci significatio, unde data fuerit haec epistola, ea nil veri continet eoque adjectitia esse proditur; praeterea in diversis codicibus diversissime exhibetur. cf. Matthaei varr. lectt. ad h. l.

Quum ita absolverimus harum epistolarum explicationem, nobis non temperare possumus, quin lectoribus, *qui* hucusque nos comitati sunt eam apprecemur gratiam Domini nostri Jesu Christi, in qua Apostolus concludit, quamque cum illo religionis habemus cardinem et fundamentum.

Excudit A. W. Schade, Berolini.

Index
verborum Graecorum explicatorum.

Index
capitum prolegomenorum.

Corrigenda.

P. 6. l. 1. *πάντοτε* pro *παντότε*.
- 10. - 10. Ps. CXXVII, 2. pro 2 Chron. XX, 7.
- 17. - 3. ante multis deest quod.
- 25. not. 2. l. 3. *ἱκανὰ* pro *ἱναωὰ*.
- 26. l. 16. ea pro eo.
- 33. - 9. honori esse pro honor iesse.
- 41. not. 2. Glass. ad Dath. pro Gloss. ed. Dath.
- 46. l. 4. salutarem pro salutatem.
- — - 14. vatibus pro vadibus.
- 47. - 21. comma inserendum post Deo.
62. not. 1. l. 2. *κατ'* pro *καθ'*.
- 67. l. 4. [illegible] pro [illegible].
- 68. - 10. Medicum pro medicum.
- 76. not. 1. l. 6. 7. a Glass. ad pro a. Gloss. ed.
- 79. — 1. - 2. ὁ pro ὀ.
- 105. l. 18. *αὑτοῖς* pro *αὐτοῖς*.
- 113. - 11. Majori interpunctione disting. post nolimus.
- 118. not. 4. l. 1. *φασί* pro *φαοί*.
- 120. l. 22. cognatum pro cognata.
- — - 25. quum pro cum.
- 121. - 24. post poterit puncto distinguendum.
- 131. - 7. *αἷς ἀνέχεσθε* pro *ἐνδέχεσθε*.
- 145. - 36. post omnino addas in N. T. libris.
- 158. - 22. *ἔσχαται* pro *ἐσχάται*.
- 180. - 24. adjectivum pro adjectum.
- 183. - 30. multitudo in judicium pro multitudo judicium.
- 184. - 6. בְּ pro בֵּ.
- 189. - 16. ἥ pro ἧ.
- 204. - 4. ab ima pag. possent pro possunt.
- 215. not. 2. l. 1. *ἐχθροὺς* pro *ἔχθρους*.
- 218. l. 14. *λόγος δοξάζεται*.
- 224. - 10. delendum jam.
- 234. - 26. videantur pro videntur.
- 238. - 11. 12. Flattius pro Flatttus.
- 239. - 28. quae pro quos.